XXIV

P. II. N. 105.

11. 1. 160

Digitized by Google

Angiolini
N° 10243:

Digitized by Google

COMMENTARIUS
HISTORICO-APOLOGETICUS
IN DUAS DISSERTATIONES TRIBUTUS,

QUARUM ALTERA

Anticriticis animadverſionibus refellit ea, quæ adverſus paupertatis Diſciplinam a Divo Patriarcha Dominico in ſuo Ordine conſtitutam, intemperantiore critice, ſcriptis prodiderunt *CONTINUATORES BOLLANDI*, in Commentariis, nuper in Acta ejuſdem Patriarchæ, editis.

A L T E R A

Eandem Diſciplinam a laxioribus P. Raphaelis de Pornaſio interpretamentis vindicat.

A C C E D U N T

De origine Diſciplinæ Regularis, primum in Ordine Prædicatorum, per B. Raymundum de Vineis vigeſimum tertium Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis, inſtauratæ

DISSERTATIO HISTORICA,

E T

QUÆSTIUNCULA MORALIS

D E

REGULARIBUS PERSONATIS.

A U C T O R E

CAROLO ANTONIO PLANTAMURA.

VENETIIS, MDCCXXXVI.

APUD STEPHANUM MONTI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

STudiorum meorum rationes alio prorſus ſpectabant, cum in manus meas inciderunt, & Tomus primus menſis Auguſti, quem non ita pridem in lucem emiſerunt Clariſſimi Actuum Sanctorum Editores Antuerpienſes, & libellus Patris Raphaelis de Pornaſio; & quoniam in primo plura hiſtoricæ veritati, quæ paupertatis diſciplinam a Sancto Patriarcha Dominico primum in ſuo Ordine conſtitutam ſpectant, contraria; & in ſecundo multa eidem evangelicæ paupertati inimica, deprehendi; temperare mihi haud potui, quin diſciplinam noſtram ab exitioſis, vaniſque horumce Scriptorum commentis, ſuſciperem vindicandam. Continuatores Bollandi in laudato Tomo Acta recenſent Sancti Dominici, & de more, in eadem ſuos præmittunt commentarios, non incallida oratione com-

Digitized by Google

pactos. Siquidem eoſdem revolvens, cum offendiſſem ſ. IX. num. 152. petitionem, qua Scriptores iſti Priorem Prædicatorum Cœnobii Antuerpienſis ſollicitarunt, ut documenta, quibus Nobilem Divi Dominici ſtirpem evincerent, ſibi exhiberentur; confeſtim eorum diligentiam, ſtudiumque in exornanda Sancti Patriarchæ hiſtoria ſuſpexi. Contra vero eorundem lamentationes, querimoniaſque inaudiens, quod poſt duorum moram annorum, ſpe obtinendæ petitionis fruſtrati eſſent, ejuſdem Prioris negligentiam, & inurbanitatem improbavi. At cum attentius legere, ſerioque mecum animo reputare cœpiſſem omnia, extemplo nimiam agnovi credulitatem meam; & tum præfati Prioris prudentiam demiratus ſum, in ſalvandis, ſi quæ privati juris haberet, ab iſtorum intemperantiori critica, monumentis. Quandoquidem, ſi quæ illis collata eſſent documenta, non meliorem apud ipſos nacta fuiſſent ſortem, ac illa monumenta, quæ ex Dominicanis Auctoribus illi ipſi tranſcripſerunt, ſuiſque conjecturis paſſim infirmare pertentarunt. Jacobi Echardi meliores animadverſiones, & eruditiores illuſtrationes expilarunt, ſuoſque in commentarios convaſarunt, non ut domeſticis teſtibus hiſtoriam Divi Dominici munirent, quod commendandum, non improbandum foret; ſed ut pro viribus extenuarent. Hæc autem omnia tam elaborato artificio præſtant, ut cuique facile minime ſit eos in ſermone tenere. Quippe nullibi pedem figunt, ut ſemper ad perfugium locus pateat. Vix quidquam aſſeveranter aut ſtatuunt, aut pernegant; ſed oblique, & per cuniculos univer-

verſa adoriuntur. Ipſa luculentiora Divi Dominici geſta tot quæſtiunculis involvunt, ut tandem omnia hinc nutantia, illinc labantia lectoribus exhibeant. Quod, an verum habeat, ex iis, quæ capite ſecundo, & ſequentibus iſtius primæ Diſſertationis dicturi ſumus, palam fiet. Ibi namque expendemus ea, quæ illi ſcribunt paragraphis trigeſimo tertio, & trigeſimo quarto ſuorum commentariorum; ubi cauſſam Minoritarum agentes propugnant, Divum Dominicum paupertatem evangelicam fundis, redditibuſque vacuam, didiciſſe a Seraphico Patriarcha Franciſco in Capitulo *Storcarum*.

Ad Patrem Raphaelem de Pornaſio, quod attinet, de illius opuſculi conſcribendi, ac ſæpius edendi impellente cauſſa, quædam præfari operæ pretium me facturum exiſtimavi. Ea itaque tempeſtate, qua vitam Pornaſius agebat, celeberrima utriuſque Langobardiæ Congregatio florebat ad primævum Dominicanæ diſciplinæ ſplendorem reformata; cujus inter innumeros alumnos elucebat Pater Dominicus Comes, ejuſdem Raphaelis ex ſorore nepos, atque egregius reformationis cultor, ſtrenuuſque propagator: quippe qui fuit Conventuum in Provincia Dalmatiæ reformatorum Præſul, pluraque geſſit, ut collapſam noſtratum legum obſervantiam inſtauraret. De hoc eximio viro documenta extant in celebri Archivo Cœnobii Raguſini Sancti Dominici, ſicuti mihi teſtatus eſt Pater Seraphinus Cerva eruditione, morumque probitate clariſſimus, mihique amicitia conjunctiſſimus. Porro laudatus Dominicus Comes Epiſtolam Avunculo ſuo in laxioris diſcipli-

 næ

næ Conventu degenti dedit, in qua religioſorum privata peculia, alioſque abuſus ſolemni repugnantes profeſſioni Monaſticæ, expoſuit, atque improperevit. Ut e nepotis animo ſcrupulum omnem, laureatus in Theologia ſenex divelleret, Tractatum conſarcinavit duas in partes diſtributum; in quarum prima omnes ſuos exerit conatus, ut evincat, ſui corruptiſſimi ſæculi diſciplinam, illam ipſam fuiſſe, quam ſub Ordinis initium ſervarunt ſanctiſſimi Parentes noſtri. In ſecunda parte reſponſa ad plures quæſtiunculas ſuper eadem diſciplina ſibi propoſitas exhibet. Et hæc inedita adhuc eſt. Integrum Codicem in ſuo Pariſienſi Conventu Sanctiſſimæ Annunciationis conſervari aſſerit Jacobus Echardus *Tom. I. de Script. Ord. Præd. pag.* 832. „ Altera pars, „ *inquit*, in qua ad 35. alia ejuſdem Nepotis ſui, „ circa regularem diſciplinam, dubia reſpondet, „ non fuit edita, ſed habetur in noſtro codice. „ Mutilæ editionis cauſſam ignoramus. Prima pars, quæ Tractatus *de Communi & proprio Religioſorum*, aliiſque titulis, ut ſuo loco dicetur, inſcribitur, primum typis edita fuit Venetiis anno 1503. Iterum Taurini. Tertium nulla loci, & temporis facta mentione, ſed a Viris fide dignis audivi, id contigiſſe anno 1686., curante P. Joſepho Tebalio. Quartum tandem prodiit typis Beneventanis anno 1723. Si librorum pretium ex iteratis editionibus penſandum foret, quiſque in animum ſibi induceret, Pornaſii libellum toties editum, doctrinam continere haudquaquam contemnendam. Eo vel maxime, quod ultima editio Beneventana ſub fulgentiſſima Cardina-

lis

lis Urſini purpura, qui, duobus poſt annis, ad Summi Pontificatus apicem, reluctanti licet animo, evectus fuit, dictuſque Benedictus XIII., in publicum prodiit. Immo ad majoris præſidii firmamentum; præmiſſa dedicatoria epiſtola, in qua eruditionis vaſtitas, ingenii acumen, juris Canonici ſumma peritia, ac denique nominis celebritas, laurea Magiſtralis, Quæſitoris Fidei dignitas, aliæque prærogativæ, quas in Pornaſio emicaſſe dictitant, deſcribuntur; atque totius Prædicatorum Ordinis Generali Magiſtro, deinceps Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Auguſtino Pipia, opus ipſum nuncupatur. Summis laudibus, quibus Pornaſius effertur, nequaquam invideo. In illius dumtaxat opuſculum calamum ego diſtringendum duxi. Neque mihi ſuccenſeant Beneventani Editores, ſi illis improperaverim, Venerabilis Senis bonitate abuſos fuiſſe; dum ſub tanti nominis ſplendore, fœtum natalitiis tenebris dignum, prodire in lucem curarunt: nec enim credibile eſt, ut ego quidem arbitror, eruditiſſimum, unaque piiſſimum Cardinalem, patrocinium ſuſcepiſſe libelli, in quo non modo doctrina Divi Thomæ, cujus ſtudium ſummo ſibi vertebat honori, labefactatur; verum etiam prima regularis diſciplinæ fundamenta quatiuntur erroreſque continentur, qui Sancto Dei Verbo repugnare videntur. Quamobrem ſi aliæ ſcribendi deeſſent rationes, hæc ſola ſufficeret: ut ſcilicet cujuſque caliginis umbram, quæ Sanctiſſimi Pontificis famæ ſupra omnem cenſuram conſtitutæ, vel oblique accedere poſſet ex extorta ſui clariſſimi nominis, atque perdocti Cala-

mi

Digitized by Google

mi protectione, diſpelleremus. Ceterum efficaciores ad ſcribendum cauſſæ animum noſtrum impulerunt; quarum præcipua fuit quadruplex iſtius lucubratiunculæ jam peracta editio, & timor haud inaniter conceptus, ne in dies iteretur. Nunquam ſiquidem manum huic operi admoviſſem, niſi ex lectione libelli toties evulgati cum juvenes, tum ſenes ſcandalum paſſuros, errandique occaſionem accepturos, pertimuiſſem. Maluiſſem profecto fœtum tenebris ſepeliendum præterire; atque utinam conceſſum fuiſſet, Fratris noſtri errata ſilentio obvolvere, & evangelicæ Caritatis pallio operire. Verum enimvero ſcandala multiplicari, & in poſteros ipſos propagari, repetitis opellæ iſtius typis, cum perſpicimus; an nos contra divinum mandatum canes muti erimus, non valentes latrare, nec vocem noſtram extollere? Nihil Pernaſſi Aſſeclæ intentatum relinquunt, merita auctoris efferunt, doctrinam exaltant, ejus opera cedro digna jactant, elogia in ejus laudem compacta opuſculo præmittunt, ſupremo Ordinis Hierarchæ nuncupant, & quarta vice in publicum exire faciunt, ut peculii uſum latius extendant.

Si uſque eo auſus ſuos efferunt illi; vetitum ne nobis erit, pro modulo noſtro, in juſtæ cauſſæ defenſionem, ſubſidiumque, quampiam adornare diſſertationem? Quinimo iſthuc vel nolentes nos impulit propugnandæ veritatis inſitus a natura amor, & antiquam Ordinis noſtri ſartam tectam diſciplinam tuendi ſtudium. Impulit hæreditaria illa, atque vere ſingularis prærogativa Ordinis noſtri, qui numquam filiorum ſuorum aberrationes adoptavit,

vit, ſed non minus quam externorum refutare conſuevit. Impulit denique ſumma in Divum Thomam Aquinatem obſervantia, officiumque, cum aſſerendæ paupertatis, quam ille in Ordine noſtro profeſſus eſt, tum ejuſdem de paupertate ipſa doctrinæ vindicandæ ab impoſturis, ac ſiniſtris interpretationibus, quibus Pornaſius, ejuſque gregales tentarunt, quantum per eos licuit, obnubilare, ut ſuam ipſorum, aliorumque ſimilium corrogatam pecuniam tanti Doctoris (ſi fieri poſſet) extorto non modo ſententiæ ſuffragio, verum etiam exemplo, tuerentur. Commenti namque fuere, ſanctum virum vel morti proximum nummos aureos ad uſus ſuos numero 60. depoſitos communi in capſa Regalis Cœnobii Neapolitani Sancti Dominici habuiſſe, eoſque poſt ipſius obitum fuiſſe repertos. Quod figmenti genus, non eſt facile dictu, quantum ad ſimpliciores animos decipiendos, procliviorcſque in malam vivendi rationem obfirmandos valeat; præſertim ſi aliqua Angelicæ Doctrinæ ſpecies obtendatur. Nemo ergo non videt, plurimum ſane intereſſe, factum iſtud ad puras, putaſque fabulas amandare, & ſummam cum Doctrina, & Sanctitate Præceptoris noſtri, habere repugnantiam, palam facere. Enimvero ſi tanti Doctoris, vel minutiora geſta, quæ ad ſolam veritatem hiſtoricam attinent, ſuis lucubrationibus illuſtrare operæ pretium exiſtimarunt viri clari; nemo jure reprehendere me poterit, tanquam nullius rei diſputatorem, ac otio, & litteris intemperanter abutentem. Quoniam non aliquod argumentum tractare aggreſſus

ſum,

ſum , cujus nec ſcientia emolumentum , nec inſcientia detrimentum ullum pariat : ſed cauſſam ſum peroraturus , in qua præter Angelicæ Doctrinæ defenſionem , æternæ ſalutis negotium peragitur ; & antiquæ Parentum noſtrum leges , quas pro evangelicæ paupertatis cuſtodienda diſciplina rogarunt , illuſtrantur .

Cetera diſciplinæ noſtræ præcipua capita ſub examen inducam , in Congregationum , quæ a Beato Raymundo Capuano ad hæc uſque tempora floruerunt , hiſtoria , quam ſi Deus vitam , firmamque valetudinem dederit , adpromitto . Ultro vero in antecelſum fatemur , nos opus iſtud a multo tempore deliberatum , animo retentum , multumque agitatum , ſed variis diſtentos curis intermiſſum , pro dignitate haud poſſe perficere . Quoniam conditio noſtra non fert , Provincias , & archiva Ordinis luſtrare , quod ceteroquin opus eſſet , ad plenam viciſſitudinum , rerumque geſtarum narrationem . Ea interim dabimus , quæ majore , qua potuimus , diligentia , collegimus . Unius duntaxat Congregationis B. Jacobi Salomonii exactam notitiam ſpondemus ; eo quod documenta omnia præſto ſunt . Quippe Majores illius Congregationis diligentiæ minime pepercerunt , ut quæ ſcitu digna erant , ſcriptis conſignarent . Hos inter emicat P. Marcus Antonius Sterni qui breve quidem , ſed exactum Chronicon ab initio illius Congregationis ad ſua uſque tempora compoſuit , vernaculo ſtylo , & ſimplici , ſed veridico . Illius meminit Pater Jacobus Echardus *Tom. 2. de Script. Ord. pag. 666.* his verbis . „

bis. „ Frater Marcus Antonius Sterni Vir Regularis
„ diſciplinæ rigidiſſimus cuſtos, & aſſertor. Hæc
„ ejus laudantur opera &c. *Chronicon erectionis, &*
„ *incrementi Congregationis B. Jacobi Salomonii in Pro-*
„ *vincia S. Dominici Venetiarum MS.* „ Plura quoque hoc de argumento ſcripta reliquit Pater Daniel Danieli Regularis obſervantiæ ſtrenuus cultor, & rerum noſtrarum diligentiſſimus ſcriptor. Qua de cauſſa iſtius Congregationis hiſtoriæ contextus facillimus nobis erit.

Ad hæc autem omnia in lucem emittenda magnos mihi addet animos, ſi intellexero, te has, quas nunc edo diſſertationes, æqui, bonique factum eſſe, de quo ne dubitem, illud in primis facit, quod opinationes, quas impugnare debeo, adeo inanes, & futiles ſunt; contra vero tam manifeſta veritas eſt, quam propugnandam ſuſcepi, ut in certam ſpem animum meum erigam, victoriam me obtenturum fore, qualis etiam cumque ſit tenuitas mea. Accedit, quod cum Conſilia noſtra præcipue eo ſpectent, ut primorum Parentum noſtrorum Sanctitatem, & evangelicam paupertatem ab impoſturis, & fabulis vindicemus, eorumdem Divorum opem nobis non defuturam, certo confidimus. Reliquum nunc eſt, ut benevolo lectori fidem obligemus noſtram, tales oſtendendi Pornaſii, aliorumque errores, quales jam indicavimus: alios videlicet manifeſte veritati oppoſitos, alios pugnare cum Sancto Dei Verbo, diſciplinam noſtram evertere, Divis noſtris maculas intentare, univerſi Ordinis ſplendori tenebras

offundere, atque adeo Pornaſii doctrinam ſevera cenſura perſtringendam eſſe. Quæ omnia, ſi pro dignitate præſtiterimus, de veritate, de Ordine, de diſciplina, de Divis noſtris benemereri jure poſtulamus, & volumus. Id modo unum Lectorem noſtrum rogamus, atque obteſtamur, ut a ferenda ſententia uſque dum animum ſuum cohibeat, donec utriuſque partis mente ſeria, & præjudiciis vacua, momenta libraverit.

I N-

INDEX
CAPITULORUM
DISSERTATIONIS PRIMÆ.

CAPUT PRIMUM.

Paupertas, quam Divus Patriarcha Dominicus ſuis Fratribus ſervandam impoſuit, ejuſdemque viciſſitudines hiſtorica narratione deſcribuntur. *pag.* 3.

CAPUT II.

Paupertatem hactenus deſcriptam, in Capitulo, ut vocant Storearum, *Divum Dominicum a Seraphico Patriarcha Franciſco didiciſſe, docent Franciſcani Scriptores. Eorum exponitur ſententia, quam defendendam ſuſceperunt Bollandi Continuatores. pag.* 9.

CAPUT III.

Divum Dominicum exemplo Seraphici Patriarchæ Franciſci permotum decreviſſe ab Ordine ſuo poſſeſſiones abdicare, pura, putaque fabula eſt. Codices id referentes, aut ſuppoſititii, aut interpolati. Conjecturæ, & rationes, quibus Cenſores Antuerpienſes hanc Minoritarum ſententiam defendere conantur, vanæ, & ineptæ. pag. 12.

CAPUT IV.

Præſentia Divi Dominici in Capitulo Storearum *commentitia. Quæ eundem ibidem peregiſſe, narrantur, fabuloſa. Reſponſa, quæ excogitarunt Editores Actuum Sanctorum Antuerpienſes ad eludenda argumenta Jacobi Echardi, minus ſolida.* *pag.* 25.

** CA-

CAPUT V.

Divus Patriarcha Dominicus morti proximus in recipientes poſſeſſiones, & redditus maledictionem omnipotentis Dei, & ſuam pronunciavit. Perperam eam denegant Bandellus, Pornaſius, Vignerius Meſplede, & Paſſerinus. pag. 39.

CAPUT VI.

Hiſtorica narratio paupertatis, quæ a Divi Dominici tranſitu, uſque ad Concilium Tridentinum in Ordine Prædicatorum, viguit. pag. 46.

DISSERTATIONIS SECUNDÆ.

CAPUT PRIMUM.

S*Yſtema totius tractatus* de communi & proprio Religioſorum *P. Magiſtri Raphaelis de Pornaſio, paucis exponitur.* pag. 58.

CAPUT II.

Confutatio eorum, quæ præcedenti capite relata ſunt. Integram Regulam B. Auguſtini Ordo Prædicatorum profitetur. Craſſiſſima allucinatio eſt Pornaſii aſſerentis, omnimodam communitatem, quam præfata Regula præcipit, rejectam fuiſſe ab Ordine Prædicatorum. pag. 63.

CAPUT III.

Commentitia ſunt prima duo rationum monumenta, queis evincere Pornaſius contendit, Ordinem D. Dominici illam Auguſtinianæ Regulæ partem rejeciſſe, quæ rerum exactam communitatem præcipit. pag. 68.

CAPUT IV.

Tertia expenditur Pornaſii ratio. Hæc cum Verbo Dei pugnat, & gravi Cenſuræ obnoxia eſt. pag. 72.

CA-

CAPUT V.

Divus Thomas a Pornaſio in ſua tertia ratione perperam traductus. Ejus allucinatio retegitur. Quarta ſeu ultima illius ratio vana. pag. 76.

CAPUT VI.

Documenta, quæ Pornaſius capite ſecundo ſui libelli in favorem peculiorum profert, interpolationibus, & violentis interpretationibus in pravum ſenſum contorquet. pag. 82.

CAPUT VII.

Ad Criſim revocantur alii textus, quos ex conſtitutionibus pro ſua opinione, Pornaſius allegat. pag. 85.

CAPUT VIII.

Documenta, quæ ex primis Generalibus Comitiis Pornaſius obtrudit, ſuæ opinioni minime favent. pag. 93.

CAPUT IX.

Ceteri textus, quos Pornaſius objicit ex primis Comitiis, ut evintat, Primos Parentes Ordinis Prædicatorum, non Apoſtolicam ſervaſſe communitatem, ſed privatas habuiſſe pecunias, oppoſitum probant. pag. 99.

CAPUT X.

Exploditur fabula de ſexaginta Scutis aureis, vel argenteis, quæ Divum Thomam ad ſuos privatos uſus habuiſſe, in Pornaſii libello aſſeritur. Corriguntur quoque alii Scriptores hac in re aberrantes. pag. 105.

CAPUT XI.

Vera Dominicanæ paupertatis notio. Hiſtorica depoſitorum narratio, & conditiones, quibus in Ordine noſtro permiſſa interdum fuerunt, deſcribuntur. Peculia, quæ alicubi hac noſtra ætate ſerpunt, vi ipſarum legum depoſita permittentium, proprietatis vitio infecta ſunt. pag. 113.

C A P U T XII.

Univerſæ Diſſertationis brevis complexio. *pag.* 125.
Diſſertatio Hiſtorica de origine Diſcipline Regularis, primum in Ordine Prædicatorum per B. Raymundum de Vineis inſtauratæ. *pag.* 131.

C A P U T P R I M U M.

Collapſæ in Ordine Prædicatorum Diſciplinæ cauſſæ; & reformationis origo. *pag.* 136.

C A P U T II.

B. Raymundus reformationis fundamenta primum in Germania ponit. Legem in Comitiis Generalibus condi jubet, qua ſingulis in Provinciis unum, vel plura Cœnobia pro regulari obſervantia deſignari præcipitur. Statutum iſtud, ſuis litteris Pontificio diplomate firmatis, univerſo Ordini indicit. *pag.* 140.

C A P U T III.

Reformationis obſtacula, querelæ, & calumniæ adverſus Raymundum. Is prolixa Apologia omnia convellit. *pag.* 145.

C A P U T IV.

Raymundus diſciplinam in Italia reparat B. Dominici de Banchinis opera. Reformationis primordia in Cœnobio S. Dominici Venetiarum. *pag.* 157.

C A P U T V.

Diſciplinæ Regularis inſtauratio in diſſita Italiæ Cœnobia, & in alterum Venetum SS. Joannis & Pauli propagatur. *pag.* 160.

C A P U T VI.

Joannes Dominici Vicarius Generalis Conventuum reformatorum in Italia inſtituitur. Initia celeberrimæ Congregationis Langobardiæ. Aberrationes Ludovici Meſplede corriguntur. *pag.* 166.

C A-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Raymundus Nuncius Apoſtolicus ad Regnum Trinacriæ inſtituitur. Plura adverſus Reformationem obſtacula, conſtitutione Pontificia removentur. Raymundus Panormi reformatos Fratres ſuis litteris conſolatur; Reformationis oſores compeſcit. pag. 176.

CAPUT VIII.

Ex deſcriptis Raymundi litteris, ejuſdem pro reparanda diſciplina conſilium plenius explicatur. Erronea quorundam intelligentia. pag. 188.

CAPUT IX.

B. Raymundus prudentiſſime ſtatuit, ſolos voluntarios Fratres in Cœnobiis reformatis collocare. Non ob id excuſantur nolentes ingredi. Qui ingreſſi ſunt ad Conventus relaxatos ſi tranſeunt, peccant mortaliter, & in extremum damnationis periculum ſe ſe conjiciunt. pag. 191.

CAPUT X.

E Sicilia Venetias B. Raymundus concedit. In Conventu Sanctorum Joannis, & Pauli moratur, plura in reformationis favorem decernit. Thomæ de Senis facultatem impertit recipiendi pias mulieres ad habitum de pœnitentia Divi Dominici. pag. 196.

CAPUT XI.

B. Raymundus in Germaniam proficiſcitur. Venetiis in Cœnobio Sanctorum Joannis, & Pauli, ſæviente peſte, plures Sanctitate celebres e vivis excedunt. Thomas de Senis Prior Provincialis Græciæ inſtituitur. pag. 200.

CAPUT XII.

Nova adverſus reformationem procella. Regularem obſervantiam litterarum ſtudio officere. Raymundus ſuis litteris obloquentes compeſcit. pag. 205.

CAPUT XIII.

B. Raymundus Fratres obſervantes ad perſequutionum toleran-tiam

Digitized by Google

tiam inflammat, ſeveras minatur perſequutoribus pœnas. Diuturna infirmitate, & extrema penuria Coloniæ laborat, ſuppetias poſtulat. In Italiam meditatur regreſſum. Piſas adeundi, reformationis cauſſa, Joanni Dominici poteſtatem facit. pag. 208.

APPENDIX.

Continens Epiſtolam, quam de Miraculis B. Marcolini Forilivienſis ſcripſit B. Joannes Dominici ſuo Magiſtro Generali Raymundo Capuano. pag. 217.

QUÆSTIO MORALIS.

De Regularibus, qui, ſuæ Religionis habitu dimiſſo, larvam aſſumunt, ut vel Theatris, & ſpectaculis adeſſe, vel per vicos, & plateas liberius excurrere valeant, pag. 227.

§ I.

Regulares, qui, depoſito ſuæ Religionis habitu, eo animo larvam aſſumunt, ut ſpectaculis adeſſe, aut liberius per vicos, & plateas diſcurrere poſſint, peccant mortaliter juxta communem Theologorum ſententiam. pag. 229.

§ II.

Regulares larvam aſſumentes, eo animo, ut vel Theatris adeſſe, vel ut liberius per vicos, & plateas excurrere poſſint, non modo peccant mortaliter, ſed excommunicationem reipſa incurrunt. pag. 235.

ER-

ERRATA				CORRIGE.
Pag.	1.	l. 7.	Patriarca	Patriarcha
Pag.	23.	l. 22.	odioſi	otioſi
Pag.	26.	l. 34.	inter	iter
Pag.	45.	l. 5.	Tom. 5.	Tom. 1.
Pag.	52.	l. 17.	perentorium	peremtorium
Pag.	70.	l. 23.	cedit	credit
Pag.	70.	l. 24.	Fariſei	phariſæi
Pag.	77.	l. 31.	Nos	Nobis
Pag.	79.	l. 35.	neceſſaria	neceſſario
Pag.	97.	l. 17.	portendere	prætendere
Pag.	115.	l. 31.	ut	aut
Pag.	120.	l. 20.	& propriis	& pro iis
Pag.	124.	l. 29.	impartiendi	impertiendi
Pag.	140.	l. 12.	ordo noſter	ordinem noſtrum
Pag.	145.	l. 28.	nulloque dolo	nullique dolo
Pag.	169.	l. 29.	utriuſque generis	cujuſque generis
Pag.	172.	l. 11.	& proprio cœtu	ex proprio cœtu
Pag.	175.	l. 28.	num	nunc
Pag.	197.	l. 1.	deliget	delegit
Pag.	217.	l. 19.	Forolivienſis	Forilivienſis.

NOI

Digitized by Google

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed Approbatione del P. *Fr. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore*, nel Libro intitolato *Commentarius Hiſtoricus Apologeticus, in duas diſſertationes tributus pro diſciplina paupertatis, quam Divus Patriarcha Dominicus in ſuo Ordine conſtituit*, non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni Coſtumi, concedemo Licenza a *Steffano Monti Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. 18. *Luglio* 1735.

(Z. Pietro Paſqualigo Rif.
(Michiel Moroſini Kav. Rif.
(

Agoſtino Gadaldini Segr.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIUS
HISTORICO-APOLOGETICUS
IN DUAS DISSERTATIONES TRIBUTUS

PRO

DISCIPLINA PAUPERTATIS,

QUAM DIVUS

PATRIARCA DOMINICUS

IN SUO ORDINE CONSTITUIT.

DISSERTATIO PRIMA.

QUONIAM Magiſter Raphael de Pornaſio cauſſam ſuam ad vetuſta Ordinis noſtri monumenta, primaſque leges, & conſtitutiones, quas majores noſtri ediderunt, revocat; iccirco priuſquam de ejus opinione dicere inſtituo, in rem meam fore arbitror, diſputationem totam a ſuis principiis arceſſere. Quod ut clare, diſtinctcque, ac optimo ordine præſtem, Commentarium hunc in duas tribuere Diſſertationes ſtatui. In prima hiſtoriam diſciplinæ paupertatis Dominicanæ texam ab ordinis inſtitutione ad Concilium uſque Tridentinum. Iſtius diſciplinæ hiſtoricam narrationem, cum a domeſticorum, tum ab externorum vanis interpretationibus vindicabo, anileſque hac de re confictas fabellas, occaſione oblata, in nihilum redigam. Ea præcipue accuratio-

Digitized by Google

ratiore examine expendam, quæ Continuatores Bollandi ſcribunt de commenticia Divi Dominici præſentia in Capitulo, quod dicitur *Storearum* Aſſiſii celebrato; & de paupertate, quam illum ibidem primum didiciſſe a Seraphico Patriarcha Franciſco oſtendere adnituntur. Quæ omnia anticriticis animadverſionibus falſiſſima, niſi me ſuſcepti negotii amor fallat, evincam. Secundam vero diſſertationem totam abſumet Pornaſii confutatio, quæ eſt inſtitutæ controverſiæ caput primarium, Idcirco, nihil eorum omittam, quæ ad veritatem in tuto collocandam, & ſartam tectam tuendam, neceſſaria fore cognovero,

C A-

CAPUT PRIMUM.

Paupertas, quam Divus Patriarcha Dominicus in ſuo Ordine conſtituit, ejuſdemque viciſſitudines deſcribuntur.

I. CUM primum Sanctus Patriarcha Dominicus de Ordine ſuo conſtituendo cogitare cœpiſſet, animo quoque ſtatuerat fundos, certoſque redditus ab eodem Ordine abdicare. Congruum tamen nequaquam duxit ipſo ſtatim initio, hanc extremæ paupertatis formam ſtabilire. Imo ante ordinis confirmationem a Summo Pontifice obtentam, agros villaſque ſibi a piis Chriſti fidelibus ſponte oblatas accepit ad ſe, ſociosque, quos jam ſibi adjunxerat, ſuſtentandos, ut Chroniſtæ omnes adfirmant. Theodoricus *lib.* 1. *c.* 11. de poſſeſſionibus, quas Simon Monfortius D. Dominico, ſociiſque dedit, hæc ſcribit. *Annuentibus etiam hæredibus, Principe digna munificentia dedit ei, & qui eum eſſent ſecuturi Caſtrum inſigne, quod Caſſanuel, ſive Fanum Jovis appellatur; itemque alia, unde ſe, ſuoſque ſuſtentare potuiſſet.* Caſſanuel, & Fanum Jovis diſtincta eſſe oppida pro certo habet Malvenda in *Annal. Ord. ad ann.* 1215. *cap.* 4. Et hoc evincit ex Vincentio Bellovacenſi, qui *ſpeculo Hiſt. lib.* 29. *cap.* 105. hæc ſcribit. *Igitur Servus Dei Dominicus apud Deum, & homines gratia proficiebat, & fama: Hæreticos vero torquebat invidia; prædicationi vero pro viribus inſiſtebat; habebat vero ad ſui, & ſuorum ſuſtentationem Eccleſiam Fani Jovis, & quædam alia: Caſtrum etiam inſigne, quod dicitur Caſſanuel ſibi a Comite Monfortis collatum, cujus Comitis erga eum fervebat devotio, & ſpecialis dilectio. De omnibus vero, quæ habebat B. Dominicus, quidquid ſibi ſuiſque Sociis ſubtrahere poterat Dominabus Monaſterii de Pruliano impartiri ſtudebat. Manſit autem in eiſdem partibus quaſi ſolus annis fere decem: a tranſitu videlicet Beatæ memoriæ Didaci Oxomenſis Epiſcopi, uſque ad illud tempus, quo Lateranenſe*

Digitized by Google

Concilium celebratum eſt. Eadem ſcribit Flaminius : Donationem iſtam Chronicon Humberti, & Bernardus Guido illigant anno 1214. Malvenda vero anno 1215., quamvis poſtea hanc diſcrepantiam conciliet hoc pacto : quod anno 1214. donatio incœpta fuerit; anno vero 1215., quo Concilii Lateranenſis decreto Albegenſium Terris, donatus Monfortius eandem firmavit donationem D. Dominico, ſociiſque anno ſuperiore factam. Hancque opinionem probabiliorem cenſemus.

II. Præter laudatum Monfortium Fulco Epiſcopus Tholoſanus, aliique Nobiles viri bona non pauca D. Dominico imperiti ſunt hoc eodem anno 1215., ubi narrat Chronicon Humberti apud eundem Malvendam *loc. laudato Cap. V. Porro inſtante tempore, quo Prælati ſe parabant ad eundum ad Concilium Lateranenſe, quidam magnus de Tholoſa Petrus Scillanus nomine ſe, & domos nobiles, quas habebat juxta Caſtrum Narbonenſe* (Caſtrum Narbonenſe Palatium erat Simonis Monfortis intra eandem Civitatem Tholoſanam) *in eadem Civitate, obtulit D. Dominico, in quibus primo apud Tholoſam ipſe cum ſuis adhærentibus habitavit, & ibi moribus Religioſorum ſe conformare cœperunt. Epiſcopus vero Tholoſanus, vir Sanctus, & Fidei zelator Fulco nomine ſextam partem decimarum cum conſenſu Capituli dedit eis ad libros, & neceſſaria, ſperans ſe habiturum eos fideles pugiles ad hæreſim expugnandam*.

De hac eadem donatione Theodoricus de Apoldia lib. 1. cap. 11. hæc ſcribit. *Porro Epiſcopus Tholoſanus vir bonus, & Sanctus zelator Fidei S. Dominicum impenſe amans, lætus novam oriri ſalutem, conſentiente Collegio ſuo, ad libros, aliaque neceſſaria comparanda ſextam decimarum omnium partem ei donavit. Obtulerunt ſe etiam ei duo Tholoſani boni viri, Frater Thomas homo facundus, & gratioſus, & frater Petrus de Scillano, qui inſignes ædes, quas Tholoſæ habebat ei largitus eſt. Tum verò, qui cum B. Dominico erant, cœperunt ſe ad Religioſorum, ſive Monachorum mores accommodare. Necdum enim prædicatorius ordo inſtitutus erat, ſed quædam jam concepta, & de illo inſtituendo deliberabatur*.

III. Donationem, quam Petrus Scillani, ſeu Cellani B. Dominico largitus eſt, expreſſius deſcribit Bernardus Guido Inquiſitor Tholoſanus in commentario de rebus Ordinis apud eundem Malvendam loco laudato. *De iſtis duobus Tholoſanis ita ſcribit Venerabilis P. Magiſter Jordanus in libello ſuo de principio Ordinis. Ingruente tempore, quo ad Lateranenſe Concilium Romam adire cœperunt Epiſ-*

copi,

copi, obtulerunt ſe Sancto Dominico duo probi viri idonei de Tholoſa, quorum unus fuit Frater Petrus Cellani, qui fuit Prior Lemovicenſis, alter vero Frater Thomas vir admodum gratioſus, & ſermone facundus. Horum primus nobiles, & inſignes, quas Tholoſæ, circa Caſtrum Narbonenſe, domos poſſederat, obtulit & dedit Sancto Dominico, & ejus ſociis. A quo tempore cœperunt primum apud Tholoſam in eiſdem domibus commorari, atque ex tunc omnes, qui cum ipſo aderant magis, ac magis ad humilitatem deſcendere, & Religioſorum ſe moribus conformare. Præfatus Frater Petrus, poſtmodum ludendo dicebat ſæpius, quod ipſe ordinem in ſuis videlicet domibus, non Ordo ipſum recepiſſet. In iiſdem vero domibus Inquiſitores Pravitatis hæreticæ poſtmodum habitaverunt Tholoſæ. Leander Albertus de viris illuſtribus *lib.* 5. Malvenda ad annum 1215. *cap.* v. Caſtillius *par. pr. lib.* 1. *cap.* xv., nullo producto documento laudatos Petrum, & Thomam germanos fratres aſſerunt, amboſque proprias ædes D. Dominico donaſſe. At B. Jordanus ſcriptor Synchronus, & Theodoricus de Apoldia contrarium docent.

IV. Redactis ædibus ſibi oblatis ad Monaſticam (prout res ferebat) formam, D. Dominicus una cum ſociis ſub arctiore diſciplina vivere cœpit, atque hoc anno 1215. Ordinis ſui, cujus, a pluribus annis, inſtitutionem meditabatur, fundamenta poſuit. Ut vero confirmationem ab Apoſtolica Sede impetraret; cum Fulcone Epiſcopo Tholoſano Romam conceſſit hoc eodem anno 1215., Concilioque Lateranenſi, ut ejuſdem Epiſcopi Theologus, interfuit. Soluto Concilio, & obtenta ab Innocentio III. tum facultate unam ex antiquis Regulis ſeligendi, tum promiſſione ſub tali regula Ordinem confirmandi, Tholoſam rediit, ſocioſque ſuos apud Prulianum convocavit, ubi Pontificis benigna voluntate expoſita, unanimi conſenſu, præ cæteris Regulis, Auguſtinianam delegerunt, unaque decrevere poſſeſſiones, redditusque omnes, quos Regula iſta permittit, opportuno tempore abdicare. In cujus rei Teſtem adfero Vincentium Bellov. in *ſpecul. Hiſt. lib.* 39. *cap.* 66. *Regreſſus igitur poſt Celebrationem Concilii Vir Dei Dominicus Verbum Summi Pontificis fratribus patefecit. Erant autem Fratres numero ſexdecim. Qui mox, invocato Spiritu Sancto, Regulam Sancti Auguſtini Doctoris, & Prædicatoris egregii ipſi pariter re, & nomine Prædicatores futuri unanimiter elegerunt. Quaſdam quidem arctioris vitæ conſuetudines, quas ſibi per formam conſtitutionum obſervandas ſtatuerunt; inſuper aſſumentes. In quo Pater providus circa Ordinis ſui componenda primordia;*

dia, præcedentium Patrum non dedignatus veſtigia, ſic medium tenuit, ut eis, qui naſcerentur, & exurgerent, Filiis, & in quo ſtarent, modus debitæ perfectionis adeſſet, & quo poſſent accedere per profectum continuum, non deeſſet: non ignorans, quod ſcriptum eſt: Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum Diem. Et hoc ſatis conſulte, ne dum ſe ſtatim in altum ſupra modum extenderet ſuccedentes in poſterum retrocedere potius quam procedere cogerentur; ſicque merito contra illos Evangelicum illud improperium diceretur: Iſte Ordo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Quapropter ne Prædicationis, cui ſummopere debebant intendere, impediretur officium, PROPOSUERUNT EX TUNC TERRENAS POSSESSIONES, ET REDDITUS PRORSUS ABJICERE, quod poſtmodum in primo Capitulo Generali Bononiæ celebrato affectu pariter, & effectu per conſtitutionem immobilem perpetuæ fuit executioni mandatum. Eadem ſcribunt Theodoricus de Apoldia, S. Antoninus, Flaminius, cœterique Ordinis Chroniſtæ.

V. Selecta apud Prulianum Divi Auguſtini Regula, veſtigia Romam relegit D. Dominicus anno 1216., & varias poſt difficultates, Ordinis confirmationem ab Honorio III. Innocentii III. e vivis ſublati, ſucceſſore, obtinuit. Tunc tamen expediens minime duxit, conceptam de bonorum ſtabilium abdicatione legem prodere; ſed in opportunum tempus exequendam diſtulit. Confirmatus igitur Ordo fuit cum poſſeſſionibus, & redditibus, ut ex Bulla confirmationis ab eodem Honorio III. die 22. Decembris anni 1216. data, quæ incipit: *Religioſam vitam*, conſtat. *Prætereа quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona, eadem Eccleſia* (S. Romani Civitatis Tholoſæ) *impræſentiarum juſte, & Canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma Vobis, veſtriſque Succeſſoribus, & illibata permaneant.* Et alia Bulla ejuſdem Honorii, quæ incipit: *Nos attendentes . . . . . Confirmamus Ordinem tuum cum omnibus Caſtris, & poſſeſſionibus habitis & habendis &c.*

Ob hoc tamen, propoſitum ſuum de rejiciendis poſſeſſionibus haudquaquam mutavit, ſed data occaſione, futuræ executionis argumenta exhibuit: anno ſiquidem 1219. dum Bononiam appulit aliquorum donationem prædiorum ſuo Cœnobio Bononienſi factam reſcindi juſſit, ſicuti teſtatur Frater Rodulphus Faventinus tunc Procurator ejuſdem Conventus, & ſextus Teſtis in proceſſu Canonizationis D. Dominici. *Mirificus erat Vir Dei paupertatis*

tis amator, ad cujus amorem ſuos quoque adbortabatur; cujus quidem rei, ut alia taceam, illud mibi inditio fuit, quod ſtatim ubi Bononiam venit, Odoricus Gallicanus quædam noſtro Monaſterio prædia donare voluit, & jam coram Urbis Epiſcopo ſcripta erat per Tabellionem donatio: quod ubi novit Frater ipſe Dominicus reſcindi chartam coram eodem Epiſcopo voluit, dicens, velle ſe, ut ſui Cœnobitæ mendicato in ſingulos dies cibo, & quidem parce viverent, nec ultra id, quod in ſingulos dies neceſſarium foret, quærerent: ut autem baberent prædia, nullo ſe pacto permiſſurum. Eadem ſcribit Theodoricus *lib.* 3. *cap.* 9. Flaminius, Garzo, & alii.

VI. Anno tandem 1220., congregato primo Generali Capitulo Bononiæ, legem apud Prulianum anno 1215. una cum ſuis ſexdecim Sociis conceptam, & integro quinquennio meditatam de poſſeſſionibus abdicandis, ritu ſolemni rogavit. Quare mendum irrepſit in Magiſtrorum Generalium Chronicon editionis Romanæ anni 1690., in quo Cap. III. falſo aſſeritur, legem de renuntiatione poſſeſſionum factam eſſe in Capitulo Generali Bononienſi ſecundo, anno 1221. celebrato, cum manifeſtum ſit, hanc legem conditam eſſe in primo Bononienſi Generali Capitulo, anno 1220. celebrato; hocque habetur vel in ipſis conſtitutionibus *diſ.* 2. *cap.* 1. *in gloſ. ad tex. III. lit. H.* idque penes omnes compertum. *Ibi paupertas Evangelica*, inquit Theodoricus de Apoldia lib. 1. cap. 4. *primarius lapis fuit. Abjecerunt enim ſtatuto perpetuo poſſeſſiones, & redditus temporarios, etiam illis renunciantes, quæ apud Tboloſam babuerunt, paupertatem Cbriſti Ægyptiorum divitiis præferentes.*

VII. Promulgatæ per ordinem legi parere detrectarunt Tholoſani Patres, atque cum ipſo Sanctiſſimo Patriarcha per litteras ultro citroque datas, contentionem habuerunt, ut vult Malvenda ad ann. 1221. cap. 2., ac tandem ad Honorium Pontificem Summum appellarunt; & Tholoſa profecti Romanum iter ſuſcepere, ſed Bononia tranſeuntes, a Magiſtratu Bononienſi, Divo Dominico curante, curſum ſiſtere coacti ſunt, atque Sanctiſſimi Patriarchæ efficaciſſimis ſuaſionibus ad meliorem frugem redacti, Tholoſam repetiere. Factum narrat Flaminius apud Malvendam ad annum 1221. *Cum Tboloſani quidem Prædicatores banc rem, nempe de relinquendis poſſeſſionibus, & bonis moleſte ferrent, & ne auctoritate juſſi Apoſtolica nolle parere Synodo Bononienſi viderentur, nec etiam vetus indumentum deponere, ac Virgineum accipere, Pontificem Maximum appellarunt, qui cum Roma ea de cauſſa ituri*

Digitized by Google

ituri prius Bononiam venirent, graviter mulctati ſunt. Nam petente Beato Dominico, Bononienſis Magiſtratus Nummos, quos ſecum attulerant, & Equos illis ademit, & ut continuo Tholoſam abirent, juſſit vir Sanctus. Qui demum ſibi ipſi diſplicentes, & factum ſuum improbantes Synodo paruerunt, & juſſum indumentum acceperunt.

Hoc idem affirmat Antonius Senenſis in Chronico pag. 21. *Eodem anno, cum Fratres aliquot Tholoſanæ Provinciæ nollent recipere habitum Ordinis, quem Sacratiſſima Virgo B. Reginaldo dederat, & in Ordine noſtro geſtandum monſtraverat, ſed antiquum, quo primum uſus fuerat P. Dominicus, nec vellent poſſeſſiones abdicare, prout ante in generali Capitulo fuerat ordinatum, ut de his apud Apoſtolicam Sedem verba facerent, Romam proficiſcebantur. Dum vero illi Bononiam perveniſſent, ubi tunc temporis erat glorioſus P. Dominicus, ab illo de hac re fuerunt reprehenſi, & illi ad obtemperandum divinitus inclinati, & ita Tholoſam mox reverſi ſe in habitu, & abdicatione poſſeſſionum, & redditaum cæteris conformarunt, & poſſeſſiones univerſas abdicarunt, Monialibus noſtri Conventus Pruliani eas donantes*. Eadem narrat Caſtilius *lib.* 1, *cap.* 51.

VIII. Animadvertit Malvenda loco laudato, D. Dominicum, antequam in Capitulo Generali Bononienſi legem abdicandarum poſſeſſionum rogaret, eam prius cum Honorio Summo Pontifice contuliſſe, atque de ejus aſſenſu omnia circa ſublimem in ſuo Ordine ſtabiliendam paupertatem decreviſſe. Paucis enim ante menſibus Romæ fuerat Vir Sanctus, Pontificemque Summum allocutus. Neminem igitur offendere debet, quod Fratres Tholoſanos ab appellatione ad Pontificem recedere juſſerit: perſpectum enim habebat ipſe, omnia in Capitulo geſta, præcipue ſtatuta de abjiciendis poſſeſſionibus, Honorium Pontificem approbaſſe, & ideo Tholoſanorum Fratrum appellationem nullo modo admiſſurum. Quapropter, ne Fratres minus obſequentes, imo & tumultuantes, ac refractarios ſeſe Romanæ Curiæ proderent, provide, ſapienterque ab incepto itinere remoratos, & cœleſtibus monitis inſtructos ad proprios lares remiſit. Quo, cum perv niſſent illico in perfectæ obedientiæ argumentum Poſſeſſiones Monialibus Monaſterii Pruliani donarunt. Cæterum, quod attinet ad factum iſtius appellationis Fratrum Tholoſanorum, cum in antiquis ſcriptoribus nulla fiat mentio, penes citatos authores fides ſit; nec enim preſſius diſpicere vacat. Tandem, ut Fratres Prædicatores ab omnibus rerum terrenarum curis expediti ferventius ad ſtudia litte-

Digitized by Google

litterarum, ad Conciones, confeſſioneſque excipiendas incumberent, Scriptores affirmant, Sanctum Dominicum in hoc ſuo primo Generali Capitulo legem ſtatuere voluiſſe, qua omnium rerum Temporalium ex quotidianis incertiſque eleemoſinis comparandarum cura ad Fratres, quos Converſos dicimus deferretur, ſed Fratres Presbyteri interceſſere. Rem narrat Theodoricus de Apoldia *lib.* 4. *cap.* 4. his verbis. *Initio quidem decreverat vir Sanctus ut Laici illitterati fratres temporalia adminiſtrarent: Cæteri Fratres orationi, meditationi, prædicationi vacarent; ſed ad ejuſmodi adminiſtrationem non aſſenſere illi prudentiores aliquot Fratres veriti, ne quas ea pareret abſurditates.* Eadem ſcribit Flaminius in vita ejuſdem Patriarchæ. *Voluit etiam B. Dominicus, ut ab his tantum, qui converſi dicuntur, temporalia tractarentur, & a reliquis ſpiritualia, ne quid illorum ſtudiis, ne quid prædicationibus, & Divinis Officiis impedimento eſſent. Sed non permiſere deffinitores veriti, ne Prædicatoribus accideret, quod, & Grandimontenſibus, qui ob talem cauſſam defeciſſe dicebantur; quorum Sententiam vir Sanctus æquo animo tulit, & approbavit.*

C A P U T II.

Paupertatem hactenus deſcriptam in Capitulo, ut vocant Storearum *Divum Dominicum a Seraphico Patriarcha Franciſco didiciſſe, docent Franciſcani Scriptores. Eorum exponitur Sententia, quam defendendam ſuſceperunt Bollandi Continuatores.*

I. UT exactam Dominicanæ Paupertatis hiſtoriam exhibeam, invita minerva, a quorumdam figmentis eam afferere cogor. Scriptores Seraphici Ordinis non pauci recentiores propugnant, Divum Dominicum paupertatem fundorum, redituumque expertem, non a ſemetipſo inventam, ſed a Sancto Patriarcha Franciſco in Capitulo, quod dicitur *Storearum*, primum perceptam ſuis ſervandam impoſuiſſe Fratribus. Cum ad hanc ſcribendam diſſertationem animum apuleram, firma mihi ſententia ſteterat, alto ſilentio iſtam præterire controverſiam invidiæ potius, quam utilitatis plenam: Cum quod eam plures ordinis mei Scriptores verſarunt, tum quod a nulla litteraria concertatione indoles mea magis abhor-

reat, quam ab ea, in qua proprias aras, focoſque utraque pars ſæpe numero præter modum, & veritatem efferre, pro ſuo affectu, conatur. At quantumcumque ſtabile mihi eſſet conſilium ab hocce ſcribendi genere temperandi; illud, pro mea fateor ſinceritate, abrumpere me vel nolentem coegerunt continuatores Bollandi, qui delicias ſibi fecerunt hanc litem diligentius, & liberaliori, quam par erat in Franciſcanos ſtudio, refricare, duobus integris paragraphis ſuorum in geſta Divi Dominici commentariorum, nempe trigeſimo tertio, & trigeſimo quarto. Non igitur eo hanc diſputationem inſtituo, quod cenſeam, vel tantillum Sancti Dominici decus, honoremque tangi; ſive ipſe excogitaverit eam paupertatis rationem, quam primo in Capitulo Generali Bononienſi, ſibi ſuiſque filiis ſervandam præſcripſit; ſive a Divo Franciſco in laudato Capitulo ſtorearum didicerit; ſed ſolum, ut veritas facti (qualecumque illud ſit) priori capite aſſerta conſtet, errorque contrarius abigatur: quod nemo certe mihi vitio verterit, dum animo reputaverit, innumeras in quovis rerum genere a litteratiſſimis viris fieri diſputationes, quibus nihil præter ſterilem veritatem aſſequendam, aut inimici erroris eliminationem, propoſitum eſt.

II. Docent itaque Minoritarum ſcriptores non pauci, Seraphicum Patriarcham Franciſcum Anno MCCXIX. in Sacro Pentecoſtes Feſto Aſſiſii Capitulum Generale convocaſſe, quod dicitur *Storearum*, eo quod in tuguriis, & caſulis, ſtoreis compactis, Fratres inhabitarent, cui interfuiſſe adfirmant Divum Dominicum. Hunc autem, conventum, cum vidiſſet quinque millia Fratrum, ſine ullo commeatu, ſiniſtram de Patriarcha Franciſco animo concepiſſe opinionem ferunt; eidemque imprudentiæ notam impegiſſe; ac ſi minus providus, neglectis humanæ induſtriæ ſubſidiis, miracula abſque neceſſitate expectaret; ſed viſo poſtea prodigio, quo ſuperna Dei Providentia tantæ Religioſorum multitudini alimenta copioſe ſubminiſtravit, ad pedes Franciſci provolutum, propriam culpam ei confeſſum fuiſſe, veniamque precatum. Porro jam tum Divum Dominicum, Monachos ſpei modicæ arguiſſe, quod agros comparantes, Divinæ Providentiæ diffiderent. Quamobrem certo apud ſe decreviſſe, fundos, certoſque redditus omnes ab Ordine ſuo ejicere, nec ullos in poſterum admittere. Unde inferunt hanc unicam fuiſſe cauſſam, ob quam in prima Generali ſua Bononienſi Synodo agros, redditusque jam receptos abdicaverit, &, ne deinceps reciperentur, ſeveriſſime prohibuerit, perpetua, ac mirabili, ea de re, edita Sanctione. Scriptores,

Digitized by Google

res, qui hæc produnt ſunt Auctor libri *Floſc. S. Franc. cap.* 17. Bartolomæus Piſanus *lib.* 1. *confor. Fruc.* 12. *part.* 2. Chronicon Franciſcanum *par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 17. Ad majorem veritatis manifeſtationem, placet rem totam referre propriis verbis ſpeculi vitæ Sancti Franciſci, quod Philippus Boſquerius ſub nomine coævorum ſodalium ejuſdem edidit. Ex hoc autem ſpeculo Continuatores Bollandi in commentariis in acta D. Dominici §. XXXIV. num. 645. deſcribunt ſequentia.

„ III. In quodam Capitulo Generali, quod fideliſſimus Ser„ vus Chriſti Franciſcus in planitie Sanctæ Mariæ de Angelis „ celebravit, congregati ſunt ultra quinque millia Fratrum. Ad„ fuit etiam Sanctus Dominicus caput Ordinis Prædicatorum cum „ ſeptem Fratribus de Ordine ſuo.

„ Sanctus autem Dominicus, qui adhuc erat præſens admirans „ de mandato, quod fecerat Sanctus Franciſcus, & reputans eum „ indiſcrete procedere; eo quod præcepiſſet in magna multitudi„ ne, quod nullus haberet curam de rebus neceſſariis corporis, „ exiſtimabat in tanta multitudine inconvenientiam debere con„ tingere. Sed Dominus Jeſus Chriſtus volens oſtendere, quod „ ipſe curam gereret de tam caris ovibus, & ſuis pauperibus „ ſingularem, ſtatim inſpirando facta eſt manus Domini ſuper „ Perusinos, Spoletanos, Fuliginenſes, Spelthenſes, Aſſiſinates, „ & cunctas circum jacentes Terras; & veniebant cum aſinis, „ mulis, & equis, & curribus oneratis pane, & vino, fabis, „ & caſeo, & omnibus bonis, quibus putabant illos beatos pau„ peres indigere. Inſuper portabant Tobalias, & vaſa magna, „ & parva, & quidquid utenſilium opus erat, & Beatum ſe pu„ tabat ille, qui devotius & attentius ſervire poſſet, & in omni„ bus illi beatæ multitudini in neceſſitate ſtudioſiſſime providere.

„ Vidiſſes autem Sanctorum illorum cœtui milites nobiles devo„ tiſſime ſervientes: vidiſſes etiam ibidem Clericos devotos, & „ fideles more domicellarum undique diſcurrentes. Vidiſſes ibi „ adoleſcentium floridam juventutem cum tanta reverentia mini„ ſtrantem, ut videretur non pauperculis Fratribus, ſed Apoſto„ lis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſervire. Quæ omnia cum San„ ctus Dominicus & cerneret, & Divinam Providentiam ibi ve„ re agnoſceret, *humiliter redarguit ſeipſum de judicio indiſcretio„ nis prædictæ quod fecerat, & genuflectens Beato Franciſco di„ xit humiliter culpam ſuam, & ait: Vere Deus curam habet de „ iſtis pauperculis Fratribus & ego neſciebam. Unde & nunc pro„ mitto ſervare ſanctam evangelicam paupertatem.*

IV. Parum diſſimilia ſcribit Wadingus Annalium Franciſcanorum clariſſimus Pareus Tomo primo ad annum MCCXVI. num. 16. „ Deinde ſevere omnibus interdixit, ne de rebus ad cor„ pus pertinentibus ſolliciti eſſent ex illa pſalmi ſententia, quam „ ſæpe in ore habebat : *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe* „ *te enutriet*. Aderat huic Franciſci edicto B. Dominicus, eique „ hoc nimium viſum eſt, cum vereretur, ne quodammodo Deus „ tentari videretur. Si non tantæ multitudini alimenta pararen„ tur. Sed non multo poſt ecce ex omnibus finitimis urbibus, „ & pagis concurſus hominum, ac jumentorum omnem omnis „ generis commeatum, ſupellectilem, & vaſa deferentium; „ quæ res ita Dominicum permovit, ut ab eo tempore conſti„ tuerit redditus omnes a ſuo quoque Ordine, qui tum naſceba„ tur, removere Divino fretus ſubſidio, cujus tam inſigne indi„ cium oculis ſuis viderat. Quod & fecit anno ſequenti in Sy„ nodo Generali Bononiæ collecta, & ad ultimum vitæ terminum „ ſub ſuæ maledictionis interminatione in eos, qui poſſeſſiones „ in Ordinem introducerent „. Hactenus Wadignus. E re mea cenſui propriis Minoritarum verbis eorum ſententiam exponere, ne gratis invidiam ipſis conſlare videar, & ut efficacius impugnationem ejuſdem confirmare valeam, quod duobus ſequentibus capitibus perficiam.

CAPUT III.

Divum Dominicum exemplo Seraphici Patriarchæ Franciſci permotum decreviſſe ab Ordine ſuo poſſeſſiones abdicare, pura, putaque fabula eſt. Codices eam referentes, aut ſuppoſititii, aut interpolati. Conjecturæ, & rationes, quibus Cenſores Antuerpienſes hanc Minoritarum ſententiam defendere conantur, vanæ, & ineptæ.

I. INTER inſigniores Ordinis Prædicatorum Scriptores, qui hanc anilem fabulam exploſerunt, primas facile tenet Jacobus Echardus, qui Tomo primo de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum integra diſſertatione argumentis inconcuſſis evincit, commentitiam eſſe præſentiam Divi Dominici in Capitulo Storearum. Unde deinceps legitime infert, chimæricam eſſe narratiunculam illam Minoritarum Scriptorum; nempe Di-

pe Divum Dominicum in laudato Capitulo Storearum primum Evangelicam paupertatem poſſeſſionum, reddituumque expertem didiciſſe. Ac tandem concludit, codices illam deſcribentes, qui tribus ſociis Divi Franciſci Leoni, Ruffino, & Angelo adjudicantur, ſibi de interpolatione, aut fictione ſuſpectos eſſe. Cenſores Antuerpienſes exprobrant Jacobo Echardo, quod omni fundamento deſtitutus ſuſpicionem fictionis, aut interpolationis nimis confidenter obtrudat. Eorundem verba iſthuc tranſcribo deſumpta ex §. XXXIV. num. 653.

II. *Præterea Echardus jam relatis verbis indicat legendam Sancti Franciſci, ſive præfatum vitæ ſpeculum, quod Synchronis ejuſdem Sancti Sociis tribuitur, ſibi de fictione, aut interpolatione ſuſpectum eſſe. Verum primo loco illam ſuſpicionem, quam adeo confidenter ingerit, ac aliis diſcutiendam committit, aliquot rationibus, aut ſaltem conjecturis ab ipſo probatam oportuit: Si enim Echardus demonſtraſſet iſtud ſpeculum confictum eſſe, facilius argumentis ipſius acquieviſſemus. Præcipue inſuper oſtendere debuiſſet illam controverſam Sancti Dominici præſentiam in Capitulo Storearum non aſſeri a Thoma Cellano, aliiſque antiquis Scriptoribus, quos ſupra laudatus Vvadingus in annalibus Minorum Teſtes hujus rei allegat. Vix dubitamus, quin Franciſcani exhibere poſſint varia antiqua horum omnium Scriptorum exemplaria, quibus oſtenſis, aut legitime probatis, tuto de hac controverſia judicare poſſemus.*

III. Antequam ad fictionem, aut interpolationem laudatorum Codicum evincendam gradum facio, lubet obiter pauca indicare a cenſoribus noſtris prolata, quæ non adeo facile conciliari poſſe videntur. Et ut ab ultimis incipiam, vix dubitare ſe poſſe hic adfirmant, quin Scriptores Franciſcani authentica exemplaria dictorum codicum exhibere queant, & tamen iimetipſi hoc eodem paragrapho *nu.* 650. fatentur, ſe hactenus ignoraſſe eorumdem codicum antiquitatem: *At hactenus ignoramus antiquitatem iſtorum codicum., quæ accuratius indaganda erunt, ubi ad illuſtranda Sancti Franciſci acta perveniemus*. Proh mirum! Quod Franciſcani poſt quinque ſæculorum intervallum, quamvis provocati ſæpius a Dominicanis Scriptoribus, non potuerint exhibere documenta authentica iſtorum codicum, nec leve ſuſpicandi de eorum fictione, aut interpolatione fundamentum præbet Criticis iſtis, alioqui ſeverioribus? At tantum fidei non habent Scriptoribus Dominicanis, cum eorum omnia documenta ad rigidiores critices leges revocant, quod nullo modo improbo, ſed commendo, dummodo recte fiat. In hoc ſiquidem commentario §.

IX, *nu.*

Digitized by Google

IX. num. 152. ad monumenta, quæ promit Malvenda pro Divi Dominici nobilitate, hæc objiciunt. *Hinc etiam Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad ann.* 1170. *cap.* 5. *nimis leviter, & perfunctorie hanc illuſtrem Sancti Dominici proſapiam perſuadere nititur his Verbis.* „ Vetuſtæ memoriæ ex are dicuntur, in quibus ſubſcriptiones Sancti Dominici &c. " *At has, ſimileſque ſubſcriptiones, ex authenticis archivis extractas, notis Chronologicis diſtinctas, & fide dignis teſtimoniis roboratas exhibere oportuit.* Ut dixi hæc non improbo; ſed quæro an Bartolomæus Piſanus, Philippus Boſquerius, Wadingus, cæterique Scriptores Minoritæ, codicum, quos Sociis Divi Franciſci adſcribunt, notis chronologicis, & teſtibus fide dignis integritatem adhuc demonſtraverint? Neutiquam reſpondent vel ipſi cenſores noſtri. Quomodo ergo tam aſſeveranter pronunciant, ſe vix dubitare poſſe, quin id præſtituri ſint? At vereor ipſe, ne iſtorum Cenſorum criſis, alio animo ſit in Minoritarum, ac Dominicanorum cauſſa. Quod vero addunt, debuiſſe Echardum aliquot rationibus, vel ſaltem conjecturis ſuam probare ſuſpicionem; quæro ab illis, an ſemel admiſſo, quod Echardus evincat, Divum Dominicum Anno MCCXIX. Feſtum Pentecoſtes, non in Italia, ſed vel in Hiſpania, vel in Gallia celebraſſe: quæro, inquam, an negare illi audeant, quod ex hac conceſſa hypotheſi legitime inferatur, falſam eſſe narrationem illam, quam ſocii Divi Franciſci de Divo Dominico in Capitulo Storearum hoc eodem anno, & Feſto exhibent? & ſubinde, vel ſuppoſititios, vel interpolatos eſſe laudatos codices. Et tamen id adeo validis argumentis evincit Echardus, ut pro eorum ſolutione commenta effinxerint Cenſores noſtri, ſicuti infra videbimus; & tandem vel inviti fateri cogantur, contemnenda haud eſſe Echardi argumenta, paragrapho XXXIV. nu. 657. *Quamvis hæc, aliaque Echardi argumenta non ſint contemnenda &c.* Si contemnenda non ſunt argumenta, quibus Echardus evincit Divum Dominicum fuiſſe in Gallia, eo ipſo tempore, quo Codices Sociorum Divi Franciſci affirmant fuiſſe Aſſiſii: qua fronte exprobrant Echardo, nec rationes, nec conjecturas ullas iſtorum Codicum fictionis, ſive interpolationis aſſignaſſe? Verum ultra pergamus.

IV. Ut itaque veritati, ſi fieri poteſt, acquieſcant, quod Echardus ſecundum ipſos omiſit, nos ſupplebimus, & conjecturis vehementibus, rationibus ſolidis, evincemus, fictionem, ſive interpolationem citati ſpeculi, quod ſociis Divi Franciſci adjudicatur. Et, ut a levioribus, & ab argumento, quod vocant, negan

negante, auſpicemur, Sanctus Bonaventura acta Divi Franciſci, & Capitulum Storearum accuratiſſime nobis deſcripſit: Et tamen nec ullum verbum fecit, aut de interventu Dominici in hocce Capitulo, aut de illius præcipiti judicio adverſus Seraphicum Franciſcum. Omitto altum, perpetuumque ſilentium omnium cum veterum, tum recentiorum Ordinis noſtri ſcriptorum, qui ejuſmodi narratiunculæ non meminere. An Beatus Jordanus, Beatus Humbertus, Conſtantinus, Vincentius Bellovacenſis, Theodoricus de Apoldia, cæterique poſteriores, qui omnia Divi Dominici itinera, & geſta vel minutiora, & adeo diſtincte referunt, hanc Divi Dominici in citato Capitulo præſentiam ſilentio obvolviſſent? quæ cauſſa illis ſubeſſe potuit tanti ſilentii? An fortaſſe quod narratio iſthæc minus cederet in Divi Dominici gloriam? at inanem ſuſpicionem diluit deſcriptio, quam nobis exhibuerunt etiam earum rerum, quæ imperfectionis umbram in illo præferre videbantur, quæve, tamquam minus caute ſcripta, expuncta fuere. Quod adnotarunt vel ipſi Critici Antuerpienſes, Legendamque in ſuo Muſeo adſervari ſcribunt *n.* 3. & *n.* 69. in qua verba quædam abraſa fuere; quanquam animadverſionem iſtam abſque gravi ſuæ eruditionis diſpendio præterire ſilentio poterant. Quid, quod vel ipſi Seraphici Franciſci Scriptores nulla adhuc ſolida, ut dictum eſt, documenta prompſerint, quibus authenticos, & originales eſſe citati Speculi, ſeu Legendæ codices demonſtrarent? Quid quod P. Guilielmus Spoelberch ſpeculum iſtud in lucem emiſit Antuerpiæ anno 1620. tanquam fœtum Sociorum Divi Franciſci, non tamen propriis eorumdem Sociorum verbis, ſed ſuo proprio, & elegantiore ſtylo, novoque ordine digeſtum? Id nobis teſtantur ipſimet Cenſores noſtri Antuerpienſes, hoc eodem paragrapho XXXIV. *n.*650. *In ſpeculo vitæ Sancti Franciſci quod frater Guilielmus Spoelberch anno* 1620. *Antuerpiæ edidit, & quod etiam Synchronis Seraphici Patris ſui ſodalibus adſcribit part.* 1. *cap.* 20. *ſimilia leguntur: ſed hic editor ſtylum, & ordinem iſtius opuſculi mutavit, ut ipſemet in præmonitione ad lectorem teſtatur his verbis.* „ Scripſere illi quidem ſtylo admodum ſimplici, & quale naſutum hoc ſæculum „ vix fert, vix admittit, ideoque, hiſtoriæ ſervata veritate, „ eum parumper expolivimus. Scripſere ordine utcumque con„ fuſo; nos judicio noſtro in meliorem redegimus „.

V. Sunt ne Codices ejuſmodi *notis chronologicis diſtincti, & fide dignis teſtimoniis roborati*? & tamen ad iſtorum codicum authoritatem controverſiam revocant una cum Minoritis Cenſores Antuer-

Antuerpienſes. Non ne dementis hominis fuiſſet acta illa, ſi genuina, ſi fide digna extitiſſent, alieno ſtylo, phraſi, & ordine interpolare? Naſutum hoc ſæculum non fert ſtyli ſimplicitatem? Imo nihil magis eruditiſſimo noſtro ſæculo placet, quam primigenia veterum Scriptorum phraſis, ut, loco laudato, etiam Antuerpienſes teſtantur. Non ne omnes hæ conjecturæ in unum collectæ validum ſatis conſtituunt argumentum, citatos Codices, aut Apocriphos, aut interpolatos eſſe?

VI. Verum his extimis argumentis relictis, rationibus, ex ipſis codicibus arceſſitis, eorumdem interpolationem, vel ſuppoſitionem oſtendere, lubet. Enimvero ea, quæ in actis iſtis narrantur, adeo ſunt incredibilia, adeo rationi adverſa, ut nemo, niſi præjudiciorum caligine obtenebratus, pro ſinceris, & genuinis habere queat. Pauca eorumdem actorum verba huc tranſcribenda iterum ſunt. *Quæ omnia cum Sanctus Dominicus cerneret, & Divinam providentiam ibi vere agnoſceret, humiliter redarguit ſeipſum de judicio indiſcretionis prædictæ, quod fecerat: & genuflectens Beato Franciſco dixit humiliter culpam ſuam, & ait: Vere Deus curam habet de iſtis pauperculis fratribus, & EGO NESCIEBAM. Unde & Nunc promitto ſervare ſanctum evangelicam paupertatem.*

VII. In primis acta iſta ſcripta ſint, oportet, poſt annum MCCXXX., undecim, vel duodecim annos poſt Capitulum Storearum. Quippe, hoc dumtaxat Tempore, in Sanctorum Album adſcriptus fuit Dominicus. At laudata verba diligentius conſideranda ſunt, quæ ſane omnia puram fabulam ſapiunt. Ignoravit ne Dominicus, jam a trium annorum ſpatio Ordinis Prædicatorum fundator, evangelicam paupertatem? Ignoravit, Deum curam habere de viris illis, qui, terrenis rebus contemptis, Chriſtum ſequebantur? Ignoravit ergo vir Sanctus evangelica promiſſa: *Quærite primum Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. Matth.* 6. Proh Deum hominumque fidem! Divus Dominicus, qui jam inde uſque ab ipſa infantia ſui ipſius curam Divinæ commiſerat Providentiæ, & adultus omnia ſua, vel ipſam librorum ſupellectilem adeo ſibi caram, in pauperum eleemoſinas converterat; qui longo ſuæ Apoſtolicæ miſſionis tempore ſupernæ providentiæ ſubſidiis ſuſtentari aſſuetus erat; & miracula frequentia patrabat, atque una cum fratribus ſuis, abſque omni pecunia itinera peragebat & oſtiatim victum emendicabat: qui ante hunc annum MCCXIX., tum Romæ ad Sanctum Sixtum, tum alibi ad Menſam abſque ullo cibo ſedens modo multiplicatis panibus, doliiſ-

liiſque vino repletis, modo Angelorum miniſterio ſuppeditato commeatu, Fratres ſuos paverat: qui in ipſo itinere e Gallia in Italiam regrediens, in alpibus Lombardiæ ſocium ſuum fame fere confectum, pane divinitus porrecto, recreaverat. Hic, inquam, Dominicus Paupertatem evangelicam ignoravit? Hic, cui Sanctitas Seraphici Franciſci perſpecta erat, eo animo fuit, ut illum imprudentiæ, & temeritatis ſugillaret? Tanta ne ſuperbia obcœcatus erat Dominicus, ut fiduciam, quam ipſe in Divinæ providentiæ munificentia nutriebat, in Divo Franciſco damnaret, & judicaret, Deum ea miracula patrare non poſſe ad nutriendos Seraphici Patriarchæ Fratres, quæ toties in ſuorum fratrum ſuſtentationem expertus ipſe fuerat? Quis prudens de Divo Dominico hæc ſuſpicari auſerit? Animo itaque ſerio, & præjudiciis vacuo lector hæc omnia ſecum reputet, & verba laudati ſpeculi, quod Sociis Divi Franciſci adſcribitur, cum actis conferat Divi Dominici, & facta collatione, niſi continuo, & repugnantiam & ſuppoſitionem, ſeu interpolationem laudatorum codicum manibus quaſi contrectaverit, cauſſa cadere ipſe ſponte volo. Quanquam, neque his tantum rationibus, licet validiſſimis, unice cauſſæ meæ defenſionem nixam eſſe velim.

VIII. Editores Antuerpienſes hæc ſcribunt §. XXXIV. n.657. *Quamvis hæc, aliaque Echardi argumenta non ſint contemnenda, tamen utcunque ſolvi debent, donec Scriptores Dominicani demonſtraverint relatam ſupra narrationem Synchronis Sancti Franciſci Sociis, aliiſque antiquis Scriptoribus affictam eſſe. Candidus Chalippe in præfatione ad vitam Gallicam Sancti Franciſci pag.32. teſtatur legendam trium ſodalium in Bibliotheca Regis Franciæ, & apud Minoritas Lovanienſes & Meclinenſes in codicibus mſſ. conſervari. Non dubitamus, quin aliis Europæ bibliothecis plura ejuſdem opuſculi exemplaria reperiantur. Cum tamen antiquitas iſtorum codicum mſſ. nobis hactenus ignota ſit, certo decidere non audemus litem illam inter Prædicatores & Franciſcanos agitatam, quæ in actis Sancti Franciſci poterit ad examen revocari. Interea prædicatoribus incumbit oſtendere ſpeculum vitæ Sancti Franciſci perperam coævis Sodalibus adſcribi, aut ſaltem memoratam relationem ei, aliiſque vetuſtis ſcriptoribus poſtea inſertam eſſe.* Ut mea fert opinio Scriptores iſti contra fas legem Prædicatoribus imponunt oſtendendi citatum Speculnm perperam adſcribi ſociis Divi Franciſci; cum per illos ipſos adhuc Franciſcani non demonſtraverint Speculum illud eſſe genuinum. Id enim ſi præſtitiſſent illi, tunc Prædicatorum eſſet, ſi ſuam tueri vellent cauſſam, per-

ſolvere penſum ſibi impoſitum a Bollandiſtis, quorum profecto criſis mirifica eſt. Sponte confitentur, argumenta, quibus Jacobus Echardus evincit, chimæricam omnino eſſe Divi Dominici præſentiam in Capitulo ſtorearum, haud eſſe contemnenda. Ipſis quoque fatentibus Minoritæ uſque ad hanc diem minime oſtenderunt, codices adjudicatos Sociis Sancti Franciſci, qui eandem Divi Dominici præſentiam in eodem capitulo affirmant, eſſe originales. Ergo argumenta Echardi conſiſtere debent, donec Minoritæ laudatos ſuos Codices notis chronologicis diſtinctos, & fide dignis teſtimoniis roboratos exhibuerint.

IX. Sed age, & preſſius manus conſeramus. Tametſi enim jam prompſerim argumenta quæ eorumdem Codicum interpolationem evincunt; quia tamen ſemper abundat rationibus veritas, plura adhuc, præ omnibus, quæ exhibita ſunt, luculentiora ſuperſunt. Evincam ergo teſtibus ſynchronis, & omni exceptione majoribus, mera, ac putida mendacia eſſe ea, quæ in citato Speculo Sancti Franciſci de Beato Dominico enunciantur. Id autem, ut clarius demonſtrem, in memoriam revocanda eſt ſententia Minoritarum, quam ex ſpeculo ſeu Chronico vitæ Sancti Franciſci obtrudunt, quamve ſupra explicuimus. Speculum iſtud repræſentat Dominicum de paupertate ſic loquentem. *Unde ex nunc promitto ſervare ſanctam evangelicam paupertatem*. Clarius Wadingus loco capite præcedenti laudato. *Quæ res ita Dominicum permovit, ut ab eo tempore conſtituerit, redditus omnes a ſuo quoque Ordine removere*. Idem tradunt omnes Minoritæ Scriptores, qui hoc de argumento tractant. Idem teſtantur Cenſores Antuerpienſes citato paragrapho *num.* 656. *Præterea Echardo in memorata ſpeculi narratione diſplicet, quod Sanctus Dominicus poſt viſam Divinæ providentiæ curam de alendis tot millibus pauperum Fratrum, ut ibidem traditur, propoſuerit exemplo Sancti Franciſci omnia bona temporalia abdicare*. Non diſplicet Echardo, Divum Dominicum Franciſci Patriarchæ exemplo hoc paupertatis propoſitum concepiſſe, ſi verum foret. Quoniam conſilium iſtud donum cœleſte eſt, quod Deus, vel per ſe, vel alterius creaturæ miniſterio, ſervo ſuo infundere poterat. Quin imo eſſet non obſcurum humilitatis evangelicæ exemplum, virum apprime doctum (qualis vere erat S. Dominicus) a D. Franciſco homine illitterato excellentiorem paupertatis formam diſcere, ac ſolidiora Sanctitatis fundamenta edoceri non erubuiſſe. At recuſat Echardus Patris ſui virtutem, & gloriam amplificare diſpendio veritatis, cujus proinde unius amore ductus ego refutare aggreſſus ſum quæcunque adver-

Digitized by Google

adverſus ejuſdem Echardi ſenentiam excogitarunt Critici Antuerpienſes.

X. Audiamus itaque Scriptores Dominicanos ſynchronos, & ſuppares, omni exceptione majores, quorum ſcripta publici juris ſunt, quorumve authographa genuina ſervantur, & de quibus a nemine hucuſque dubitatum fuit. Beatus Jordanus author ſynchronus enarrans, quæ Prulii anno MCCXVI. geſta ſunt poſt reditum a Concilio Lateranenſi, hæc de paupertate, quam in ſuum Ordinem invehendam, una cum ſuis ſociis, decrevit Dominicus, ſcribit in actis Divi Dominici *nu.* 24. *Propoſuerunt etiam, & inſtituerunt poſſeſſiones non habere, ne prædicationis impediretur officium ſollicitudine terrenorum, ſed tantum redditus eis adbuc habere complacuit*. Redditus *Adhuc* eis habere complacuit, videlicet quouſque pleniorem Ordinis confirmationem obtineret, opportunioremque occaſionem nactus fuiſſet eoſdem abdicandi, ſicuti facto comprobavit in Capitulo primo Bononienſi. Hunc eumdem Beati Jordani textum aliquantulum tamen diſcrepantem referunt Cenſores Antuerpienſes, laudato §. XXXIV. *num.* 656. & vano interpretamento eludere conantur. Inquiunt enim, potuiſſe Divum Dominicum Anno MCCXVI. Prulii cum ſociis ſuis propoſitum concipere abdicandi poſſeſſiones: deinde in Capitulo Storearum, decreviſſe redditus quoque ab ordine ſuo removere. *At iſtud Sancti Dominici propoſitum, quod in Capitulo Storearum concepiſſe dicitur, explicari poteſt de ſtrictiori paupertatis obſervantia, quam poſtea in primo Capitulo Bononienſi ſodalibus ſuis præſcripſit. Huic explicationi aliquod fundamentum præbet ipſe B. Jordanus, qui infra apud nos num.* 29. *ita ſcribit. Deinde ibidem nu.* 32. . . . „ Propoſuerunt etiam, & inſtituerunt non habere poſ„ ſeſſiones, ne prædicationis impediretur officium ſollicitudine ter„ renorum. Sed tantum redditus recipere, unde poſſent ſibi in „ victui neceſſariis providere „. *Vides hic poſſeſſiones a redditibus diſtingui. Potuit ergo S. Dominicus non tantum poſſeſſionibus, quas antea abdicare decreverat; ſed exemplo Sancti Franciſci etiam redditibus renunciare, ac ſtrictiorem paupertatem amplecti*. An poſſeſſiones a redditibus reipſa diſtinguantur nec ne, in controverſiam nunc non voco. Scio redditus, proventus eſſe, vulgo *entrata*, qui vel ex prædiis, ſeu poſſeſſionibus, vel ex pecunia ad cenſum expoſita, percipiuntur. *Redditus*, inquit Du Freſne in Gloſſario Latinitatis, *proventus, fructus ex re aliqua . . . Redditus, penſiones, quæ ex locatione rediguntur; improprie fructus omnes. Redditus aſſiſus certus, & immobilis cenſus ex prædiis liberis.*

Utcunique res iſta abſolute ſe ſe habeat; certe Divus Dominicus non alio pacto poſſeſſiones retinere poterat, quam eas agricolis locando, annuoſque redditus exigendo; nec enim ille, aut ejus fratres Apoſtolico Miniſterio vacantes, illas arare, ſerere, potare, & occare poterant. Chimæricum igitur fuiſſet propoſitum abdicandi poſſeſſiones, & retinendi redditus. Præterquam quod, quid expreſſo Dominicani voti, ſeu propoſiti unico fini magis adverſum, aut violentius, quam excogitatum commentum? finis illius propoſiti fuit, ne temporalium cura prædicationis officium impediret. At ubi importunior cura, ubi moleſtior difficultas, quam in redditutum exactione, & conſervatione? Ne ergo dicamus, Dominicum pugnantia ſimul decreviſſe, fateamur oportet, illum æque redditus, ac poſſeſſiones abdicare deliberaſſe, quamvis prudentis œconomiæ lege ductus, adhuc retinere redditus ſibi complacuerit, uſque dum opportunior occaſio exequendi votum conceptum de abdicandis tum poſſeſſionibus, tum redditibus occurreret. Quæ omnia textui Legendæ Jordani, quam Jacobus Echardus typis editam exhibet in ſuo primo de Scriptoribus Tomo, apprime congruunt.

XI. Hæc cuique ad veritatem percipiendam bene compoſito ſatis ſuperque forent. Sed vereor, ut Criticis Antuerpienſibus plene ſint ſatisfactura. Idcirco, ut omne perſugium eis occludam, luculentiſſimis documentis, & eorum commentum, & Minoritarum fabulam profligare lubet. Quandoquidem quæ B. Jordanus aliquantulum ambigue ſcribit de propoſito evangelicæ paupertatis a Divo Dominico Anno MCCXVI. Prolii una cum ſociis concepto, clarioribus verbis tradunt cæteri Scriptores Dominicani ſuppares. Vincentius Bellovacenſis ſcriptor coævus in ſpeculo hiſtoriali *lib.* 31. *cap.* 66. *Quapropter ne prædicationis, cui ſummopere debebant intendere, impediretur officium*, *PROPOSUERUNT EX TUNC TERRENAS POSSESSIONES, ET REDDITUS ABJICERE*, *quod poſtmodum in primo Capitulo Generali Bononiæ celebrato affectu pariter, & effectu per Conſtitutionem immobilem perpetuæ fuit executioni mandatum*. Coſtantinus Mediceus Epiſcopus Urbevetanus author pariter ſuppar fuit, ut teſtantur vel ipſi Antuerpienſes Cenſores *§. III. num.* 9. „ Ad hanc „ ætatem quoque pertinet Conſtantinus, qui ab Epiſcopatu Ur„ bevetano, ad quem ex Ordine Prædicatorum aſſumptus fuit, „ vulgo cognominatur Urbevetanus „. Porro is in actis Divi Dominici hæc ſcribit *num.* 18. *Propoſuerunt ex tunc terrenas poſſeſſiones ET REDDITUS prorſus abjicere, quod poſtmodum in*

primo

primo Capitulo Generali Bononiæ celebrato anno Domini MÇCXX. perpetuæ fuit executioni mandatum. Beatus Humbertus Generalis Magiſter, qui tempore quoque Divi Dominici vitam agebat: anno quippe MCCXXIV. Ordinem ingreſſus eſt, in actis Sancti Patriarchæ Dominici *cap.* XXIII. eadem, & iiſdem verbis ſcribit. *Propoſuerunt ex tunc terrenas poſſeſſiones ET REDDITUS abjicere*. Poſteriores Scriptores omitto. Hi enim, quos produxi ſynchroni, cum ſint, & ſuppares, ſatis ſunt, cum ad revincendum laudatum ſpeculum, vel ſuppoſitionis, vel interpolationis: tum ad diſpellendam ineptam, frigidamque interpretationem Criticorum Antuerpienſium.

XII. Quæ enarravi, confirmari poſſunt litteris Fulconis Epiſcopi Tholoſani Anno MCCXV. datis. In his continetur donatio ſextæ partis decimarum ab eodem Epiſcopo facta Dominico, ejuſque ſociis: & votum a Dominico conceptum de poſſeſſionibus, & redditibus non habendis, manifeſte exprimitur. *Inſtituimus*, inquit Fulco, *Prædicatores in Epiſcopatu noſtro F. Dominicum, & ſocios ejus, qui in PAUPERTATE EUANGELICA PEDITES RELIGIOSE PROPOSUERUNT INCEDERE, & veritatis evangelicæ verbum prædicare, & quia dignus eſt operarius cibo ſuo &c.* Conferant, velim, Critici Antuerpienſes hanc authenticam Epiſcopi Tholoſani atteſtationem de evangelica paupertate, quam jam ab Anno MCCXV. Dominicus amplexus fuerat, cum narratione citati ſpeculi, in quo hæc habentur de Divi Dominici paupertate. *Vere Deus curam habet de iſtis Fratribus, & ego neſciebam. Unde ex nunc promitto ſervare ſanctam evangelicam paupertatem*. Cuinam ex his duobus oppoſitis relationibus fidem adhibebunt? ſed audiamus rationem quam affert Epiſcopus ſuæ donationis. *Cum enim jure cautum ſit, quod aliquanta pars decimarum debeat ſemper pauperibus aſſignari, & erogari, conſtat illis pauperibus nos teneri partem aliquam decimarum potius aſſignare, qui pro Chriſto evangelicam paupertatem eligentes, univerſos, & ſingulos exemplo, & doctrina, & donis cæleſtibus elaborant, ditare*. Vides, decimas illas titulo paupertatis evangelicæ, miſſioniſque Apoſtolicæ ſuſtentandæ cauſſa, datas fuiſſe ab Epiſcopo Tholoſano anno MCCXV.? Quid itaque effutiunt anno dumtaxat MCCXIX. Aſſiſii primum, propoſuiſſe Dominicum ſervare ſanctam evangelicam paupertatem? Hæc clariora quoque evadent, ſi in memoriam revocaverimus, nullum extare documentum evincens, quod omnia Cœnobia, quæ Patriarcha Dominicus erexit in Gallia, Hiſpania, & Italia poſſeſſiones, ſeu redditus habuerint.

Quin

Quin certo ſcimus, Fratres Panem oſtiatim emendicaſſe, & Romæ, & Bononiæ, & in Hiſpania, & in Gallia, ex qua in Italiam regreſſus Dominicus, Donationem factam ab Odorico Gallicano Conventui Bononienſi reſcindi e veſtigio fecit. Cujus rei teſtem adfero Rodulphum Faventinum Procuratorem tunc Conventus, & ſextum teſtem in proceſſu Canonizationis Sancti Dominici, quemve omni exceptione majorem vocant, vel ipſi Cenſores Antuerpienſes. Porro is hæc teſtatur. *Eodem anno nempe MCCXIX. Frater Dominicus ipſius Ordinis inſtitutor ac primus Generalis Magiſter Bononiam venit .... Mirificus erat Vir Dei paupertatis amator, ad cujus amorem ſuos quoque adhortabatur, cujus quidem rei, ut alia taceam, illud mihi indicio, quod ſtatim ubi Bononiam venit, Odoricus Gallicanus quædam noſtro Monaſtero prædia donare voluit; & jam coram Urbis Epiſcopo ſcripta erat per tabellionem donatio, quod ubi novit Frater ipſe Dominicus, reſcindi chartam coram eodem Epiſcopo voluit, dicens velle ſe, ut ſui Cœnobitæ MENDICATO in ſingulos dies cibo, & quidem parce viverent; nec ultra id, quod in ſingulos dies neceſſarium foret quærerent, ut autem haberent prædia nullo ſe pacto permiſſurum.* Hinc ſatis probabile eſt, Dominicum in Hiſpania, & in Gallia ſine redditibus Cœnobia fundaſſe. Nec enim veroſimile eſt, alibi permiſiſſe, quod Bononiæ, ubi primum ingreditur, tam ſevere reſcindit factum, nedum prohibet faciendum. Accedit, quod vel ipſa acta Capituli Generalis anno ſequenti nempe MCCXX. Bononiæ celebrati, quæ dicta ſunt, non parum confirmant. Quoniam de hoc Capitulo hæc ſcribit Humbertus in Chronico. *In hoc autem Capitulo inter multa, quæ ſtatuta fuerunt, fuit & hoc ſtatutum, quod amodo Poſſeſſiones, & Redditus non reciperentur, & quod illis renuntiarent quæ habebant in PARTIBUS THOLOSANIS.* Ex quibus ultimis verbis colligitur tum Fratres Tholoſæ ſolum bona habuiſſe, non vero in aliis Cœnobiis ad quadraginta jam erectis. Alioquin tam iſta, quam Tholoſana, ut abdicarentur, juſſum fuiſſet, cum certum ſit, legem fuiſſe generalem.

XIII. Quæ latius hucuſque diſputata ſunt, in pauca contrahere lubet. Igitur Anno MCCXV. primam Ordinis adumbravit imaginem Divus Dominicus, ſimulque propoſitum paupertatis evangelicæ amplectendæ concepit; moreque Apoſtolorum ſine ſacculo, & pecunia, pedibus mundum peragrare decrevit; quod opere jam a pluribus annis exequutus fuerat. Anno MCCXVI. poſt reditum a Concilio Lateranenſi IV. Convocato Prulii ſexdecim Sociorum Conventu, pro Regulæ, & Conſtitutionum electio-

ctione, illis propoſitum ſuum de abdicandis redditibus, & poſſeſſionibus communicavit, quodve omnibus calculis approbarunt. Anno MCCXVII. Sodales iſtos in diverſa mundi regna, ſanctum Dei Verbum ſeminaturos, diſtribuit: iterque omnes aggreſſi ſunt abſque ullo commeatu, vel pecunia, uno excepto Joanne de Navarra, cui, inquit Echardus, ad duritiam cordis, cujus ipſum poſtea graviter pœnituit, verum adhuc Neophyto, tum & delicato, duodecim denarii, ut Tholoſa Pariſios iret, conceſſi fuere. Annis MCCXVII. & MCCXVIII. Romæ, & alibi ex pane oſtiatim mendicato Fratres aluntur. Bononiæ ex Hiſpania & Gallia redux Dominicus diploma jam donati prædii coram Epiſcopo cum quadam horroris ſpecie reſcindi curavit. Hæc omnia invictis documentis ex ſynchronis, & ſupparibus authoribus demonſtravimus, & hæc omnia directim, & apertiſſime pugnant cum iis, quæ narrantur in ſpeculo vitæ Sancti Franciſci.

XIV. Hinc ego hanc colligo argumentationem. Fac Chronicon, ſive ſpeculum, quod tribus Divi Patriarchæ Franciſci ſociis adjudicatur, ſuppoſititium, apocryphumque non evinci, neque ex ſilentio Bonaventuræ, & omnium Dominicanorum; neque ex omiſſione in tam longo ſæculorum intervallo editionis peractæ, & authenticis documentis illuſtratæ: neque ex intima eorum, quæ narrantur incredibilitate, quæ vel in pinguiores nares anilis, & odioſi hominis fabellæ putorem efflant. Hæc omnia, inquam, tranſmittamus, & hypotheſim ſtatuamus, videlicet, Minoritas tandem aliquando, poſt quinque ſæcula, producturos fore documenta, quæ antiquitatem controverſi codicis evincant, de quo vix ſe dubitare poſſe adfirmant Critici Antuerpienſes *§. XXXIV. nu.* 653. *Vix dubitamus quin Franciſcani exhibere poſſint varia antiqua borum omnium exemplaria, quibus oſtenſis, aut legitime probatis tuto de hac controverſia judicare poſſemus*. Videamus nunc an, etiam admiſſa eorum prædictione, vera ſit, quam promittunt, deciſio. Quæro ego ab illis duo. Primum an futura demonſtratio codicis originalis efficere poſſit, quod narratio ſuapte natura incredibilis, & fabuloſa, probabilis, & creditu digna evadere queat? Nemini unquam, mea quidem ſententia, perſuaſum fiet, Divum Dominicum poſt ſuum Ordinem confirmatum, triumque annorum ſpatio dilatatum, ignoraſſe, & Divinam Providentiam de voluntariis pauperibus curam habere, & tum ſolum paupertatem evangelicam ſe ſervaturum promiſiſſe; & denique tam præcipiti, &, ut vocant, temerario judicio, Seraphici Patriarchæ Sanctitati, quam perſpectam habebat, imprudentiæ & temeri-

meritatis notam impegiſſe. Alterum, quod Criticis iſtis perpendendum exhibeo, ejuſmodi eſt. Ponamus una ex parte tres Divi Franciſci ſocios, Leonem, Ruffinum, & Angelum, legitimos eſſe controverſi Codicis authores. Collocemus ex altera Fulconem Epiſcopum Tholoſanum, Beatum Jordanum, Beatum Humbertum ambos Generales Magiſtros & Doctores, Vincentium Epiſcopum Bellovacenſem, Coſtantinum Mediceum Epiſcopum Urbevetanum. Tres ſocii Divi Franciſci docent, Divum Dominicum Anno MCCXIX. Aſſiſii primum propoſuiſſe ſervare ſanctam evangelicam paupertatem & propoſitum concepiſſe abdicandi fundos, & redditus. Oppoſitum conceptiſſimis verbis adfirmant Jordanus, Humbertus, Vincentius, & Conſtantinus, videlicet Dominicum jam inde uſque ab Anno MCCXVI. propoſitum iſtud concepiſſe. Quibus adhibenda fides? Quibus ſtandum? Quibus deferendum? An tribus illis Divi Franciſci ſociis, ad litteraturam ſaltem, quod attinet, obſcuri nominis, quorum tanta fuit in ſcribendo imperitia, tanta confuſio, ut eorum ſodalis Frater Guilielmus Spoelberch non auſerit, codicem hunc proprio eorum ſtylo exaratum naſuto huic Sæculo porrigere? quia inquit. *Scripſere illi quidem ſtylo admodum ſimplici, & impolito . . . Scripſere ordine utcumque confuſo*. An vero Fulconi, Jordano, Humberto, Vincentio, Conſtantino, Doctrina non minus, quam Sanctitate præſtantiſſimis, univerſo litterario orbi clariſſimis, quorum ſcripta nunquam in dubium revocata fuere, magnoque in pretio habentur; & in Patrum bibliotheca non pauca inſerta? Teſtes ſunt iſti omni exceptione majores ſynchroni, & ſuppares, & quamvis in cauſſa propria nulli ſubjacent exceptioni, quoniam tum temporis nulla erat hac de re controverſia. Hæc omnia perpendant, ſerio velim, Hypercritici Antuerpienſes, ut in eventu, quo Franciſcani poſt alia quinque ſæcula demonſtraturi ſint Codicem contentioſum, genuinum eſſe fœtum ſociorum Divi Franciſci, valeant ſuam, quam tutam ſpondent, deciſionem ad optimas Criticæ leges revocare, atque expendere.

CA-

C A P U T IV.

Præſentia Divi Dominici in Capitulo Storearum commentitia. Quæ, eumdem ibidem peregiſſe, narrantur, fabuloſa. Reſponſa, quæ excogitarunt Editores actorum Sanctorum Antuerpienſes ad eludenda argumenta Jacobi Echardi *minus ſolida.*

I. CONTINUATORES actuum Sanctorum, ut præſentiam Divi Patriarchæ Dominici in Capitulo Storearum, quoquo modo probabilem, ſuaderent, non induſtriæ, non labori pepercerunt. Siquidem, documentis authenticis, quibus votis ſuis facerent ſatis, deſtituti cum eſſent, eo tandem conſilia ſua contulerunt, ut Prædicatorum argumenta pro viribus attenuarent, infringerent, labefactarent. Quo clare, diſtincteque ſplendidam veritatem e tenebris eripiam, quibus eam involvere ſatagerunt illi, huic viæ inſiſtam. In primis rationes indicabo, quibus Dominicani, potiſſimum Echardus, commentitiam evincunt Sanctiſſimi Parentis in præſato Storearum Capitulo præſentiam. Deinceps reſponſa, & criticas animadverſiones, quibus laudati Cenſores earumdem rationum vim elevare conantur, expendam, & confutabo.

II. Echardus porro omnium Primum ſibi demonſtrandum aſſumit, Sanctum Dominicum Anno MCCXIX. Feſtum Penteceſtes, non in Italia; ſed vel in Hiſpania, vel in Gallia celebraſſe. Quod ut clarius oſtendat, præmittit ſæculi tertii decimi Scriptores, & in iis Noſtrates de Chronologia agentes, ſtylum veterem ſequutos fuiſſe: Nimirum annum vel a die Annunciationis XXV. Martii, vel a feſto Paſchatis ad Paſcha ſequens computabant: ita ut Januario, Februario, Martio, & aliquando Aprilis parte acta ad annum referant præcedentem. Hunc ſtylum in Gallia, Hiſpania, & pluribus Italiæ Civitatibus, ut Florentiæ, & Romæ obtinuiſſe indicat Odoricus Raynaldus, pluribus Pontificiis documentis relatis, ad Annos MCCXVII., & MCCXVIII. Animadvertit præterea Echardus Anno MCCXIX. Lit. Dom. fuiſſe F. Num. Aur. IV. Paſcha VII. Aprilis, & Pentecoſtes XXVI. Maji. Quibus præjactis, ſuam poſitionem authoribus ſynchronis, clariſſime demonſtrat.

Digitized by Google

III. Et in primis in medium producit Beatum Jordanum proximum Divi Dominici in Generalatu ſucceſſorem, qui in actis ejuſdem Patriarchæ hæc ſcribit *num.* 37. *Anno eodem MCCXVIII. perrexit in Hſpaniam Sanctus Dominicus, ibique duabus domibus inſtauratis revertens, inde Pariſius venit Anno MCCXIX. ubi Fratrum ferme triginta Congregationem invenit. Paululum autem demoratus ibidem divertit Bononiam*. Eadem habet Humbertus in Chronico. *Eodem quoque Anno MCCXVIII. B. Dominicus in Hiſpaniam rediens duas ibidem domos inſtituit, &c. Anno MCCXIX. de Hiſpania venit B. Dominicus Pariſiis, & invenit ibi de Fratribus ferme XXX. Paululum ibi commoratus divertit Bononiam*. Hoc ipſum confirmat Theodoricus de Apoldia *lib.* 4. *cap.* 8. *Anno reparatæ ſalutis MCCXIX. Dominicus Lutetiam veniens in Cœnobio S. Jacobi XXX. fratres invenit, apud quos ad breve tempus hærens eis vale dixit, & gratiæ Dei eos commendans profectus eſt*.

IV. Igitur Roma egreſſus eſt Dominicus Anno MCCXVIII. in Hiſpaniam concedens. Segobiæ, inſtante Feſto Nativitatis Domini, conciones habuiſſe ad populum, diſerte teſtatur idem Humbertus in Chronico. *Tempore, quo Beatus Dominicus in Hiſpania apud Segoviam domum accepit, accidit, ut die quadam extra muros dictæ Civitatis, ingenti convocato populo, prædicaret. Non autem latebat, eum populum propter defectum pluviæ multa triſtitiæ materia innodatum eſſe, cum inſtaret Feſtum Nativitatis Dominicæ*. Cum itaque tam Jordanus, quam Humbertus afferant Anno MCCXIX. ex Hiſpania Pariſios iviſſe, legitime conſequitur, Hiſpaniam reliquiſſe poſt Paſcha ejuſdem anni, quod fuit VII. Aprilis, & Pariſiis affuiſſe circa finem Maji, unde in Italiam rediit, ita ut Bononiæ affuerit verſus finem Auguſti.

V. Plura excogitarunt Critici Antuerpienſes, ut productos Jordani, Humberti, & Theodorici Textus, ac Jacobi Echardi argumentationes eluderent. Ut omnia ſumma religione referam, quæ concedunt, quæve negant, aut implicant, & involvunt deſcribenda ſunt. Duo in primis concedunt: Primum extra controverſiam eſſe, quod veteres Biographi iter Divi Dominici ex Hiſpania in Galliam illigent anno MCCXIX. En eorum verba deſumpta ex §. XXXIII. *num.* 620 „ Veteres Biographi conſen- „ tiunt S. Dominicum anno Chriſti MCCXIX. ex Hiſpania in „ Galliam rediiſſe . . . ita ut de anno illo MCCXIX. ſatis con- „ ſtet. „ Alterum quod hoc loco gratis concedunt (quamvis infra in diſputationem revocent) eſt, annorum computationes initium duxiſſe a die XXV. Martii, vel ab uno ad aliud Paſcha.

Hinc

Hinc tamen haudquaquam colligi, ſubdunt, Divum Dominicum non potuiſſe reperiri in Capitulo Storearum, in Feſto Pentecoſtes ejuſdem anni, celebrato. Quandoquidem Beatus Jordanus, inquiunt, ſolummodo aſſerit, quod Dominicus, venerit Pariſios, Anno MCCXIX.; ita ut hic annus æque ad Pariſienſem Sancti Dominici adventum; quam ad diſceſſum ejus ex Hiſpania referri poſſit. In hac itaque hypotheſi, qua exordium anni ab Annunciationis feſto ſumitur, nil impedit, quominus potuerit, menſe Februario, Anno MCCXVIII. ex Hiſpania diſcedere, & circa exeuntem Martium Anni MCCXIX. jam inchoati Pariſios adveniſſe. *In hoc ſyſtemate* (inquiunt laudato paragrapho *nu.* 621.) *Vera eſt B. Jordani, aliorumque veterum narratio, etiamſi annos ab Annunciationis Feſto ſeu* 25. *Martii inchoarent*.

VI. Hoc idem reſponſum latius expoſitum repetunt §. XXXIV. num. 655., quorum verba iſthuc tranſcribere lubet. *Quinimo ibidem in ipſa Echardi opinione, ſecundum quam Scriptores illi principium anni ab Annunciationis Feſto ſive a die* 25. *Martii computarent, propoſuimus quoddam ſyſtema, cui verba horum Authorum non repugnant, & in quo Sanctus Dominicus ſtatim poſt Paſcha anni* 1219. *Pariſiis diſcedens abſolute eodem anno circa feſtum Pentecoſtes Aſſiſii eſſe potuit. Non diffitemur in hac Hypotheſi longinquum iter intervallo quinquaginta dierum conficiendum eſſe : ſed cum abſolute confici potuerit, malumus illam difficultatem deglutire; quam ſtatim fidem abrogare Teſtibus, quos Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die* IV. *Octobris ſynchronos agnoſcit; & quorum teſtimonio Sententia Franciſcanorum potiſſimum nititur; quod proinde ab Echardo ante omnia evertendum erat, ſiquid tota diſſertatione ſua proficere volebat*.

VII. Hæc omnia per partes expendamus, & ut ab ultimis verbis initium ducam religio mihi fuit methodum ſervare, quam Sapientes iſti Cenſores a Jacobo Echardo expoſcunt. Capite ſiquidem ſuperiore ſatis clare, mea quidem ſententia, oſtendi, apocryphos, aut interpolatos eſſe Codices illos, qui Sancti Franciſci ſociis adſcribuntur. Proinde mihi blandiri poſſum aliquid, mea hac diſſertatione, tantis etiam Judicibus, profeciſſe. At vereor, ut, quamtumvis ſolida ſint argumenta, quæ produxi, velint tandem aliquando veritati acquieſcere. Omnia ſiquidem deglutire ſe malle, teſtantur, quam fidem abrogare Teſtibus, quos Baronius ſynchronos agnoſcit. *Malumus*, inquiunt, *illam difficultatem deglutire, quam fidem &c.* Quis iſthic in admirationem ſe abripi non ſentit, cum audit, criticos iſtos, alioqui ſeveriſſimos,

tantum obſequii, & obſervantiæ uni Baronio deferre, ut velint, vel amariora abſorbere, potius, quam uni illius ſimplici aſſertioni fidem non adhibere? Fateor hæc mihi legenti ſummum injeciſſe ſtuporem; eo vel maxime, quod alibi animadverteram, Authores iſtos, non tanti feciſſe Eminentiſſimum Annaliſtam; imo nil plus illius authoritati tribuere, quam debeatur documentis, & teſtibus, quos ipſe allegat. Audiamus, quæ de Baronio ſcribunt Tomo II. Junii in commentario prævio ad acta Sancti Heraclii Epiſcopi *num.* 5. *pag.* 70. *Tempus, quo fuerit in Epiſcopum aſſumptus, & quo vitam finierit, in actis non præſcribitur; nec in aliis antiquis monumentis. Baronius in notis ad hunc VIII. Junii ait, migraſſe ex hac vita anno quinquageſimo ſeptimo. Idem ſcribit Carolus le Cointe .... Sed neuter ullum profert ſui aſſerti documentum. Quod igitur ſine teſte & argumento definivit Baronius, ſine ſcrupulo negatur*. Eorum libertatem, atque ſinceritatem laudo, quod palam confiteantur ſibi religioni minime vertere, ea denegare, quæ Baronius ſine teſte, & argumento profert. Videre nunc noſtra intereſt, an in notis ad diem IV. Octobris, ubi aſſerit, Leonem, Ruffinum, & Angelum acta Divi Franciſci ſcripſiſſe, teſtem, vel argumentum aliquod promat? En illius omnia verba hac de re. *Franciſci. Præclariſſimas ejus res geſtas in primis Sanctus Bonaventura conſcripſit. Multa præterea ejus peregrinationis ſocii Scriptorum monumentis conſignavere, ut Leo, Ruffinus, & Angelus*. Ubi iſthic teſtis? ubi argumentum? Quid ergo vel amariora deglutire ſe malle teſtantur, potius quam eidem Baronio ſine teſte, ſine argumento, & quod plus eſt, ſine examine loquenti, fidem abrogare? An ignorant, Baronium hominem eſſe, humanæque infirmitatis lapſibus obnoxium? Non hoc ignorant modo, ſed id inclamant, omniumque auribus ingerunt. Hæc ſiquidem de Baronio ſcribunt in Tomo, qui Propylæum inſcribitur, in *Paralip. ad Conat. Diſſert. XLII. pag.* 103. *num.* 6. *Fuerit ne, an non fuerit veritatem aſſecutus etiam in iſto puncto, hic non attinet quærere. Multa Baronium latuiſſe, nonnunquam etiam ipſum erraſſe, prudens nemo negaverit. Dicatur etiam præjudicio aliquo abreptus, ſubinde nihil recuſo. Sed non dicatur, oculos clauſiſſe veritati, ut aperiret paſſioni indignæ animo chriſtiano, nedum jam proſpectanti mortem in januis poſitam, ſupremumque ſuorum cogitatuum omnium, æque ac Scriptorum Judicem*.

VIII. An præſtantiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Parens ſapientia, & pietate, non minus, quam Purpura, Eminentiſſimus,

mus, præjudicio aliquo præoccupatus fuerit, penes iſtos Scriptores ſit. Illis quam maxime aſſentior, dicendum haud eſſe, tantum virum oculos clauſiſſe veritati, ut aperiret paſſioni. Verum, an hoc idem pronunciari queat de ſociis iſtis, aliorum eſto judicium. Ego etenim, etiam atque etiam ab ipſis eflagito, quid cauſſæ ſit, cur Baronium multa latuiſſe, non raro erraſſe, ac denique præjudiciorum caligine involutum aſſerant in iis etiam, quas ex profeſſo, ut ajunt, verſat, controverſiis? Cur ad diem VIII. Junii eidem ſine teſte, & argumento loquenti, ſine ſcrupulo fidem abrogant? Contra vero in notis ad diem IV. Octobris pariter ſine teſte, ſine argumento, ſed incidenter, & obiter, tres ſocios Divi Franciſci illius acta ſcripſiſſe indicanti, veluti Delphico oraculo adhæreſcunt? Cur tam varia pondera? Diverſitatis cauſſa obvia eſt. In notis ad diem IV. Octobris, quæ Baronius ſcribit, Dominicanorum cauſſæ adverſantur, & hoc ſatis eſt illis, ut montes potius vorare velint, quam ab Eminentiſſimo Annaliſta, vel latum unguem, recedere. Scribat Baronius ſine teſte, ſine argumento, ſine examine, dummodo ea, quæ prodit, Prædicatoribus infeſta ſint. Et continuo Judex ſupremus efficitur. In cæteris vero controverſiis omnibus, & erroribus obnoxium, & præjudiciis præoccupatum, & plura ignoraſſe Baronium, neminem latere, aſſerunt æquiſſimi Critici Antuerpienſes. Denique ut magis magiſque appareat, quam mirifica ſit credulitas, qua Baronium adverſus, ut ipſi putant, Dominicanos loquentem, excipiunt, in memoriam revocanda ſunt, quæ paragrapho trigeſimo quarto *num.* 657. ſcribunt. Aperte ibi, ut etiam alias obſervavimus, fatentur, ſe controverſi Codicis ignorare antiquitatem. *Cum tamen antiquitas iſtorum mſſ. Codicum nobis hactenus ignota ſit*; idque repetunt *num.* 650. Quis ſummopere non admiratur ſociorum iſtorum docilitatem, & obſequium erga Baronium, in quem alibi cenſoriam virgam exercent? Se ignorare teſtantur Codicum mſſ. antiquitatem. Baronius eos originales eſſe, non aſſerit, ſed ſubindicat obiter, & ſine teſte, ſine examine, & argumento. Et hoc illis ſatis eſt, ne Codicibus illis fidem abrogent. Admirabilis ſane credulitas; niſi quod non ſibi conſtare videtur. Verum de his pluſquam ſatis.

IX. Expedit modo, ut a diverticulo in ſemitam regrediamur, & ut duo reſponſionis datæ membra expendamus. Primum membrum diſceſſum Divi Dominici ex Hiſpania ſpectat. Quippe, ut explicent, Jordanum aſſerentem Dominicum Anno MCCXIX. Pariſios ex Hiſpania acceſſiſſe, hac œconomia tempus partiuntur.

Ani-

Digitized by Google

Animadvertunt, Beatum Jordanum ſolum ſcripſiſſe, quod Dominicus revertens ex Hiſpania, venerit Pariſios Anno MCCXIX. Quibus verbis hunc ſenſum tribuunt : non quod poſt incœptum Annum MCCXIX. ex Hiſpania diſceſſerit, & Pariſios iverit : ſed quod, menſe Februario, Anno MCCXVIII. Hiſpaniam reliquerit, & circa exeuntem Martium, Anno MCCXIX. Pariſios pervenerit. Reſponſum iſtud penitus explodit Beatus Humbertus, qui conceptiſſimis verbis ait : *Anno MCCXIX. de Hiſpania venit Beatus Dominicus Pariſiis*. Ponamus, loco hypotheſis, Humbertum reipſa voluiſſe exprimere diſceſſum Divi Dominici ex Hiſpania, currente anno milleſimo ducenteſimo decimo nono, & intra eundem annum Pariſios adiiſſe. Tunc poterat ne clarioribus, paucioribuſque verbis, ut decebat hiſtoricum, tempus iſtius itineris manifeſtare, quam iſtis? *Anno milleſimo ducenteſimo decimo nono de Hiſpania venit Pariſiis*. Tametſi ergo Cenſores noſtri verba Jordani in ſenſum ſibi ſervientem contorquere poſſent; Humberti tamen verba adeo clara, & decretoria ſunt, ut nulli ſolidæ interpretationi locum relinquere videantur. Adde quod clarius hoc ipſum exprimit Bernardus Guidonis in Vita Sancti Dominici cap. 35. ubi hæc habet. *Anno eodem MCCXVIII. profectus eſt in Hiſpaniam, ubi duas domos inſtituit . . . . poſt hæc revertens inde venit Pariſius Anno MCCXIX. ubi FF. fere triginta Congregationem invenit . . . ibique paululum demoratus, inde Bononiam adiit*.

X. Verum, ut preſſius rem diſcutiamus. Hanc interpretationem ultro illis, ceu legitimam donare volo. Quanquam enim vera foret, non idcirco tamen controverſiam dirimeret. Alterum ergo reſponſionis membrum expendendum eſt; Statuunt itaque, Divum Dominicum anno milleſimo ducenteſimo decimo nono Paſcha Pariſiis celebraſſe. Hoc tamen non obſtare, quo minus Aſſiſii in Feſto Pentecoſtes ejuſdem anni adeſſe potuerit. Conficiendum utique illi, in hac hypotheſi, fuiſset, quinquaginta dierum ſpatio, longinquum iter : quod quam ſit durum, ac difficile, vel ipſi ſentiunt, & fatentur. Sed malunt iſtud deglutire, quam fidem non adhibere Codicibus, quorum ignorant antiquitatem. At in primis non videtur juſta dierum ſupputatio. Quamvis enim quinquaginta dies a Paſchate ad Pentecoſtes interfluant, hic tamen omnes numerandi non videntur. Nec crediderim, Cenſores Antuerpienſes notam mihi inuſsuros fore, ſi dixerim, Divum Dominicum, nec in Feſto Pentecoſtes, neque diebus Paſchatis iter inſtituiſse : Eo vel maxime, quod, illiſmet

fere

fere diebus, per ipſos etiam, ex Hiſpania Pariſios Dominicus acceſſerat Fratres ſuos inviſurus. Quo dato, jam temporis intervallum reducitur ad quadraginta quinque dies Sed quid ipſe tam ſeveram iuſtituo ſupputationem? Siquidem illimet, hoc quinquaginta dierum ſpatium infra quadragenarium numerum contrahunt hoc eodem paragrapho trigeſimo tertio, *num.* 629. *Secundum hypotheſim ſupra poſitam dicemus, Sanctum Dominicum ineunte, vel incboato am anno* 1219. *circa finem Martii Pariſios adveniſſe, ibidemque tranſactis aliquot diebus poſt Paſcha, ſive diem* VII. *Aprilis, inde in Italiam profectum eſſe. In hoc ſyſtemate potuit Sanctus circa medium menſem Majum ejuſdem anni per varias Italiæ Urbes tranſire, & Feſto Pentecoſtes, ſeu* 26. *Maji intereſſe Capitulo Storearum.*

XI. Aliquot diebus poſt Paſcha, nimirum circa Aprilis medietatem, Pariſiis diſceſſit, & circa medietatem menſis Maji Italiæ confinia attigit. Superſunt adhuc decem dies ante Feſtum Pentecoſtes, in quo celebratum fuit Capitulum Storearum. In hoc brevi ſpatio potuit ne Dominicus per varias Italiæ tranſire Civitates, nempe Mediolano, Bergomo, Bononia, ut cæteras omittam, ibique conciones ad populum habere, etiam per multos dies, ut infra videbimus, fratres ſuos alloqui, & deinde Aſſiſium petere, & Capitulo Storearum intereſſe, atque ibidem paupertatem evangelicam primum addiſcere? Nullus dubito, quin lector commotum ſe ſentiat, ejuſmodi inaudita commenta audiens. Verum major eum ſubibit admiratio, cum rationis momentum, quod promunt, paulisper conſideraverit. *Non diffitemur*, inquiunt, *in bac hypotheſi longinquum iter intervallo quinquaginta dierum conficiendum eſſe, ſed cum ABSOLUTE CONFICI POTUERIT malumus illam difficultatem deylutire &c.* Quaſi dixerim Viris iſtis ſummis non multum reſplenduiſſe hic Critices lucernam, neque bonis Dialecticæ regulis eos uſos fuiſſe. Enimvero quænam manifeſtior fallaciloquentia, quam ea, quæ ex abſoluta poſſibilitate infert eventum a pluribus circumſtantiis pendentem? Iter iſtud *Abſolute confici potuit?* A quo? A Curſore? A Tabellario? An vero ab Apoſtolico viro, qui per Civitates, & Caſtella, Pagoſque tranſiens verbum Dei ſeminabat, ægrotos ſanabat, Cœnobia vel erigebat, vel erecta viſitabat. Qui pedes ſemper iter agebat, qui quotidie incruentum Sacrificium Deo immolabat, qui ſæpius itineris labore feſſus curſum intercipiebat, ut a Deo ſolamen impetraret? At, inquiunt Critici Antuerpienſes, neminem poſſe illis nimiam itinerum iſtorum properationem objicere. Quoniam confeſtim

Digitized by Google

ſeſtim reſponſitant cum Malvenda, qui ad Annum MCCXIX. cap. 14. hæc ſcribit. *Nullibi Sanctus vir longo ſaltem tempore ſe detineri patiebatur*. „ Nihil igitur mirum, concludunt illi *nu.* 630. „ Quod vir quietis impatiens, ut ab Echardo ſupra recte appel- „ latur, & deſiderio propagandi ſui Ordinis flagrans nuſquam „ diu ſubſtiterit. „ Recte hic diſſerit Echardus, quia illis favere videtur, alibi ejus argumentatio claudicat. Ultro concedo, & ipſe, nullibi Sanctum virum longas traxiſſe moras. Quoniam ſi longo tempore alicubi ſubſtitiſſet, totos quadraginta dies inſumpſiſſet; ſed ajo, non Curſoris, ſed Apoſtolici Miniſtri more itinera ſua confeciſſe. Nullibi otio, aut quieti indulgebat, ſed ubique Apoſtolicæ Miſſionis munia obibat. Ad diſpellendum reſponſum datum, non exigitur, ut perdiu in aliqua Civitate moratus fuerit; ſed ſatis eſt unum, vel alterum diem in uno loco, alterum diem in alio loco, eum ſe detinuiſſe. Pariſiis profectus ad Caſtrum Caſtellionis, cum perveniſſet, Sacerdotis illius oppidi ſuique hoſpitis nepotem ab alto ſolario in terram lapſum animamque exhalantem, ut putabatur, Parentibus, ſuis precibus, incolumen reddidit. In Alpium Lombardiæ tranſitu, ſocio ſuo Converſo fame pene confecto, & ad perſequendam viam prorſus inepto candidiſſimum Panem, Angelorum Miniſterio porrectum, a Deo obtinuit. Mediolano tranſiens Conciones habuit, Bergomum conceſſit, ibique non paucos dies ſeſe detinuit. *Deinde vero Bergomum ubi MULTOS DIES commoratus eſt, demum Bononiam ad ſuos pervenit Anno MCCXIX.* Inquit Flaminius: & Noſtrates fere omnes, quæ narravi, referunt. Hæc omnia, ſerius ſi perpendiſſent Antuerpienſes Cenſores, fortaſſe uſi minime fuiſſent tam inepta argumentatione, qualis ea eſt, quæ idcirco quidpiam, tametſi multis circumſtantiis involutum, variiſque remoris impeditum, eveniſſe probat, quod abſolute accidere non repugnat. Si, inquam, ad iſtius ratiocinationis vanitatem animum intendiſſent, non puto, auſos eos fuiſſe obtrudere, Divum Dominicum circa medietatem Aprilis Pariſiis diſceſſiſſe, & circa medietatem Maji in Italiam perveniſſe, & per plures Langobardiæ Civitates excurriſſe, & tandem in Feſto Pentecoſtes Aſſiſii adfuiſſe. Quippe hæ omnes Italicæ excurſiones intra decem dierum ſpatium confici debuiſſent. Quæ omnia ſi ipſi deglutire malunt, quam a Minoritarum opinione recedere, bene illis vertat. Interim ego alteram eorum reſponſionem paucis expendam.

XII. Secundo loco exprobrant Jacobo Echardo, quod nimis confidenter aſſerat, Scriptores tertii decimi ſæculi ſolitos fuiſſe com-

computare annos a die xxv. Martii, vel ab uno ad aliud Paſcha. Cenſores autem Antuerpienſes contendunt, illius ſæculi Scriptores diverſam in annorum ſupputatione epocham ſequutos fuiſſe, aliis a die Nativitatis Domini, aliis a die Annunciationis annorum exordia ſumentibus. Quod univerſe non negat Echardus, cum in ſua diſſertatione aperte aſſerat. *Novi Senis, & Lucæ alium fuiſſe computum, ſed de iſto in præſenti non agitur.* De epocha ergo præcipue loquitur ille, quam noſtrates in annorum ducendis initiis ſequebantur, licet & plures alios comprehendat. Verum ſocii Antuerpienſes in dubium revocant, vel ipſos Divi Dominici Biographos, hanc Annunciationis epocham ſequutos fuiſſe, quod de Bernardo Guidone maxime oſtendere conantur §. XXXIII. *num.* 622. „ Inter Scriptores rerum Italicarum nuper Mediolani „ editos Tom. 3. pag. 480 refertur ex mſſ. Bernardi Guidonis Vi„ ta Innocentii III. Pontificis, in qua author ille Gallus ad pro„ poſitum hæc habet. „ *Innocentius III. natione Campanus de Caſtro Saumani ex Patre Tranſmundo, conſecratus in cathedra S. Petri cœpit anno Domini* 1197. *ſecundum illos, qui annos Incarnationis Dominicæ incipiunt a Feſto Annunciationis Domini in Martio computare; ſecundum illos vero, qui annos Dominicæ Incarnationis computare incipiunt in Natali, ſcribitur anno Domini* 1198.

XIII. Ex recitatis Guidonis verbis id ſolum colligitur, videlicet, exeunte ſæculo duodecimo, Scriptores alios a die Nativitatis, alios a die Annunciationis annos computaſſe. Quod expreſſe non negavit Echardus; ſed docet noſtrates Biographos annos a die Annunciationis ſupputaſſe. Et quamvis aliquantulum ample loquutus fuiſſet, non idcirco talia documenta produxerunt Antuerpienſes, ut jure improperare illi potuerint, quæ ſcribunt laudato §. *nu.* 620. *Ex his omnibus hactenus dictis concludimus, quod Echardus nimis confidenter aſſerat omnes Sancti Dominici biographos ſemper ſtylo veteri uſos fuiſſe. Si vero hi auctores, ſecundum praxim Curiæ Romanæ, & conſuetudinem plurium Hiſtoricorum in deſcribenda Sancti vita annos a Nativitate Domini numerare incipiunt, nulla nos urget difficultas. Sic enim potuit Sanctus vir menſe Januario, vel ineunte Februario anni* 1219. *ex Hiſpania diſcedere, & menſe Martio Pariſios venire, atque inde poſt brevem moram in Italiam proficiſci.* In primis neſcio, qua fronte, nimiæ confidentiæ redarguere audeant Echardum aſſerentem, biographos Divi Dominici ſtyli veteris conſuetudinem ſequutos fuiſſe. Nullum ſiquidem adhuc illi produxerunt documentum oppoſitum evincens. Imo notam,

 quam

Digitized by Google

quam Echardo impingunt, in eoſdem potiori jure regeri poſſe mihi videtur. Siquidem illi in recitatis verbis tamquam extra Controverſiam ſtatuunt, Romæ ſæculo tertio decimo conſuetudinem obtinuiſſe numerandi annos a die Nativitatis Domini. Quod & numero præcedenti nempe 628. dixerant his verbis. *Forte etiam hi, aliique actorum Scriptores ſtylum curiæ Romanæ ſequebantur*. Hanc vero conſuetudinem ſupputandi annos a Nativitate Domini, quam ut certam, & conſtantem hic obtrudunt, variam fuiſſe, & oppoſitam ſæpe viguiſſe, pluribus relatis documentis teſtatur Odoricus Raynaldus ad Annum *MCCXVII. nu.* 102. *Advertendum vero videtur hic anni initium, ut ſæpe fit, a concepti Chriſti die deſumi*. Excipit Honorii Pontificatum. *In Honorii vero Pontificatus annis numerandis a Natalitio Domini computari*.

XIV. Quamvis ergo ſtylum curiæ Romanæ amplexati fuiſſent authores illi, non inde tamen victoriam colligere poſſent Antuerpienſes. Quippe veroſimilius eſt, eos illam epocham ſequutos fuiſſe, quam ſæpe in uſu fuiſſe Romæ teſtatur Raynaldus. Quod poſtea de Bernardo Guidone ſubdunt, modo unam, modo alteram epocham ſequutum fuiſſe, nullo valido argumento id evincunt. Nam in textu ſupra laudato Bernardus Guido, non de ſe, ſed de aliis Scriptoribus refert, quod annos a Nativitatis Dominicæ die ſupputaverint. Alia conjectura, quam ex Mabillonio adducunt, ipſis fatentibus, a Bollando in dubium revocatur, & a Pagio ad annum 1006. *num.* 11. rejicitur, aſſerente, librarii errore, numerum X. pro V. irrepſiſſe. Nec longius diſcutere vacat conjecturam, quam colligunt illi ex chronologia Epiſcoporum Lutevenſium contexta ab Joanne Plantavitio. Nam ipſi teſtantur, ſe non poſſe ex ea inferre, Bernardum Guidonem conſtanter numeraſſe annos a die Nativitatis Domini, ſed tantummodo unam, modo alteram epocham ſequutum fuiſſe. Sic enim concludunt laudato paragrapho num. 627. „ Ex hoc exemplo concludere nolumus, Bernardum Guidonis conſtanter illo ſtylo uſum „ fuiſse. *Nam is Auctor alibi clare indicat, ſe ab Annuntiationis „ Feſto ſive a die* XXV. *Martii more quorundam Gallorum novum „ annum numerare*. Sed ex iis tantum conjicimus, Scriptorem „ illum modo unam, modo alteram adhibuiſse ex duabus epo- „ chis, quas ſua ætate uſitatas fuiſse ſuperius aſserebat. " Ex quibus ſic breviſſime colligo. Bernardus Guido clare adfirmat, ſe ab Annuntiationis die annos ſupputare. Nullibi nec clare, nec obſcure aſſerit, hanc ſupputationem ſe quoque inſtituere a die Nativitatis Dominicæ. Ergo ſtandum eſt apertæ atteſtationi ipſius

Gui-

Guidonis, & ut vanæ rejiciendæ ſunt conjecturæ, quas ex Mabillonio, & Plantavitio eruere ſtuduerunt Bollandiſtæ. Hæc omnia, quamvis clare, fuſius expenderem, ſi ab iis cauſa, quam propugno, unice penderet.

XV. At ne ſententiam meam certiſſimam ambiguis tricis implicem, ac veritatem manifeſtam, nimirum diſputando dubiam efficiam, gratis etiam admiſso, quod tamen minime concedo, aliquos Biographos Divi Dominici a Nativitate Domini annos ſupputaſse, adhuc argumenta nobis ſuperſunt luculentiſſima, quibus evincamus, chimæricam eſse Divi Dominici in Capitulo Storearum, præſentiam. Critici Antuerpienſes, ajunt, admiſsa hac hypotheſi, nullam amplius difficultatem illos urgere. Ego vero, etiam, hac admiſsa hypotheſi, talia promam, quæ eos undique verſum ad incitas redigent. Enimvero, ſi probaverim teſtibus ſynchronis, omnique exceptione majoribus, Divum Dominicum in Italiam veniſse æſtate anni milleſimi ducenteſimi decimi noni; & iter Bononiæ intercepiſse, ibique commoratum eſse: tum certe clariſſime patebit, fabuloſum eſse interventum Divi Dominici in Capitulo Storearum. Porro antequam hæc omnia evincam, placet judicium referre, quod vel ipſi Antuerpienſes ſocii formant de Auctoribus, ex quibus documenta producturus ſum. Hæc autem illi ſcribunt §. 1. *num.* 1. *Multi Scriptores ſynchroni, aut ſuppares eximia Sancti Dominici geſta poſteritati reliquerunt . . . His adde novem Teſtes omni exceptione majores, qui egregias ejuſdem Sancti virtutes, quas ipſi viderant, jure jurando coram Judicibus declararunt*. Inter ſynchronos Divi Dominici biographos primas tenet B. Jordanus, qui de regreſſu illius ex Gallia in Italiam, hæc ſcribit loco ſupra laudato. *Revertens inde venit Pariſius anno Domini MCCXIX., ubi Fratrum ferme triginta Congregationem invenit. Paululum autem demoratus ibidem, divertit Bononiam, & apud Sanctum Nicolaum magnum invenit Fratrum Collegium, quod ſub diſciplina Fratris Reginaldi cura, & diligentia nutriebat. Venientem igitur omnes recipere cum gaudio reverentiam deferentes ut Patri, & MANSIONEM FACIENS apud eos informabat teneram adhuc novæ plantationis infantiam monitis, & exemplis. Tranſmiſit autem inde Pariſius Fratrem Reginaldum*. Jordanus ſcribit, Divum Dominicum regreſſum ex Gallia in Italiam, Bononiæ *MANSIONEM* feciſſe. Ergo reipſa aſſerit tunc non perrexiſſe Aſſiſium. In memoriam revoca, quæ ſupra diximus ex Flaminio, multos nempe dies prædicaſſe Bergomi, & deinde conclude, an veriſimilitudine aliqua aſſeri poſſit, Dominicum

Digitized by Google

circa menſem Aprilis, quocunque modo ſupputentur anni, Pariſiis diſcedentem, die 26. Maji Aſſiſium conceſſiſſe? Sed clariora adhuc promamus. Teſtes jurati omni exceptione majores fatentur, Divum Dominicum anno milleſimo ducenteſimo decimo nono, æſtatis tempore, Bononiam veniſſe. Paulus Venetus Teſtis octavus: *Juratus dixit, quod quatuordecim anni ſunt, & plus, quod intravit Ordinem Prædicatorum Bononiæ, & profeſſionem fecit in manibus Magiſtri Reginaldi, & recepit babitum Dominica in qua cantatur Evangelium Cananeæ, & Magiſter Dominicus in SEQUENTI ÆSTATE venit Bononiam*. Non ergo venit menſe Maji. Hoc ipſum adfirmat Teſtis nonus Frugerius Pennenſis: *Juratus dixit quod quatuordecim anni fuerunt in Quadrageſima proxima præterita, quod ipſe intravit Ordinem Prædicatorum, & fecit profeſſionem in manibus Fratris Reginaldi, & ab eodem recepit babitum apud Eccleſiam de Maſcarella, ubi primo fuit Ordo Prædicatorum Bononienſium, & eodem anno in ÆSTATE SEQUENTI venit F. Dominicus Fundator Ordinis S. Nicolai, & primus Magiſter Bononiam*.

XVI. Laudatis ſynchronis, juratiſque teſtibus concinunt Chronographi. Theodoricus de Apoldia *lib.4. cap.8.* hæc ſcribit. *Anno reparatæ Salutis MCCXIX. Dominicus Lutetiam veniens in Cœnobio S. Jacobi XXX. fratres invenit, apud quos ad breve tempus bærens eis valedixit & gratiæ Dei eos commendans profectus eſt. Inde ad Caſtrum acceſſit. Tandem ÆSTATE B. Dominicus Bononiam ingreſſus eſt, ubi jam tunc apud Sanctum Nicolaum magnus cum Fr. Reginaldo erat Fratrum numerus, qui de adventu Beati viri gaviſi ſunt. MANSITQUE VIR DEI IN EADEM URBE:* eadem Flaminius, aliique omnes poſteriores ſcribunt. Quid ad hæc critici Antuerpienſes? An fortaſſe dicturi ſunt tempus æſtivum ac vernum idem eſſe? ſed ſcriptura ipſa hæc anni tempora diſtinguit. *Æſtatem, & ver tu plaſmaſti ea pſ. 73.* Itaque Biographi ſynchroni Divi Dominici expreſſe docent, Sanctum Patriarcham propoſitum abdicandi fundos, & redditus a ſuo ordine jam inde ab anno milleſimo ducenteſimo decimo ſexto concepiſſe: unde, aliis quoque productis argumentis collegi, anilem fabulam eſſe, quam de paupertate a Divo Dominico in Capitulo Storearum primum percepta obtrudunt ex codicibus aut ſuppoſititiis, aut certe interpolatis. Minoritæ recentes ſcriptores iidem pariter biographi manifeſte aſſerunt anno milleſimo ducenteſimo decimo octavo Roma egreſſum D. Dominicum Segobiæ conciones habuiſſe, Cœnobiumque ædificaſſe: poſt vero Natalitia

Feſta

Feſta per varias Hiſpaniæ Civitates excurriſſe, Matriti Cœnobium erexiſſe, Cæſarauguſtæ inſigne miraculum patraſſe; ac præcipuis peragratis urbibus currente anno MCCXIX. Hiſpania relicta, Toloſam petiiſſe, ubi quoque mirabilia portenta edidit. Toloſa vero per rupem amatoriam tranſiens Pariſios acceſſit; & inde in Italiam reverſus, poſt habitas in pluribus Langobardiæ Civitatibus Conciones æſtivo tempore Bononiam intravit, ibique pedem fixit. Si ſtatim poſt Paſcha, aut circa medietatem menſis Maji, ut docent Bollandiſtæ, Divus Dominicus Bononiam appuliſſet: An authores ſynchroni, & teſtes oculati aſſeruiſsent illum veniſse *ÆSTATE SEQUENTI*? An ſi Aſſiſium perrexiſſet, Beatus Jordanus, Theodoricus de Apoldia, cæterique omnes ſcripſiſsent Bononiæ manſionem feciſse? His domeſticis Scriptoribus in majorem veritatis confirmationem unum adjicere lubet externum documentum, quod ex antiquis mſſ. in lucem nuper emiſit clariſſimus, & de Ordine Prædicatorum, ſi quis alius, optime meritus Alexander Machiavellus in ſuo eruditiſſimo libro, qui inſcribitur: *De Origine S. Dominici a ſplendida Guzmanorum Familia Vindiciæ ex ſolis Bononienſibus documentis adornatæ*, ubi pag. 18. ex Chronico edito ab Guſtino, ſive Auguſtino dalle Annelle refert ſequentia. „ Ma quando in nome del Segnore arrivò Meſ- „ ſer Domenico ſudetto tutto polveroſo, laſſo, e ſudato per ir „ a piedi, & eſser un gran caldo *eſſendo di Lujo*, chi è, che ri- „ dir vogli i sforzi, che ogu'un fece per vederlo. „

XVII. Cum itaque omnes hiſtorici noſtrates, & etiam externi aſserant, Divum Dominicum Anno MCCXIX. æſtatis tempore ex Gallia Bononiam perveniſse, ibique permanſiſse, nullus profecto cavillandi remanet locus; vel quod ex Gallia, Bononia tranſiens, ibique aliquot dies moratus; Aſſiſium petierit, vel quod ex Gallia menſe Majo recta Aſſiſium perrexerit, & inde Bononiam reverſus fuerit æſtivo tempore. Quandoquidem quicumque ſerio animo ea reputaverit, quæ hucuſque dicta ſunt, tam abſurda commenta vix mente ſibi effingere, nedum in medium obtrudere auſerit. Attamen, quoniam nihil eſt tam manifeſtum, exploratumque, de quo vitilitigatores rixari non delectentur; idcirco ipſe mihi adeo frigidas conjecturas objeci, ut in nihilum redactas, quemcumque in poſterum pigeat, eaſdem regerere. Quod ut perficiam, ſub oculos revocemus oportet itineris Hiſpanici, Gallici, & Italici ſpecimen, quod nobis laudati hiſtorici præferunt. Enimvero ii clare, diſtincteque teſtantur, Divum Dominicum ex Gallia per alpes Langobardiæ in Italiam redeuntem, Bononiam con-

Digitized by Google

conceſſiſſe, & ibi itineri ſuo finem impoſuiſſe. Quæ itinera, cum tam diſtincte enarrent, ſiluiſſent ne acceſſum ad Capitulum Storearum, ſi reipſa accidiſſet? Et quod decretorium eſt, an ſi illuc iviſſet contrarium ſcripſiſſent, videlicet Bononiam ex Gallia revertentem acceſſiſſe, & ibi ſubſtitiſſe? Qua igitur ratione opponi poteſt, Sanctum virum Aſſiſium uſque iter continuaſſe? Fortaſſe quod hiſtorici non negant illo profectum eſſe? At negant apertiſſime, cum definite adfirment ex Gallia per alpes Langobardiæ & Mediolano veniſſe Bononiam, ibique *manſionem feciſſe*. An expreſſius negare poterant? An ſcribendum illis erat non ivisse Aſſiſium? Sed quomodo id ſcribere poterant, ſi nulla tunc hac de re erat mentio, vel quæſtio; ſi Divus Bonaventura nec verbum fecerat? Negaſſent, vel adfirmaſſent, ſi controverſi Codices, qui a pluribus annis, cum ſcribebant Humbertus, Theodoricus, & Guidonis, editi eſse debuerant, iter illud narraſsent. Quid plura? Si tales negationes exigantur, eadem ratione opponere quiſque poterit, Sanctum Dominicum ivisse in Aſiam, in Africam, & quo non? Quoniam id hiſtorici non negant. Accedit, quod quamvis Scriptores diem non deſignent, quo Bononiam Divus Dominicus pervenerit, communis tamen noſtratum opinio eſt, id contigiſse menſe Auguſto, ut inquiunt Malvenda ad annum 1219. *cap.* 23., & Jacobus Echardus laudata diſsertatione, vel menſe Julio ut habetur in Chronico Annelliano. Quæ duæ opiniones facile conciliari poſsunt. Siquidem vel labente menſe Julio, vel incipiente Auguſto adventus ille contigit. Et quod menſe Auguſto Bononiæ Dominicus adfuerit, non modo docent noſtrates, ſed id quoque conceptis verbis aſseritur in *Vetuſtiſſ. Kalendar. honoriſ. perpet. Archigym. Bonon.* apud laudatum Machiavellum pag. xv. ubi hæc habentur. „ *In Auguſto ad diem* 15. „ Hac die A. 1219. profecto ad nos primum S. Dominico Prædicatorum Ordinis inſtitutore, & poſtea noſtro cive Bonon., „ qui erat ex nobili genere *Guzmanorum a* Calaroga Oxomenſis „ Diœceſis Oppido in Hiſpania, & poſt quem bonitatis, doctrinæ & miraculorum fama, pene univerſa currebat hæc civitas, per ipſius manus habitum Fratrum ſuorum ex improviſo, „ & univerſa demirante Accademia, induit valde celebris Magiſter Conradus Theutonicus noſtri Lycæi Profeſsor. " Ex quibus hanc elicio conſequutionem. Si Divus Dominicus vigeſima ſexta die Maji Aſſiſii adfuiſset, & ſolummodo aut menſe Auguſto, aut menſe Julio Bononiam appuliſset, jam temporis plus dimidio in reditu ex Civitate Aſſiſienſi ad Urbem Bononienſem inſumpſiſſet,

ſet, quam in reditu ex Gallia in Italiam. Quod de viro quietis impatiente, & deſiderio ſui Ordinis propagandi flagrante ſuſpicari piaculum foret, ſicuti iiſdem verbis inquiunt Bollandiſtæ ut ſupra vidimus. Eo vel maxime quod Urbem Bononienſem præ omnibus aliis Italiæ Civitatibus adeundi ſummo, ardentique deſiderio, & rationibus pluribus urgebatur Vir Sanctus: Tum ut Filios ſuos cariſſimos illuc anno præcedenti miſſos, præcipue B. illum Reginaldum, cui Cœnobium Pariſienſe regendum deſtinaverat, inviſeret: tum ut gratias plurimas haberet Magiſtratui Bononienſi, qui ſumma benignitate alumnos ſuos exceperat iiſdemque ædes inhabitandas donaverat: Tum denique ut officia perſolveret ſuaviſſimæ neceſſitudinis, quam Romæ contraxerat cum Hugolino Preti, aliiſque nobilibus viris, dum munus Oratorum pro populo, & Accademia Bononienſi ad Concilium Lateranenſe IV. ſuſtinerent. Prætereo quod vix recta via Mediolano Aſſiſium petere poterat, quin Bononia tranſiret, aut quod Bononiæ ſubſtiterit aliquot dies, & deinceps ad Capitulum Storearum perrexerit. Quoniam refugit animus in tam frigidis nugis immorari. Commentitia igitur eſt undiqueverſum præſentia Divi Dominici in Capitulo Storearum: ſuppoſititii, aut certe interpolati Codices factum iſtud enarrantes: Vanæ, & ineptæ conjecturæ, quas, ut illud propugnarent, excogitarunt Clariſſimi Editores Actuum Sanctorum Antuerpienſes.

CAPUT V.

Divus Patriarcha Dominicus morti proximus in recipientes poſſeſſiones, & redditus Maledictionem omnipotentis Dei, & ſuam pronunciavit. Perperam eam denegant Bandellus Pornaſius, Viguerius, Meſplede, & Paſſerinus.

I. QUEMADMODUM dum prima Ordinis fundamenta jecit Divus Dominicus apud Prulianum Anno MCCXV. legem de abdicandis poſſeſſionibus, & redditibus concepit, & quinquennio maturatam ſolemni ritu Anno MCCXX. in comitiis primis Bononienſibus rogavit: Sic quoque, ut ultima primis reſponderent, ſuumque erga paupertatem evangelicam amorem luculentius oſtenderet, morti proximus maledictionem omnipotentis Dei in illos inflixit, qui

qui in poſterum poſſeſſiones in Ordinem inveherent, ſeu acceptarent oblatas. Hanc imprecationem, ut commentitiam, vanoque rumore vulgatam improbat Vincentius Bandellus Ordinis noſtri Generalis Magiſter doctrina, pietate, rerumque gerendarum dexteritate inſignis in Commentario conſtitutionum noſtrarum *diſt.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. Ejus momenta ſuis concepta verbis referre lubet. *Nec eſt verum, quod B. Dominicus in teſtamento ſuo maledictionem Dei, & ſuam cuilibet inducenti redditus & poſſeſſiones in Ordine dederit: tunc primo quia in conteſtationibus factis pro Canonizatione ejus per illos, qui interfuerunt morti illius hoc non reperitur, ſed bene iſtud: Charitatem habete, humilitatem ſervate, paupertatem voluntariam poſſidete. Tum ſecundo quia in legenda antiqua ipſius, quæ dicitur fuiſſe edita a B. Jordane talis maledictio ſcripta non invenitur. Tum tertio, quia in Capitulo apud Argentinam celebrato anno* 1270. *mandatur omnibus Fratribus, ut utantur legenda B. Dominici, quæ fuit edita a B. Jordane, & eſt inſerta in lectionariis antiquis, & aliæ deinceps non legerentur: in prædicta autem legenda, quæ eſt in antiquis lectionariis talis maledictio non habetur, & dato quod talis maledictio eſſet inſerta, intelligenda eſt data illis Fratribus, qui ſine ulla neceſſitate, & cauſa legitima, & ſine diſpenſatione Magiſtri hujuſmodi diſpenſationem inducerent. Unde reperiuntur Conventus inſtituti a B. Dominico, qui poſſeſſiones, & redditus, quos tunc habebant, etiam nunc habent.* Bandellum ſequutus eſt Joannes Viguerius *in Inſt. ad Chriſ. Theol. de ſtatibus Eccleſiaſ. cap.* 17. *ver.* 16. qui momenta Bandelli tranſcripſit, de ſuo dumtaxat addens craſſiſſimum mendum; nempe Capitulum Argentinenſe, anno 1226. celebratum, reprobaſſe omnes legendas, præ illa B. Jordani, ab indiſcretis, ait ille, zelatoribus, & æmulis conſcriptas. Manifeſtum namque eſt, anno 1226., nullum apud Argentinam celebratum eſſe Capitulum; ſed Capitulum Generale, hoc anno, Bononiæ celebratum fuit, ut ex Codice Toloſano Capitula omnia ab anno 1220. uſque ad annum 1316. continente, palam eſt. Conſule Martene *Tom.* 4. *antiq. pag.* 1671., in quo codex laudatus typis editus habetur. Hanc eandem opinionem ſuſtinent Pornaſius Meſplede, & Paſſerinus, nullam tamen afferti proferunt rationem.

II. Ut vero Bandelli momenta in examen vocentur, ab ultimo auſpicamur, eique abſque difficultate concedimus, maledictionem illam in eos vibratam eſſe, qui, nulla cogente neceſſitate, poſſeſſiones receperint. Verum in præſentia non ſenſum imprecationis venamur, ſed facti veritatem inquirimus. Quam, ut faci-

facilius aſſequamur, quædam Bandelli aberrationes corrigendæ ſunt. Quanquam enim vir iſte noſtros inter Generales Magiſtros celeberrimus, emunctæque naris fuerit: attamen pluribus negotiis, & occupationibus diſtentus, haud potuit omnia pro dignitate expendere. Ac in primis Capitulum Generale anni 1270., non apud Argentinam, ut ipſe aſſerit, ſed Mediolani celebratum fuit. In hoc autem Capitulo nulla mentio de legenda B. Jordani; Capitulum vero Argentinenſe, in quo de eadem legenda ſermo habetur, celebratum fuit anno 1260., ut ex laudato Codice colligitur. Porro tum verba, tum ſenſus textus illius Capituli de legenda Jordani loquentis, toto Cœlo diſtant ab eo, quem Bandelli textus exhibet. Textus enim a Bandello laudatus eſt ejuſmodi: *In Capitulo apud Argentinam celebrato anno* 1270. (corrige anno 1260.) *mandatur omnibus Fratribus, ut utantur legenda edita a B. Jordano, & eſt inſerta in lectionariis antiquis, & aliæ deinceps non legerentur.* Textus vero genuinus ipſius Capituli in Codice Toloſano apud *Mart. Tom.* 4. *pag.* 1728. ſic habet: *Ordinatione* 15. *Item mandat Magiſter, quod Fratres utantur legenda B. Dominici, quæ inſerta eſt in lectionariis, & aliæ deinceps non ſcribantur.* Duo hic animadverſione digna ſunt: primum Capitulum Argentinenſe vetat, ne aliæ legendæ ſcribantur: *& aliæ deinceps non ſcribantur.* Bandellus autem, in rem ſuam Textum illum hoc modo effert. Et aliæ deinceps non legerentur. Quod ſenſum omnino diverſum reddit, proditque. Nam ex interpolato Bandelli textu infertur, omnes alias legendas, præter ſolam Jordani, reprobari, ut apocryphas: cum Capitulum non legendas exaratas legere, ſed ſcribere in poſterum vetat. Legenda autem Conſtantini, de qua jam jam, exarata erat ab anno 1246. Secundo animadvertendum occurrit, Capitulum ſermonem habere de legenda, quæ uſui lectionarii, ut vocabant, inſervire deberet: & quia legenda Jordani jam lectionario inſerta erat, ut idem Capitulum teſtatur, ideo prudentiſſime vetuit, ne aliæ legendæ ſcriberentur eidem inſerendæ, ne deformis varietas in Divinis Officiis perſolvendis contingeret. Correctio autem lectionarii facta erat ab anno 1246., & ab univerſo Ordine ſuſcepta, ſicuti ex Capitulo Generali Pariſienſi manifeſtum eſt, in quo omnium librorum Choralium emendatio peracta fuit: *Ordinatione* ſiquidem 9. hæc habentur. *Item tota ordinatio Eccleſiaſtici Officii facta a quatuor Fratribus quatuor Provinciarum, vel facienda uſque ad annum, communiter per totum ordinem obſervetur.*

III. *Ordin.* 10. *Item, ut liber lectionarius, tam de tempore,*

quam de feſtis, quem committimus Provinciali Franciæ ordinandum per totum Ordinem univerſaliter recipiatur. Ex Codice Toloſano apud Martene *Tom.* 4. *Theſ. Anecd. pag.* 1690. Ex quibus omnibus colligitur, Capitulum Argentinenſe prohibuiſſe ſolum legendas pro uſu libri lectionarii ſcribendas, ut cujuſque deformitatis ſpecies abeſſet; minime vero vetaſſe, exactiorem Hiſtoriam geſtorum D. Dominici; cum potius ſingula ferme Capitula, & omnes Generales præciperent Religioſis, ut, ſi quæ haberent ad hiſtoriam D. Dominici attinentia, ſcriptis commendarent. His animadverſis, dico, Sanctiſſimum Patriarcham maledictionem omnipotentis Dei, & ſuam vibraſſe in recipientes poſſeſſiones. Teſtes fere ſynchronos, & ſuppares produco. Conſtantinus Mediceus anno 1242. in Capitulo Generali Bononienſi ab Joanne Theutonico quarto Ordinis noſtri Generali vitam D. Dominici ſcribendi in mandatis habuit, eamque ad finem perduxit anno præter propter 1247. Cujus rei teſtis eſt Bernardus Guido apud Malvendam ad ann. 1234. pag. 530. *Tertio* (nempe poſt Jordanum, & Petrum Ferdinandi, qui primi vitam D. Dominici ſcripſere) *ſcripſit Fr. Conſtantinus, qui fuit Epiſcopus Urbevetanus de Mandato Magiſtri Ordinis Fr. Joannis Theutonici, ſicut patet in epiſtola ipſius Fr. Conſtantini, quæ incipit :* Reverendo in Chriſto Patri &c. . . . *Hanc ſimiliter approbavit Generale Capitulum*. Hoc idem adfirmant Leander *de Viris illius Ord. Præd. lib.* 3. *pag.* 121. Antonius Luſitanus vulgo Senenſis *in Bibliot. pag.* 63. *Fr. Conſtantinus*, inquit, *qui fuit Urbevetanus Epiſcopus vir Religionis, ac Doctrinæ merito conſpicuus compilavit legendam B. Dominici Patris noſtri, quam direxit Reverendiſſimo Generali Magiſtro Ordinis Patri Fratri Joanni Theutonico. Dictavit etiam officium B. Dominici Patris noſtri, quo Ordo nunc utitur*. Quod poſtea addunt Leander *lib.* 4. *pag.* 152. & Antonius Senenſis *pag.* 163. ſimile mandatum vitam D. Dominici ſcribendi impoſitum fuiſſe cuidam Fratri Juſtino, ceu commentitium rejicit Echard. *Tom.* 1. *de Script. pag.* 153. Quod iſtius Juſtini apud antiquos, & ſuppares nulla mentio. Porro Conſtantinus in vita; quam ſcripſit, quamve typis editam ſuo primo de Scriptoribus Tomo inſeruit Echardus *pag.* 35., conceptiſſimis verbis imprecationem a D. Dominico in poſſeſſionum receptores latam, refert. *Illud vero*, inquit, *qua potuit diſtrictione prohibuit, ne quis unquam in ſuo Ordine poſſeſſiones induceret temporales, maledictionem Dei omnipotentis, & ſuam terribiliter imprecans ei, qui Prædicatorum Ordinem, quem præcipue paupertatis decorat poſſeſſio, terrenæ ſubſtantiæ veneno reſpergere laboraret*. Hæc Conſtan-

Digitized by Google

ſtantinus, qui ex ore ſociorum Divi Dominici, quibuſcum convixit plurium annorum ſpatio ſuam legendam exaravit. Hanc ratam habuit, Guidone teſte, Capitulum Generale, cui plures ex ipſius Divi Dominici ſodalibus interfuiſſe, nemo ierit inficias. Ni ergo vera extitiſſet imprecatio, mendacii reum arguiſſent Conſtantinum, ejuſque Hiſtoriam diris devoviſſent, nedum non approbaſſent.

IV. Vincentius Bellovacenſis Scriptor ſuppar in ſuo ſpeculo hiſtoriali, cui, ut ipſe teſtatur, finem impoſuit anno 1244. hæc habet *libr.* 30. *cap.* 113. „ Appropinquante peregrinationis termino, „ fineque certaminis ſui apud Bononiam gravi cœpit infirmitate „ languere. Poſitis autem ex his, qui tunc aderant, filiis coram „ eo, teſtamentum pacis diſpoſuit, in quo præcipue, tam ipſis, „ quam cunctis per ordinem circumquaque diffuſis, ſalubri qui„ dem admonitione præmiſſa, charitatis, humilitatis, atque pau„ pertatis legitimam ſucceſſionem legavit. In hujus, inquam, „ triplici proprietate theſauri ſummopere univerſos filios hære„ des inſtituit, per quæ nimium illius Regni, quod repromiſit „ Deus diligentibus ſe, ſecum fierent cohæredes. Illud vero, qua „ potuit diſtrictione, prohibuit, ne quis unquam in ſuo Ordine „ poſſeſſiones induceret temporales, *maledictionem Dei, & ſuam* „ *imprecans ei*, qui Prædicatorum Ordinem, quem præcipue pau„ pertatis decorat profeſſio, terrenæ ſubſtantiæ veneno reſperge„ re laboraret. „ Theodoricus de Apoldia, præ cæteris antiquis Scriptoribus accuratiore examine Vitam Divi Dominici ſcriptis mandavit, jubente Patre Munione Magiſtro Generali, ut teſtatur Bernardus Guidonis in ſuo commentario de rebus Ordinis his „ verbis. „ Frater Theodoricus de Apoldia de Conventu Erfor„ dienſi Provinciæ Saxoniæ, tempore, & juſſu Venerabilis Fra„ tris Munionis Magiſtri Ordinis noſtri ſeptimi librum novum, „ quem intitulavit de vita, & obitu, ac miraculis S. Dominici, „ & de Ordine Prædicatorum, quem fundavit, compilavit circa „ annum Domini 1290. „ Porro Theodoricus libro V. hæc ſcri„ bit. „ Et quia ex Divina Revelatione didicerat, ſe a corpore „ abiturum, Fratribus coram ſe congregatis, teſtamentum fecit, „ quod nulli mutare fas eſt. Hæc ſunt, inquit, Fratres chariſſi„ mi, quæ vobis hæreditario jure poſſidenda relinquo: Charitas „ ſit in vobis, humilitatem ſectemini, paupertati voluntariæ ſtu„ dete. Non erat illic argentum, & aurum, nec quævis terre„ næ facultates, unde teſtamentum conderet. Quod autem ha„ buit fide locuples, hoc illis legavit, nempe divitias ſalutis,

Digitized by Google

„ Theſauros cœleſtes, opes nunquam perituras, quibus illum „ abundaſſe vita ſanctiſſima teſtatur, docent exempla, miracula „ confirmant. Ne autem paupertatem evangelicam firmiſſimum „ hujus inſtituti fundamentum, inimica Deo carnis ſapientia „ evertat, quanta potuit ſeveritate prohibuit, ne quis poſſeſſio- „ nes temporales Ordini invehat, *Omnipotentis Dei, & ſuam ma- „ ledictionem ei terribiliter intentans*, qui Ordinem Prædicatorum, „ quem vel maxime ornat paupertatis profeſſio, terrenæ ſubſtan- „ tiæ pulvere auſus fuerit obſcurare. „ Ex poſterioribus Scriptoribus unum laudare ſufficiat Sanctum Antoninum, qui *3. par. hiſt. tit. 23. cap. 4. §. 13.* hæc ſcribit. „ Quod autem, ut in ſacra „ ejus habetur hiſtoria, dicitur quod quanta potuit diſtrictione „ prohibuit, ne quis in hunc ordinem poſſeſſiones induceret tem- „ porales, *Maledictionem Dei, & ſuam imprecans in contrarium „ facienti :* in hoc commendatus eſt zelus ejus ad paupertatem. „ Et omnino ſervandum eſt teſtamentum ejus ubi neceſſitas non „ urget. „ Idem docent Caſtillius, Flaminius, & alii.

V. Cum itaque Scriptores fere ſynchroni, qui cum ſociis Sanctiſſimi Patriarchæ vixerunt, atque ex eorum relatione geſta D. Dominici ſcriptis conſignarunt, adeo conceptis verbis imprecationem iſtam enarrent, neſcio quo fundamento potuerint Bandellus, ejuſque ſequaces Viguerius, Meſplede, aliique, ut vanum commentum, eam rejicere; hoc unico negante argumento nixi, quod in legenda Jordani non reperiatur! Siquidem ad unum omnes fatentur eruditi unius, vel alterius Scriptoris ſilentium nullius eſſe momenti, quando cæteri Scriptores ſynchroni, vel fere ſynchroni factum enarrant. Quamvis igitur in legenda Jordani, quæ compendium potius, quam exacta vitæ D. Dominici hiſtoria dicenda eſt, non reperiatur execratio iſta, nullum faceſſit negotium, cum habeatur in vita a Conſtantino, vix decem annis poſt Jordani mortem, conſcripta, juſſu Magiſtri Ordinis, & a Capitulo Generali approbata. Si ea dumtaxat, quæ Jordanus de B. Dominico narrat, admittenda eſſent, & cætera Conſtantini, Theodorici, & aliorum explodenda, profecto non pauca de Divi Dominici hiſtoria heroica geſta detruncanda forent. Siquidem Gerardus de Frachetto, ſeu de Franchetto, ut alii ſcribunt, qui juſſu B. Humberti quinti Generalis, vitas fratrum ab anno 1216. uſque ad annum 1260. conſcripſit, plura de D. Dominico ab aliis omiſſa nobis tranſcripſit, ut teſtatur Bernardus Guido in commentario ſuo. *Frater Gerardus Frachetto Lemovicenſis diœceſis Prior Provincialis Provinciæ, quaſi colligens ſpicas, quæ de manu metentium*

Digitized by Google

tium evaſerunt, *ſicut ipſemet teſtatur ibidem*, *multa quæ omiſſa*, *vel ignorata ab aliis compilatoribus*, *ſeu Scriptoribus videbantur*, *recolligens*, *& componens in ſecundo libro*, *qui vitæ fratrum inſcribitur*, *quem ipſe compoſuit*, *& in quinque libros diſtinxit*. Hic ſecundus liber typis editus reperitur apud Echardum *Tom.* 5. *de Script. pag.* 37. ejuſque initium tale eſt. *Non debet videri ſuperfluum*, *ſi ea*, *quæ ab ipſis compilatoribus legendæ B. P. N. Dominici fuerunt omiſſa*, *vel ignorata*, *quaſi ſpicas elapſas de manu metentium colligamus*. Theodoricus de Apoldia in Epiſtola ad Nicolaum de Tarviſio Magiſtrum Ordinis apud Malvendam ad annum 1234. pag. 529. expreſſe teſtatur, Conſtantinum plura mirabilia ſuæ D. Dominici Hiſtoriæ inſeruiſſe, quæ a Jordano omiſſa fuerant. *Poſtea de Mandato Joannis Epiſcopi*, *qui quartus a S. Dominico Magiſter extitit*, *Fr. Conſtantinus ſecundam legendam edidit multa inſignia ſuperaddens*. Secundum Jordanum proxime collocat Conſtantinum, quia vitam conſcriptam a Petro Hiſpano, cujus meminit Bernardus Guido, ignoravit. Deinde, relatis duobus aliis vitæ S. Dominici Scriptoribus, nempe Humberto, & Gerardo Frachetto, ſic concludit Theodoricus. *Ex his omnibus præſentis opuſculi materia ſumpta in unum libellum conſcripta eſt fideliter*, *compacta*, *cui authoritatem præſtat geſtorum veritas*, *ſine qua nulla valet authoritas*. *Quis vero prædictis Patribus authoritatem audeat derogare*, *quorum hic ſententiæ & plerumque verba de verbo poſita ſunt?*

VI. Ruit ergo undequaque Bandelli fundamentum ab unius Jordani ſilentio petitum; quoniam Scriptorum ſupparum teſtimonio habemus Jordani legendam in multis deficientem, atque mancam eſſe. Quod vero ſubdit Bandellus, Capitulum Argentinenſe anno 1260. celebratum juſſiſſe Fratribus, ut legenda Jordani, quæ in lectionariis inſerta erat, uterentur, nullius eſt momenti. Quandoquidem ideo in lectionariis legenda Jordani inſerta fuit, quia brevior, atque aptior ad id judicata fuit, omiſſis aliis longioribus, quarum aliquæ nonnulla etiam minus digna referebant. Quis itaque ex hoc inferat legendam Conſtantini a Joanne Theutonico, calculis omnibus approbatam, hoc in Capitulo Argentinenſi repudiatam eſſe? Quis unquam contra vitam circiter viginti annorum ſpatio poſt Capitulum Argentinenſe juſſu Munionis Generalis a Theodorico de Apoldia conſcriptam, & a Nicolao Tarviſino pariter Generali Magiſtro approbatam, reclamavit?

CA-

CAPUT VI.

Hiſtorica narratio paupertatis, quæ a D. Dominici tranſitu uſque ad Concilium Tridentinum in Prædicatorum Ordine viguit.

I. PROHIBITIONEM bona ſtabilia recipiendi anno 1220. in Comitiis Generalibus Bononienſibus factam, & a Sanctiſſimo Patriarcha in ultimo mortis articulo divinæ, ſuæque maledictionis pœna roboratam tanto fervore, tantaque ſeveritate obſervarunt digniſſimi ejuſdem ſucceſſores, ut, congregato anno 1228. ſub B. Jordano Magiſtro Generali totius Ordinis primo Generaliſſimo Capitulo Pariſiis, eandem legem innovarint, firmarint, atque inviolabiliter, & in perpetuum ſervandam, præceperint. De hoc Generaliſſimo Capitulo publicæ Tabulæ ſeu noſtræ Conſtitutiones *diſt.* 2. *cap.* 10. *Text.* II. hæc referunt : *Anno ab Incarnatione Domini* 1228. *convenerunt Pariſiis in Domo Sancti Jacobi Priores Provinciales, una cum Venerabili Patre Fr. Jordano bonæ memoriæ Magiſtro Ordinis noſtri, ſinguli cum duobus Definitoribus a Capitulis Provincialibus deputatis : in quos fratres omnes vota ſua unanimiter transtulerunt eiſdem poteſtatem plenariam concedentes, ut quidquid ab eis fieret, ſive in conſtituendo, ſive in deſtituendo, mutando, addendo, vel minuendo de cætero firmum, ac ſtabile permaneret, nec liceret alicui quantæcumque authoritatis aliquid eorum immutare, quæ ipſi ſtatuerunt perpetuis temporibus permanſura.* Textu III. *Priores igitur præfati cum ſuis Definitoribus, gratia Spiritus Sancti invocata, quaſdam Conſtitutiones ad utilitatem, & honeſtatem, & conſervationem Ordinis (præmiſſa diligenti examinatione) unanimiter, & concorditer ediderunt; quas in ſuis locis inter conſtitutiones alias inſerere procurarunt. Inter alias autem quaſdam voluerunt inviolabiliter, & immutabiliter in perpetuum obſervari : Videlicet de poſſeſſionibus ; & redditibus nullatenus habendis, vel recipiendis, de appellationibus removendis, & quod non poſſit per Fratres Definitores Prioribus Provincialibus, neque per Priores Provinciales Fratribus Definitoribus, in ſuis definitionibus in aliquo præjudicium generari.*

Textu IV. *Quaſdam vero voluerunt ſic immobiles permanere, ut nonniſi a conſimilibus Capitulis, novis emergentibus articulis, caſibus,*

Digitized by Google

ſibus, vel negotiis, de ipſis poſſit aliquid pro tempore immutari: videlicet de conſtitutionibus non faciendis, niſi per tria Capitula Generalia continua fuerint approbatæ, de non equitando, de expenſis non portandis, ita tamen, ut bis pro loco & tempore Prælato liceat diſpenſare.

II. Legem hanc a nullo conſimili poſteriore Capitulo abrogatam fuiſſe compertum eſt; ſed plurium annorum ſpatio in Ordine viguiſſe ex certis colligimus documentis. Anno ſiquidem 1242. hanc Ordinationem legimus factam in Capitulo Bononienſi num. 11. poſitam; *Item volumus, & mandamus, ut vinaria artificioſa a domibus noſtris removeantur, & vineæ pariter ad comeſtionem, & agreſtam faciendam extirpentur.* En quam ſevera legis obſervatio! Tempore vero D. Thomæ hanc legem in viridi fuiſſe, ejus ſcripta manifeſte oſtendunt. In primis opuſculo 17. contra retrahentes homines ab ingreſſu Religionis *capite* 14., *&* 15., *&* 16. evincit ſummæ perfectionis eſſe poſſeſſionibus in communi carere, contra malignos detractores duorum Ordinum, Franciſcani ſcilicet, & Prædicatorii: *& cap.* 16. Sic concludit. *Jam vero quod 7. propoſitum eſt magis deriſione, quam reſponſione dignum eſt. Quis enim non videat in immenſum majoris ſollicitudinis eſſe poſſeſſionibus procurandis curam impendere, ad quod vix ſæculares ſufficiunt, quam acquirere ſimplicem victum ex fidelium pietate collatum, & clementia Divina proviſum?* Opuſculo pariter 19., & ſeq. contra impugnantes Religiones D. Dominici, & D. Franciſci larga manu argumenta promit, quibus abdicationem poſſeſſionum etiam in communi ad ultimum paupertatis evangelicæ apicem pertinere erudite, ac perdocte, more ſuo, oſtendit. Enimvero Doctorum Pariſienſium plures, quorum anteſignanus erat Guillelmus a S. Amore, duos recentes Mendicantes Ordines, ideo improbabant, quod, Poſſeſſionibus omnibus abdicatis, ſpretiſque, non labore manuum, ſed, eleemoſinis emendicatis, vitam alerent; cujus vitæ rationem illicitam, atque evangelio contrariam effutiebant; horumque errores ad nihilum redegit Angelicus locis laudatis: & tandem 22. *q.* 188. *art.* 7. Paupertatis ſuæ Dominicanæ Religionis gradum deſcribit his verbis. *Illis autem Religionibus, quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda competit, vitam habere maxime ab exterioribus ſollicitudinibus expeditam; quod quidem fit, dum modica, quæ ſunt neceſſaria vitæ, congruo tempore procurata, conſerventur. Et hoc Dominus paupertatis inſtitutor docuit ſuo exemplo. Habebat enim loculos Judæ commiſſos, in quibus recondebantur ei oblata, ut habetur Joan.* 10.

III. Tho-

III. Thomas Cantipratanus in opere ſuo de apibus, quod circa annum 1265. conficiebat, lib. 2. cap. 11. §. 1. hæc ſcribit *Prædicatorum, atque Minorum Fratrum Ordines expenſas non habent, nec copias*. Capitulum Generale Lugdunenſe anno 1274. celebratum ſub Joanne Vercellenſi Generali Magiſtro legem de abdicandis, & non acceptandis poſſeſſionibus confirmavit *ord.* 7. his verbis. *Inhibemus etiam diſtricte, ne Fratres extra ſepta Monaſterii proprietatem domorum, vel quarumcumque poſſeſſionum ultra annum retineant ullo modo, ſed alienare vel vendere teneantur*. Ex Codice Tholoſano apud Martene *Tom.* 4. *Theſ. Anecd.*

IV. Quare mirari ſatis non ſubit, Bandellum, nullo producto documento, aſſerentem in commentariis ad Conſtitutiones *diſ.* 2. *cap.* 1. *num.* 111. repertos fuiſſe ſuo tempore Conventus inſtitutos a D. Dominico cum iis redditibus, quos tunc habebant, *unde*, inquit, *reperiuntur Conventus inſtituti a D. Dominico, qui poſſeſſiones, & redditus, quos tunc habebant; etiam nunc habent*. Ex ipſo textu Capituli Generaliſſimi certo ſcimus, omnes Fratres totius Ordinis ſupremam poteſtatem libero, atque unanimi conſenſu contuliſſe ejuſdem Capituli Patribus Definitoribus ad legem illam, aliaſque bono communi Ordinis conſentaneas, ferendas. Lex iſta ea ſeveritate imponitur, ut niſi a conſimili Generaliſſimo Capitulo, quale nunquam celebratum eſſe neminem fugit, nequeat immutari. Capitula Generalia poſteriora eam confirmarunt.

V. Integro XIII. ſæculo legem hujus ſeveriſſimæ paupertatis in Ordine noſtro ad unguem ſervatam fuiſſe, ex laudatis documentis ſatis compertum eſt. Sæculo vero XIV. viciſſitudinibus, & diſpenſationibus obnoxiam fuiſſe neminem ex his, qui vel a limine res noſtras ſalutarunt, latet. Prope medietatem hujus ſæculi in controverſiam vocari cœptum eſt, utrum Magiſter Generalis Ordinis poteſtate polleret ab hac lege diſpenſandi. Hac de re conſultus Petrus de Palude Epiſtolam reſcripſit Reverendiſſimo Patri Hugoni de Vaſſeman XVI. Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum, in qua reſolvit, neceſſitate urgente, poſſe Generalem cum aliquibus Conventibus diſpenſare. Epiſtolam hanc ſcriptam aſſerit Echard. *Tom.* 1. *de Script. Ord. pag.* 608., eo tempore, quo Benedictus dictus XII. Conſtitutiones noſtras immutare decreverat, nempe anno præter propter 1338. Typis vero editam anno 1561. ſe vidiſſe teſtatur Altamura in Conventu Sancti Dominici Materani. Integram hic dare non abs re judicamus. *Pater mi Reverende. Non videtur mihi eſſe contra votum paupertatis*

tatis habere redditus, & poſſeſſiones, cum iſta habeant omnes Monachi, qui habent votum paupertatis, ſicut & nos. Item non videtur eſſe contra regulam noſtram, cum habeant omnes Canonici Regulares ejuſdem Regulæ profeſſores. Eſt autem contra Conſtitutiones noſtras, quod totus Ordo iſta habeat, manentibus Conſtitutionibus in ſuo ſtatu. Sed tamen propter hoc non eſt contra votum noſtrum, quia non vovemus ſervare Conſtitutiones, ſed promittimus obedire ſecundum illas. Unde non tranſgredimur votum, niſi contra præceptum obedientiæ illa faciamus. Alias in fractione cujuslibet ſilentii, quæ non eſt niſi levis culpa, votum tranſgrederemur, quod non cadit in capite Sapientis. Quia vero nihil tam naturale, quam unumquodque ſolvere eo genere, quo ligatum eſt, ſicut Ordo in Capitulo Generaliſſimo ſtatuit inviolabiliter de redditibus, & poſſeſſionibus non recipiendis, ſicut de carnibus non comedendis, ita per ſimile poſſet Capitulum Generaliſſimum utrumque retractare, ſi expediens judicaret; ſicut per tria Capitula Generalia poteſt Conſtitutiones alias immutare. Quia vero in eiſdem Conſtitutionibus continetur, quod in caſibus particularibus pro loco, & tempore Prælatus in eis valeat diſpenſare, ſicut irreprehenſibiliter ex cauſa rationabili Prælati Ordinis diſpenſant in carnibus comedendis, ſic etiam poſſunt diſpenſare in Poſſeſſionibus, & redditibus babendis a Conventibus, & Perſonis. Unde cum omnes ſinguli caſus, in Cedula veſtra contenti, tangant ſolummodo Conventus, & perſonas ſingulares paucas, paucarum Provinciarum, non autem totum Ordinem, nec etiam majorem partem, non video, quin in illis Prælati, ex cauſa rationabili, potuerint diſpenſare ſine tranſgreſſione Conſtitutionum; imo etiam & hoc fecerunt auctoritate illarum, & nemo peccat in eo, quod auctoritate legis facit. Sed ſi Prælatus quicumque in talibus, ſine cauſa rationabili, diſpenſavit, peccavit, & merito puniendus eſt. Cum autem in talibus cauſa rationabilis ſit neceſſitas, quæ non babet legem, quæ major eſt in aliquibus Perſonis, vel Conventibus, quam in aliis, quibus abundantia major adeſt, unde ſi Conventus aliquis, vel Frater non poſſet babere neceſſaria ad victum, vel veſtitum, aut libros neceſſarios ad prædicandum, ad quod Ordo noſter eſt principaliter inſtitutus, ex quæſtis in Ordine conſuetis, cauſa rationabilis videtur, quod quantum neceſſe eſt, pro illis, ſuper boc diſpenſetur. Argumentatio Petri de Palude, pace doctiſſimi viri dixerim, perpetuo laborat paralogiſmo. Retentio poſſeſſionum non eſt contra Regulam, ſed contra Conſtitutiones. Verum eſt, nos non vovere eaſdem ſervare, ſed ſecundum illas obedire. Cum itaque Conſtitutiones expreſſe prohibeant

 diſ-

diſpenſationem in poſſeſſionum materia, Prælati quacumque diſpenſandi poteſtate carent. In aliis materiis de carnibus, & ſimilibus Prælati diſpenſare valent, quia Conſtitutiones diſpenſandi non auferunt poteſtatem. Cæterum noſtra nunc non intereſt iſtius cauſſæ meritum expendere, ſed illius viciſſitudines hiſtorica narratione percurrere.

VI. Diſpenſationem itaque, non citra limites poteſtatis Magiſtri Generalis eſſe, propugnabant inſigniores Ordinis Theologi. Eos inter, qui hoc de argumento, ſcripſere, emicuit *Fr. Joannes Dominici* ob Doctrinæ, & ſanctitatis eximia merita ad Cardinalatus dignitatem evectus a Gregorio XII. anno 1408. Ex Noſtratibus, qui iſtius Cardinalis geſta narrant, nemo unus, quem ego viderim, ejus cognomen typis evulgavit. Illud tamen habetur in Chronica mſſ. Conventus Feſulani prope Florentiam, quam mihi illac tranſeunti anno 1733. legendam communicavit P. Angelicus Nardi præfati Cœnobii digniſſimus Prior, & Regularis diſciplinæ fervidus cultor. Hoc autem eſt illius Chronici initium. *Primus Fundator bujus Conventus fuit Venerandus Fr. Joannes Dominici de Banchinis eximius Prædicator, & Doctor.* Pater Raphael Badius, qui Chronicon inſignis, & perampli Florentini Cœnobii S Mariæ Novellæ a P. Modeſto Bilioti contextum, & a P. Maruffio continuatum, perduxit ad annum uſque 1682.; iſtius cognominis mentionem fecit, illudque communicavit Continuatoribus Bollandi. Hi ad diem decimum Junii in annotationibus ad caput primum vitæ laudati Cardinalis ſcriptæ a Fratre Joanne Caroli de more in dubium revocant, num familiæ de Banchinis accenſendus ſit Joannes Dominici. Conjecturæ, quas dubitandi produnt, ineptæ omnino, & futiles. *Ex marginali*, inquit commentator, *iſta unius incerti Scriptoris, & Pocciantio ignoti, & forſan alterius adhuc minus certa autoritate non auſim* Banchinis *inſerere Joannem Dominicum, ne mihi idem contingat, quod illis, qui Burgheſiæ Familiæ tanquam cum Benincaſa communem originem habenti inſeruerunt Sanctam Catharinam Senenſem, fullone Patre natam.* In primis hinc ſatis compertum eſt, tam Badium, quam Bollandiſtas Chronicon ignoraſſe Feſulanum. Illis enim perſpectum ſi extitiſſet, haudquaquam potuiſſent ſcribere ex dubia quadam incerti Scriptoris relatione, ſe non audere cognomen *de Banchinis* Joanni Dominici adſcribere. Nos itaque non ex incerti auctoris marginali annotatione, ſed ex textu antiqui Chronici, a viris fide dignis exarati, in familiam de Banchinis conſcribendum aſſerimus Joannem Dominici. Chronicon enim Feſu-

Feſulanum anno 1516. ex antiquo alio Chronico tranſcripſit Pater Joannes Maria de Tholoſanis ex ſui Prælati mandato, ut ipſemet teſtatur ſub Chronici initium his verbis. *Notum ſit, & pateat omnibus, qualiter anno Domini* 1516. *de menſe Novembris, Venerabilis Frater Cherubinus Nicolai de Florentia Ordinis Prædicatorum Prior tunc Conventus S. Dominici de Feſulis juſſit mibi Fratri Joanni Mariæ qu. Leonardi de Tholoſanis tum Suppriori ejuſdem Conventus, ut reformarem, & denuo ſcripto mandarem Chronicam Conventus ejuſdem*. Quod vero Familia de Banchinis ipſius Joannis Dominici plebeja fuerit, & altera de Banchinis Nobilis divitiiſque abundans, quid inde? Quot Familiæ Plebeæ, fauſto arridente ſydere, nobiles evadunt, & contra, divites nobileſque adverſa fortuna inſectante, in miſeram prolabuntur ſortem? Bollandiſtas hæc minime fugiunt: ſed ut uno carbone plures notarent, & Scriptores nempe Sanctæ Catharinæ Senenſis, & Joannis Dominici Familiam his verbis ſuam annotationem claudunt. *Scio enim quam variis modis fieri poſſit, ut plebejus, & opifex, non ſolum nomen gerat commune magnis nobilibus, ſed etiam ab iiſdem ducat ignobile genus*. Ut quid quæſo hocce poſtremum additamentum? An ne unquam in mentem cuiquam venit Joannem Dominici ab ſtirpe nobili ſuos ducere natales? num id unquam in diſputationem vocatum fuit? ſatis itaque ſuperque fuiſſet, primum propoſitionis membrum: nempe pluribus modis evenire poſſe, ut plebeis, nobilibuſque familiis commune ſit nomen. At ea ſubdere Antuerpienſibus placuit, quæ ad ſiniſtram, de Joannis Dominici origine, concipiendam ſuſpicionem lectorum mentes provocarent. Hac exquiſita arte ſæpius in commentariis in acta Divorum iſtius Ordinis utuntur urbaniſſimi Cenſores. Sed a diverticulo in ſemitam revertamur. Labente igitur quarto decimo ſæculo, & quinto decimo ineunte, tractatum de rebus ad Ordinem noſtrum ſpectantibus, quem noſtrates ſub variis titulis laudant, compoſuit Joannes Dominici. Codicem hunc poſt ſedulam, diuturnamque perquiſitionem, tandem reperire ſors obtulit in Bibliotheca inſiguis, & perampli Cœnobii Florentini S. Mariæ Novellæ Ordinis Prædicatorum in cubiculo dextero, quod orientem inſpicit. Et quoniam de rebus noſtris in præſentia ſermonem habemus, præter inſtitutum noſtrum agere minime cenſemus, ſi Codicis iſtius, occaſione oblata, diſtinctum ſpecimen exhibeamus. Eo vel maxime, quod nemo eorum, qui iſtius Codicis mentionem faciunt, exactam prodit notitiam. Codex itaque eſt membranaceus in 4. parvo ſubobſcuris tabulis coo-

pertus. Cartis 63. conſtat. Signatuſque eſt N. XIV. E. 8. Foris inſcribitur. *De Statu Religioſo Ordinis Prædicatorum Authoris incerti*. Ad incertum authorem quod attinet, ex imperitia dictum eſt. Compertum ſiquidem eſt, genuinum partum eſſe B. Joannis Dominici tum ex caractere collato cum epiſtolis, quas illius propria manu pariter exaratas habemus, cum maxime ex textibus, quos ex illo Codice ſe exſcripſiſſe teſtatur D. Antoninus *3. par. tit. 16. cap. 1. § 16.*, qui collatione facta, ad unguem reſpondent. Reliquum autem laudatæ inſcriptionis totius operis ſinceram præbet ideam. Chroniſtæ noſtrates in operum Joannis Dominici recenſione codicem hunc inſcribunt. *De Poſſeſſionibus*. Vide Chronicon Magiſ. Ordinis ultimæ editionis pag. 66. Jacobus Echardus *Tom. 1. de Scriptor. Ord. pag.* 769. Cæterum minima iſtius codicis pars in quæſtione de poſſeſſionibus occupatur. Sed duodecim argumenta tractat ad Ordinis noſtri ſtatum attinentia, quorum cenſum, prout in ipſo codice reperitur, iſthic tranſcribere lubet.

VII. *Art. 1. In quo ſtatu profeſſionis Ordo exiſtat?*

Art. 2. Ad quod principaliter Ordo Prædicatorum ſit inſtitutus?

Art. 3. Ad quantum Regula ſuos obliget Profeſſores?

Art. 4. Si Conſtitutiones, & quomodo Profeſſores obligant ad culpam?

Art. 5. Quid importatur per Profeſſionem tacitam, vel expreſſam?

Art. 6. Quid, & quantum indulta Apoſtolica ſuffragantur?

Art. 7. Quæ ſit differentia inter proprietatem, & uſum?

Art. 8. An liceat Capitulo Generaliſſimo Ordini concedere, quod habeat in communi, vel in particulari poſſeſſiones, ſeu annuales redditus?

Art. 9. Nunquid profeſſores altiſſimæ paupertatis petere poſſunt . . . quæ ſunt illis relicta, vel legata?

Art. 10. Qualiter conſuetudo vim legis induit?

Art. 11. Quid agendum ſit Fratribus Prædicatoribus victu, atque veſtitu deficientibus eis?

Art. 12. Et ultimus. Si Apoſtoli bona immobilia eis oblata ſervavere?

VIII. Ut autem ad rem, de qua agimus, propius accedamus ex laudato codice eruimus, eo tempore, maxima in Ordine noſtro contentione, recipiendarum poſſeſſionum argumentum verſatum fuiſſe. Teſtatur quippe Joannes Dominici in ipſo tractatus ſui exordio, ſe hoc de argumento diſputationem inſtituere ex man-

mandato ſuæ Provinciæ Romanæ Prioris Provincialis. En Codicis initium. *Ortum dubium, noverca virtutum avaritia, natum, cui juxta Prophetarum dicta omnes ſtudent, a minimo uſque ad maximum, a Sacerdote uſque ad Prophetam: Tu Pater proponis Sacræ Sophiæ Magiſtris ſubditis tibi Romanæ Provinciæ, & mihi cum illis Diſcipulo nequaquam perito: an liceat Fratribus Prædicatoribus in communi, vel in particulari poſſeſſiones habere.* Antequam vero propriæ cauſæ rationum momenta promat, adverſariorum ſibi opponit argumenta, quorum primum a conſuetudine petitur.. *Conſuetudo non ſolum conſtituit jus, ſed etiam tollit jus poſitivum; ſed jam per antiquam conſuetudinem a 50. annis, & ultra introductum eſt, Conventus habere poſſeſſiones, & redditus, cujus prohibitio eſt de jure poſitivo: ergo &c. Tertia ratio eſt quia Papa diſpenſavit .... Reſpondetur, quod hæc privilegia, ſi quæ eſſent, non valerent pluribus rationibus: & præcipue privilegium contra conſuetudinem, vel Conſtitutionem impetratum, vigore caret, niſi de ipſa conſuetudine, & conſtitutione expreſſe faciat mentionem: Sed in dictis privilegiis, nec de Conſtitutione, nec de conſuetudine fit mentio: igitur non ſunt valida in hoc. Item privilegium per ſubreptionem obtentum vigore caret: Sed tale privilegium fuit ſubreptitium, quia cauſſæ frivolæ aſſignatæ ſunt; puta, quia eleemoſinæ fidelium ſunt attenuatæ: & non quia hoc eſt ideo, quia male vivunt, & tacentur illa vera ſcienter, quæ ſi Papa ſciret, nunquam talia daret.*

IX. Conſuetudinem, quam poſſeſſionum fautores allegant a quinquaginta annis, pernegat Joannes Dominici, immo Conſtitutiones, & conſuetudinem contra poſſeſſores opponit, quæ duo, cum fuerint omiſſa, in ſupplicatione Pontifici facta pro poſſeſſionum valida retentione, ſubreptionis privilegium, ſi quod eſſet, ſuo tempore obtentum, arguunt. Nec enim antea Privilegium aliquod univerſo Ordini in hac materia indultum fuerat. Hinc conſtat, conſuetudinem (ſi qua erat) in favorem poſſeſſionum paucis dumtaxat favere potuiſſe Cœnobiis, quæ ſolo eleemoſinarum ſubſidio propriis indigentiis proſpicere nequibant. Iccirco merito Joannes Dominici negat, factum paucorum potuiſſe in jus conſuetudinis pro univerſo Ordine aſſumi, immo contrariam conſuetudinem lege fultam adverſus poſſeſſionum receptores producit, & tandem concludit in toto Ordine haud reſidere poteſtatem ab hac lege diſpenſandi. *Capitulum Generaliſſimum* (inquit) *fuit auctoritate Papæ celebratum, in quo ſtatuit, & dicit ipſum Capitulum, imo Papa, Nolo, quod aliud Capitulum etiam Gene-*

Generaliſſimum poſſit revocare iſtam conſtitutionem de poſſeſſionibus non habendis, ſequitur, quod quodcumque aliud Capitulum Generaliſſimum ſit inferius illo primo, & non par, & per conſequens non poſſit revocare conſtitutionem illam, niſi etiam illud fuerit authoritate Papæ celebratum: item totus Ordo renunciavit auctoritati quorumcumque Capitulorum, in hac parte. Ergo talis auctoritas non eſt in toto Ordine, nec poteſt eſſe, niſi per ſpecialem licentiam, non ſubreptitiam impetratam, ſed ſponte, & de certa ſcientia cum legitima cauſa a Summo Pontifice datam.

XI. Divus Antoninus qui anno 1406. ab ipſius Joannis Dominici manibus Sacram Prædicatorum Ordinis veſtem ſuſcepit, vixitque ad annum uſque 1459., relatis his duabus opinionibus, Petri de Palude, & Joannis Dominici, ſuam promit ſententiam. 3. *part. Tit.* 16. *cap.* 1. *§.* 12. *Petrus autem de Palude in quadam epiſtola reſponſali ad Magiſtrum Ordinis Fratrem Ugonem ſuper iſta materia poſſeſſionum, & redditûum dicit, Magiſtrum Ordinis, & Provincialem ex cauſa rationabili, puta in caſu neceſſitatis, quæ legem non habet, poſſe cum aliquibus Conventibus diſpenſare, ſicut ex cauſſa rationabili diſpenſare valent in carnibus comedendis. Sed ſi quis bene advertit caſus ſunt multum diſſimiles. Nam per conſtitutiones declaratur, quod Prælati poſſint de carnibus diſpenſare, non ſic de poſſeſſionibus, immo expreſſe eis prohibetur diſpenſatio: & ideo tutior eſt, & rationabilior videtur opinio Joannis Dominici ſupra poſita.*

XII. Itaque tam Joannes Dominici, quam S. Antoninus ad hujus legis abrogationem Sedis Apoſtolicæ authoritatem requirunt. Sanctus Antoninus 3. *p. hiſt. Tit.* 23. *cap.* 4. *§.* 13. clarius ſuam mentem exprimit, cauſſaſque aſſignat, quæ ſufficere valent ad illius legis abrogationem per Sedem Apoſtolicam præſtandam. *Verum*, inquit, *quia ultra probibitionem Beatiſſimi Patris cum maledictione adjuncta expreſſe per conſtitutiones factas in Capitulo Generaliſſimo, hoc etiam ſtrictiſſime inhibetur, quæ conſtitutiones approbatæ ſunt ab Eccleſia, ideo non videtur hoc tute fieri ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, quæ in hujuſmodi, cum poſitiva ſint, habet plenitudinem poteſtatis. Si enim Deus ſecundum diverſitatem temporum mutat prohibitiones, & ordinationes factas hominibus, ut patet de cæremonialibus, & judicialibus præceptis veteris legis, quæ ablata ſunt in nova ſecundum litteram: cum etiam ad illa additæ ſunt multæ maledictiones Dei in tranſgreſſores eorum; Eccleſia etiam mutat ſua decreta, & conſtitutiones, cum neceſſitas, vel utilitas urgeat, ut de conſanguinitate, & affinita-*

nitate ; non debet , nec adſcribendum eſt levitati , ſed rationi. *Ita etiam ſi mutatis conditionibus illius temporis, mutetur, ſeu diſpenſetur illa conſtitutio, cum aliter apparet ſuſtentari non poſſe, nullum inde ſequitur inconveniens. Tunc enim alii Religioſi non erant, niſi Monachi, qui non mendicabant : Nunc multiplicatæ ſunt Religiones quæſtuantium etiam in utroque ſexu. Et quoniam abundavit iniquitas, refriguit charitas multorum, & multiplicatis penuriis, & libentius expendunt in capellis, vel ornamentis ſuperfluis, & pompis Eccleſiarum, quam in ſubventione pauperum. Hæc breviter, & incidenter ſint dicta, ſalvo ſemper meliori judicio.*

XIII. Has rationes facto etiam approbavit Sanctus Archipræſul : ſiquidem ſuo Cœnobio D. Marci, licet ad tenorem Regulæ, & conſtitutionum reformato, privilegium acceptandi, & retinendi poſſeſſiones a Calixto III. Summo Pontifice obtinuit anno 1455. Circa hæc tempora alia ſimilia privilegia quibuſdam aliis Cœnobiis Ordinis noſtri conceſſa legimus. Cœnobium Bugelenſe bona immobilia poſſediſſe anno 1431. colligitur ex Bulla Eugenii IV., quæ incipit : *Piis ſupplicum votis*. Et ex alia Bulla ejuſdem Pontificis, cujus initium eſt, *Honeſtis ſupplicum votis* anno 1439. emanata, Conventum Mutinenſem bona ſtabilia habuiſſe compertum eſt. Nicolaus V. anno 1451. Cœnobium Bononienſe quibuſdam redditibus in gratiam ſtudentium donat. Initium Bullæ : *Regularis obſervantiæ voto . . . Cum ſicut accepimus Domus veſtra Ordinis Prædicatorum Bononienſis, ad quam ſtudentium ex diverſis mundi Provinciis occaſione ſtudii inibi vigentis multitudo confluere, ac ibidem recipi, ac charitate tractari conſuevit, ad eorundem ſtudentium, ac alia ſibi incumbentia onera ſupportanda facultatibus non abundet. Nos volentes &c.* Ex hac narratione evidenter colligitur privilegium indultum eſſe in ſtudentium favorem. Idem Pontifex anno 1454. quædam bona reſtituenda eidem Cœnobio mandat. Vide Bullarium Ord. Tom. III. Cœnobium Ferrarienſe S. Mariæ de Angelis ad regularem obſervantiam dilatandam, ſicuti ſuo loco dicturi ſumus, fundatum, ut facultatem bona immobilia recipiendi impetraret a Paulo II. anno 1467. aliorum trium Conventuum exempla produxit, ut conſtat ex ipſa Bulla, quæ incipit : *Benigna clementia . . . Verum ſi vobis recipiendi, & retinendi bona immobilia, prout Neapolitan. Bononien. & Florentin. domibus ejuſdem Ordinis auctoritate Apoſtolica conceſſum eſſe, aſſeritis.* Conſule Bullarium Ordinis laudato Tomo III. Verum, pluribus aliis miſſis, ad Bullæ aureæ narrationem accedo.

XIV.

XIV. Leonardus de Peruſio, ſive de Manſuetis, Magiſter Generalis Ordinis anno 1474., ut privilegium recipiendi poſſeſſiones impetraret, libellum ſupplicem Sixto IV. porrexit. Pontifex ſummus accepta ſupplicatione, legem de poſſeſſionum abdicatione, ſin minus omnino, in partem ſaltem, abrogavit, & facultatem indulſit, bona ſtabilia acceptandi. Tenor Bullæ anno quarto ejuſdem Pontificatus emanatæ, & anno primo Generalatus Leonardi de Manſuetis, ejuſmodi eſt. *Conſiderantes attentius*. Deinde. *Nuper ſiquidem dilecti filii Leonardi de Peruſio Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum &c. Generali prædicto, ac Prioribus, & Fratribus domorum dicti Ordinis præſentibus, & futuris, quod poſſeſſiones, domos, Cenſus, & alia immobilia bona eis, & ipſorum domibus prædictis, pia fidelium largitione inter vivos, & cauſa mortis donata, ac teſtamentaria diſpoſitione largita, vel alias relicta, & quæ eis pro tempore donari, relinqui, ſeu largiri contigerit pro ſubſidio ſtudentium, & aliorum eis incumbentium onerum ſupportatione in COMMUNI, ET NON ALITER retinere*.

XV. Bandellus aſſerit *laud. diſ.* 2. *cap.* 1. *text.* 111. quod toti Ordini Pontifex privilegium dederit acceptandi poſſeſſiones; ſed tum ex ipſius Bullæ verbis, cum ex certiſſimis documentis colligimus toti Ordini hanc Bullam non fuiſſe conceſſam. Cuilibet enim ſanis oculis Bullam legenti, quibuſdam dumtaxat Conventibus, in quibus litterarum ſtudia vigent, conceſſam eſſe liquet. Hæc enim verba interpretationem non excipiunt. *Pro ſubſidio ſtudentium, & aliorum eis incumbentium onerum ſupportatione*. Deinde alia documenta præſto ſunt, quæ evincunt plures Conventus hoc privilegio haudquaquam uſos fuiſſe. Hieronymus Savonarola ſcriptor coævus in Epiſtola ad Alexandrum VI. data anno 1497. die 29. Octobris typiſque edita Tomo 2. ejus vitæ editionis Pariſienſis hæc ſcribit. *Quod autem ſtrictius vivamus, quam Fratres Lombardiæ: Nos, qui utriuſque congregationis ſecreta novimus, certi ſumus: Primum quia poſſeſſiones nec in communi habemus, nec habere volumus. Hoc autem ipſi non ſervant*. Incipiente ſæculo ſexto decimo, ad ſupremam Ordinis præfecturam ob ſua eximia tum ſapientiæ, tum Sanctitatis merita, atque regularis diſciplinæ zelum evectus eſt Vincentius Bandellus, celeberrimæ quondam Congregationis Lombardiæ alumnus, cujus bis extiterat Vicarius Generalis, commentaria in conſtitutiones noſtras adornavit, atque per Capitulum Generale Mediolanenſe anno 1505. celebratum approbata fuere. In his *diſt.* 2. *cap.* 1. *tex.* 111. laudatam Sixti IV. Bullam, quam *Auream* vocant, ab univerſo

verſo Ordine acceptatam aſſerit: Verum ut jam innuimus ad quoſdam tantum Conventus ratione ſtudii extenſam fuiſſe certum eſt. Et præter teſtimonium Savonarolæ, Dominicus Soto, qui Concilio Tridentino interfuit hæc ſcribit *lib. 7. de juſt. & jure quæſt. 5. art. 2. Quare in Ordine noſtro hactenus niſi cauſa ſtudii non eſt diſpenſatum poſſeſſiones habere. Sed ſunt frequentia Monaſteria quibus in antiqua mendicitate vivitur.*

XVI. Tandem Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 3. omnibus Mendicantium Cœnobiis, exceptis Capuccinis & Franciſcanis de obſervantia, facultatem abſolutam bona immobilia poſſidendi impertitur. *Concedit Sancta Synodus omnibus Monaſteriis, & Domibus tam virorum, quam Mulierum & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S. Franciſci, Capuccinorum & eorum, qui Minorum de obſervantia vocantur, etiam quibus aut ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat.* Ex quibus omnibus colligere fas eſt, primo Ordinis noſtri ſæculo evangelicam paupertatem fundorum, reddituumque etiam in communi expertem mirum in modum reſplenduiſſe: poſteriore autem tempore decremento, & viciſſitudinibus plurimis obnoxiam fuiſſe, non in univerſo Ordine, ſed in aliqua dumtaxat parte. Siquidem Divus Patriarcha Dominicus ſingulari quadam Dei Providentia, non interciſa temporum ſerie, fideliſſimos alumnos ſibi adſervavit, qui illius ſublimis paupertatis, quam ultimo ſuo teſtamento illis legavit, hæredes exiſterent, & obſervatores. Et quamvis poſt laudatum Concilium Tridentinum liceat fundos, redditusque habere; non ob hoc tamen eſſentia paupertatis, ſed modus tantum mutatus eſt: videlicet patrimonio mendicitatis, reddituum patrimonium ſubſtitutum fuit. Eadem ergo in veſtibus aſperitas, eadem in cibis parcitas, eadem in ædificiis humilitas, eadem in cellis anguſtia, eadem denique in omnibus privatis Religioſis paupertas. Ab hac paupertate non Pontifices, non Concilia diſpenſarunt adhuc, quin ſeveriſſimis decretis ad eam ſervandam in dies compellunt.

H COM-

Digitized by Google

COMMENTARIUS
HISTORICO-APOLOGETICUS
IN DUAS DISSERTATIONES TRIBUTUS
PRO DISCIPLINA PAUPERTATIS,
QUAM
DIVUS DOMINICUS
IN SUO ORDINE INSTITUIT
ADVERSUS
R. P. MAGISTRUM RAPHAELEM
DE PORNASIO.
DISSERTATIO II.

CAPUT PRIMUM.

Siſtema totius tractatus de Communi, & proprio Religioſorum P. Magiſtri Raphaelis de Pornaſio paucis exponitur.

I. ABSOLUTA prima Commentarii Hiſtorico-Apologetici diſſertatione pro diſciplina paupertatis, quam Divus Patriarcha Dominicus in ſuo Ordine conſtituit, ad ea nunc examinanda in hac ſecunda diſſertatione accedo, quæ adverſus eandem paupertatem evulgavit Magiſter Raphael de Pornaſio. Quod ut melius perficiam, univerſum ejus ſyſtema, in ipſo diſputationis limine, lectorum oculis ſubjiciendum duxi. Quatuor autem capitibus totum concluditur Pornaſii male conſarcinatum opuſculum, quod ipſe tamen in capita non diviſit, ſed hanc diſtributionem eruditi illius editores præſtitere. Primo in capite notiones proprietatis monaſticæ deſcribit,

ſcribit, & trium Canoniſtarum authoritate peculii uſum Superioris licentia conceſſum voto paupertatis minime repugnare contendit. In ſecundo capite traditionem, jam inde ab ordinis noſtri primordiis incœptam, & ad ſua uſque tempora perennatam, qua peculii uſum aſſerit comprobatum, exequitur. Plura ex conſtitutionibus noſtris petita documenta in medium profert, ut evincat, Fratres Prædicatores duo bonorum genera ſub Religionis initium habuiſſe: alia nimirum ex communi Cœnobiorum proviſione: alia proprio quæſtu, labore, & artificio parta, quæve in eorum obitu inter ſucceſſores dividebantur. In tertio prima Ordinis Generalia comitia tota mentis indagine ſcrutatur, & plures textus in arbitrarium ſenſum contorquet, ut oſtendat, primos parentes noſtros ſuas habuiſſe pecunias, & equos proprios, ſeu, ut ipſe ait, appropriatos, idque genus ſimilia. In quarto tandem capite quaſdam ſibi objicit difficultates, eaſque reſolvit; & pro clara, cumulataque ſui ſyſtematis comprehenſione ſub diſtincta idea principia, & rationes diſponit, explicatque totius ſui tractatus. Primum omnium ſtatuit, plura in Regula Divi Auguſtini contenta ab ordine noſtro non fuiſſe acceptata tanquam proprio inſtituto minus conſentanea, ut ſunt nomina Præpoſiti, & Presbyteri, & modus ſtudendi; videlicet, quod codices ſingulis diebus, certa hora, petantur. Quemadmodum, inquit, nec acceptavit omnimodam communitatem bonorum, quam eadem Regula præſcribit. Quæ omnia quatuor rationum momentis oſtendere conatur.

II. Prima ratio eſt, quod, abdicatis ab Ordine redditibus, nimis difficile foret Fratrum indigentias omnes ſublevare, niſi privata peculia ſuppetias porrigerent. Secunda quia modus iſte vivendi ex bonis, partim ab Ordine collatis, partim propria induſtria comparatis, exercendæ humilitatis, majoriſque meriti occaſionem adferre videtur. Tertia quia iſtius politiæ methodus dulciore tranquillitatis, paciſque fœdere Religioſorum animos in ſanctæ unitatis amabile vinculum agglutinat. Contra vero ex communis vitæ lege animos concitari, rixas oriri, jurgia, contentiones, & ſchiſmata foveri, deblaterat. Et ut ſuis aſſertionibus patrocinium quodpiam adſciſcat Divum Thomam in ſenſum ſibi inſervientem, aut ſubdola interpretatione, aut craſſa allucinatione detorquet. Authoritatem quoque obtrudit Ariſtotelis di centis lib. Politicorum: *Qui ponit Commune ponit litem*. Et revera, ut Conſiliis Evangelicis tenebras offunderet, bellumque intentaret, non aliunde, quam ex idololatria arma ſumere poterat.

Digitized by Google

Quarta tandem ratio, ob quam Ordo noſter omnimodam communitatem Auguſtinianæ Regulæ non acceptavit, ut ille contendit, eo ſpectare aſſerit, ut Fratres quos ad litterarum ſtudia ſedulam navandam operam non alliceret virtutis honor, excitaret temporalis ſubſidii fiducia. Experientia enim compertum eſſe, ait doctis eruditiſque viris effuſiore liberalitate divites & potentes ſubvenire, quam ignaris indoctiſque.

III. Nullus dubito, quin hæc, quæ paucis perſtrinxi, cuique monſtroſa apparere debeant; & Pornaſius dicit, illa pro tranquillitate conſcientiarum, & pro clariore ſui tractatus intelligentia ſummopere animadvertenda eſſe. Ut veritas in tuto collocetur, omnia per partes expendenda ſunt. Ea duntaxat, quæ capite primo de voto paupertatis ex Canoniſtarum ſententia ille ediſſerit, præteribo. Quoniam alibi in quo iſtius voti natura ſita ſit, quid peculii patiatur, quidve Theologi, & Canoniſtæ ſentiant, pro dignitate enucleabo. Quæ vero tribus aliis capitibus ex conſtitutionibus, & antiquis comitiis Ordinis noſtri in privati peculii favorem promit, accuratiſſime ſub examen inducam. Et ne ipſi invidiam conflare videar, aut ſenſuum ſeparatione, aut verborum exaggeratione, ut ſæpiuſcule in ſimilibus diſputationibus accidere ſolet, integrum textum, quo univerſa, ipſo teſte, ejus Doctrina continetur, de verbo ad verbum tranſcribere lubet.

„ IV. Eſt tamen diligenter pro tota dilucidatione, inquit cap. „ IV. pag. 56. materiæ, & pro ſerenitate ſcrupuloſarum conſcien- „ tiarum attendendum, quod ſicut dicit Magiſter Umbertus in „ expoſitione Prologi Conſtitutionum noſtrarum, quod cum Fra- „ tres a principio vellent eſſe Prædicatores, & daretur eis optio „ a Sede Apoſtolica eligendi Regulam ſuo ſtatui competentem, „ videntes quod potius in Regula Doctoris Auguſtini erant, quæ „ competebant tali ſtatui, quam in alia; erant etiam aliqua, quo- „ rum uſus, ſive effectus, licet competeret ſtatui eorum, talis „ tamen modus, vel nomina non competebant, ideo illa talia nun- „ quam aſſumpſerunt, ſicut nunquam aſſumpſerunt nomina Preſ- „ byteri, vel Præpoſiti, qui in Regula continentur; nec etiam „ aſſumpſerunt modum ſtudendi, qui in Regula continetur, vi- „ delicet, quod Codices ſingulis diebus petantur. Cujus manda- „ ti, ut idem Magiſter Umbertus dicit, virtus conſiſtit circa duo. „ Unum eſt, ut interdum legatur; alterum, ne occaſione lectio- „ nis alia officia dimittantur. Ideo ſubditur: extra horam, qui „ petierit non accipiat: Ne ſcilicet hac occaſione dimittatur cho- „ rus, vel aliquid hujuſmodi. Et hoc bene conveniebat illis, &

moder-

„ modernis Monachis, vel Canonicis, qui non habent ſtudium, „ vel doctrinam pro principali intento, ſed ſolum ad vitandum „ otium, vel ad conſervandam propriam devotionem, & hujuſ„ modi. Fratres autem noſtri, inchoantes novam Religionem ſta„ tuerunt ſibi pro fine doctrinam populi, & ſalutem animarum, „ prout in procemio Conſtitutionum habetur. Ideo fuit eis viſum „ commodius ad finem intentum, non certa hora, ſed omnibus „ horis legendum. Ideo poſuerunt libros communes in communi „ loco, ubi omni hora quilibet poſſet legere, & ſtudere. Et ideo „ in hoc non ſunt transgreſſores virtutis ipſius Regulæ, ſed po„ tiores obſervatores, quia fructuoſius, & virtuoſius eſt Prædica„ tori diutius & frequentius, quam rarius legere.

„ Ita etiam in propoſito. Virtus illius mandati Regulæ, vi„ delicet: *Non dicatis &c.* eſt, ut Fratres vivant in paupertate „ voluntaria, quæ duobus modis poteſt contingere, aut videlicet, „ quia Frater nihil habet, niſi quod ſibi datur per modum elee„ moſynariæ proviſionis, aut quod nihil habeat, niſi quod ſibi da„ tur per modum eleemoſynariæ mendicationis. Primus modus „ erat Canonicorum, ſed illum nunquam Fratres aſſumpſerunt, „ ut patet per practicam ab initio ſervatam in Ordine, ut ſupra „ oſtenſum fuit vigore conſtitutionum, & Capitulorum; Sed aſ„ ſumpſerunt Fratres ſecundum modum, judicantes ipſum com„ modiorem ſtatui ſuo, & fini intento. Ideo in hoc caſu, ſicut „ nec in præcedenti dici debent transgreſſores. ſed ſtrictiores ob„ ſervatores paupertatis, quam Regula mandet. Ideo notanter „ dicitur in Conſtitutionibus, quod Fratres Pariſiis convenientes, „ quaſdam ſibi arctiores conſtitutiones ediderunt, videlicet ultra Re„ gulam jam electam.

„ Cauſa autem, propter quam potius iſtum ſecundum, quam „ primum ſumpſerunt, poteſt eſſe multiplex. Prima, quia at„ tento, quod abdicarent poſſeſſiones in communi, & redditus „ pecuniales, judicaverunt fortaſſe nimis difficile de communi pro„ videre omnibus tantorum Fratrum neceſſitatibus, cum in com„ muni nil certi haberent; quod non accidebat Canonicis, quo„ rum communitas erat opulenta.

„ Secunda, quia judicaverunt iſtum modum eſſe magis merito„ rium; videtur enim, cæteris paribus, non adeo meritoria pau„ pertas ejus, cui dantur neceſſaria, abſque eo quod ſe humiliet „ petendo, & ab eo, in cujus poteſtate, & voluntate eſt, ha„ bendo repulſam; ſicut accidit frequentius Mendicantibus, quo„ rum petitiones, & obſecrationes ſæpe in caſſum, non ſine pœ-

„ na

Digitized by Google

„ na ruboris, & erubeſcentiæ porriguntur. Illa etiam paupertas „ eſt magis meritoria, quæ minus ſublevatur, & quæ plures indigentias ſuffert propter Chriſtum. Sunt enim plures pauperes „ ſolo nomine, nullas unquam, vel rariſſime experti indigentias, „ qui, ut dicit Bernardus in lib. de præcepto, & diſpenſatione, „ *Pauperes eſſe volunt, ſed eo pacto, ut nihil ſibi deficiat*: Sicut „ accidit in Religionibus divitibus, & reddituariis; quæ etiam, ut „ dicit Magiſter S. Vincentius in lib. de vita ſpirituali: *Paupertatem diligunt, ſed ſocias ejus fugiunt, quantum poſſunt, ſcilicet* „ *famem, ſitim, frigus, nuditatem, & ſimilia*, quæ noluerunt Patres noſtri a domibus noſtris excludi, ſed ſemper ſimul cum „ matre paupertate nobiſcum hoſpitari; adeout ſæpe admirer „ ſufferentiam fratrum, qui male paſti, & pejus induti, non „ omittunt Præſidentibus in his, quæ ad Divinum cultum pertinent obedire. Qui ſi hanc inopiam virtuoſe ferant uſque in „ finem, ſperare poſſunt ſe audire: *Venite ad me omnes qui laboratis &c.*

„ Tertia ratio: fortaſſe judicaverunt hunc modum magis congruum paci, & tranquillitati Fratrum; quæ pax mentis eſt finis omnium Religionum, ut dicitur in Collationibus Patrum, „ & propter quam ſervandam prætermitendæ ſunt, & relaxandæ „ cæremoniæ Religionis. Sanctius eſt enim a medio diſcedere, „ quam finem deſerere, ut dicit ibidem. Ut autem dicit Philoſophus in Politicis: *Qui ponit communem ponit litem*; & ideo „ dicit Sanctus Thomas, niſi adſit perfectio charitatis, difficile „ eſt nimis pacem in rerum communitate ſervare. Magis enim „ pacifice ſtatus hominum conſervatur, ubi unuſquiſque contentus eſt de ſuo. Vidimus quod inter eos, qui per indiviſum, & „ communiter aliquid poſſident, frequentius jurgia oriuntur, ut „ dicit S. Thomas 2. 2. *q.* 66. *art.* 2. Sed quia ex alia parte, ubi „ nulla eſt ſocietas, & intervenit nimia ſolicitudo, eſt diſtractio „ ſingulorum, ideo quaſi media via inter omnimodam communitatem, & omnimodam proprietatem videntur voluiſſe incedere „ Patres noſtri, ut ſimul & jurgia, & diſtractionem nimiam tollerent, quaſi via regia incedentes, providentes ſcilicet de tenui „ victu, ſicut pauperes decet, & de libris communi loco ſervatis; de aliis autem libris, & indumentis relinquentes curam „ fratribus ad humilitatis cuſtodiam, & ad experientiam effectualem paupertatis.

„ Alia cauſa potuit eſſe, ut videlicet Fratres, quos non moveret virtus, moveret ſaltem neceſſitas ad ſtudium, & peri-

„ tiam

„ tiam litterarum : experti ſcilicet, quod doctis, & ſcientificis „ communiter melius ſubvenitur a potentibus, quam ignaris, „ & indoctis. „

CAPUT II.

Confutatio eorum, quæ præcedenti capite relata ſunt. Integram Regulam S. Auguſtini Ordo Prædicatorum profitetur. Craſſiſſima allucinatio eſt Pornaſii aſſerentis, omnimodam communitatem, quam præfata regula præcipit, rejectam fuiſſe ab Ordine noſtro.

I. IN Concilio Lateranenſi cautum fuit, ne quis novam cujuſque iuſtituti Regulam conderet. Quare Divo Patriarchæ Dominico novum Ordinem ad hæreſes debellandas meditanti, a Sede Apoſtolica indultum fuit, unam ex antiquis Regulis, ſub qua ejus Ordo militaret, deligere. Regulam D. Auguſtini, ceu Apoſtolicæ vitæ magis conſentaneam omnibus aliis prætulit, ſuiſque profitendam impoſuit; & ſub hac Regula ab Honorio III. confirmatus eſt Ordo noſter abſque ullo vel limitationis, vel reſtrictionis veſtigio. Hoc adeo compertum, exploratumque, ut ſupervacaneum videatur de eo diſputationem inſtituere. Enimvero quid magis ſuperfluit, quam id, de quo evidentiſſime liquet, clarioribus urgere probationibus? Cæterum quando veritas ipſa in diſcrimen a vitilitigatorum interpretamentis adducitur; ab inſtituto noſtro alienum haud debet exiſtimari, ſi ex jure manum conſeramus, ad inviolatum veritatis jus ſartum tectum tuendum.

II. P. Raphael Pornaſius in Sacra Theologia Magiſter, ut Dominicanæ paupertatis rigorem laxaret, omnemque ab animis ſodalium ſuorum ſcrupulum amoveret, eos tempeſtive admonet, Prædicatorum Ordinem D. Auguſtini Regulam integram non profiteri, præcipue partem illam, quæ ad communitatem attinet Apoſtolicam. Hoc nondum ab aliquo ſomniatum commentum, veluti totius ſui tractatus fundamentum ponit. „ Eſt tamen (ait) dili„ genter pro tota dilucidatione materiæ,& pro ſerenitate ſcrupuloſa„ rum conſcientiarum attendendum, quod cum Fratres a princi„ pio vellent eſſe Prædicatores. Videntes quod potius in Regula „ Doctoris Auguſtini erant, quæ competebant tali ſtatui, quam in alia

„ in alia, prælegerunt illam.. Veruntamen quia in illa erant ali-
„ qua, quorum uſus, ſive effectus licet competeret ſtatui eorum,
„ (ſcilicet Canonicorum) talis tamen modus, vel nomina non
„ competebant; ideo talia nunquam aſſumpſerunt . . . Ita etiam
„ in propoſito virtus illius mandati Regulæ; videlicet: *Non di-*
„ *catis aliquid proprium, ſed ſint omnia vobis communia.*

III. En ſublimem pro ſerenitate ſcrupuloſarum conſcientiarum doctrinam a Magiſtro Pornaſio proprio marte adinventam. Verum, ut ejus inventa in fumum abeant, duo hic præſtanda ſunt. Primum; integram Regulam D. Auguſtini Ordinem noſtrum profiteri; alterum: Sophiſmata Pornaſii convellenda. Sub Regula S. Auguſtini, nulla adjecta limitatione. Approbatus, confirmatuſque eſt Ordo Prædicatorum. Hoc poſito, in poteſtate Ordinis non remanſit eam regulam truncare, vel limitare abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali indulto. Proferat Pornaſius aliquod ſuper hoc privilegium. Divum Dominicum integram Regulam Ordini ſuo ſervandam propoſuiſſe, atque præcepiſſe ex ſynchronis, juratiſque teſtibus clare evincitur. Bernardus Guidonis in ſuo commentario de rebus Ordinis apud Echard. *Tom. 1. de Script. Ordin. pag.* 55. adducit Paulum Venetum ſocium S. Patriarchæ, ac juratum teſtem ſuper ejus vitæ proceſſum hæc deponentem. *Item dixit, quod rigide, & perfecte ſervabat Regulam quoad ſe, & hortabatur fratres, & præcipiebat eis, quod Regulam PLENE obſervarent, & delinquentes rigide puniebat.* Fr. Frugerius Pennenſis ſocius pariter, ac teſtis juratus ſuper vitam D. Dominici hæc ponit loco laudato pag. 56. *Item dixit, quod dictus Fr. Dominicus in ſe Regulam INTEGRE & rigide obſervabat, & volebat a Fratribus obſervari: & ſi quos tranſgreſſores Regulæ aliquando inveniebat cum maxima manſuetudine verborum, & dulcedine puniebat.* Sed ut perentorium argumentum adducamus, conſulendæ ſunt conſtitutiones noſtræ *diſt.* 1. *cap.* 14. *Textu* 10. *mandamus autem ſub pœna abſolutionis ab officio, & gravioris culpæ Prælato, ut quando vocatus fuerit Novitius ad terminum profeſſionis ſuſcipiendum, expreſſe proteſtetur eidem, quod profeſſio ſua eum obligabit ad tria vota, paupertatis ſcilicet, caſtitatis, & obedientiæ ſecundum Regulam B. Auguſtini, & inſtitutiones Fratrum Prædicatorum, & non ſecundum quod hodie hic, vel ibi ſervatur.* Non igitur quamcumque paupertatem vovet Ordo noſter, ſed eam, quam Regula Auguſtiniana præcipit. Hæc vero omnia communia mandat, quamve communitatem ſub graviſſimo præcepto cadere alibi probabimus. Tantum vero abeſt, hanc communitatem acce-

Digitized by Google

ptatam non fuiſſe ab Ordine noſtro ut Conſtitutiones, vel in ipſo prologo, nos admonent; In Gloſſa ſuper 1. *Textum*, omni diligentia, omnique ſtudio curandum eſſe, ut unitas cordium, & communitas rerum veluti duo primaria Regulæ præcepta ſerventur. *Ad communitatem autem rerum ex ipſius Regulæ præcepto adſtringimur. Et ideo circa unitatem cordium, & communitatem rerum magna diligentia adhibenda eſt.* Et eadem *diſt.*, & eodem capite. *Textu III. lit. D.* hæc habentur: *ſine proprio vivere: declaramus, quod tam Novitii, quam alii Fratres debent ſine proprio vivere, ſicut mandatur in Regula, ubi dicitur: non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia.* Hæc adeo luculenta ſunt, ut oculis, ſanaque mente potius, quam interprete egeant.

IV. Verum etſi deeſſent antiquitatis documenta, ad confutandum Pornaſium, ſolæ, quibus ſe conficit, antilogiæ, ſufficerent, ut in examine rationum ſuarum palam fiet. Et ut a levioribus auſpicemur: primum momentum, quod allegat in favorem repudiatæ ab Ordine communitatis Auguſtinianæ, ſumit ex eo, quod nomina Presbyteri, vel Præpoſiti, qui in Regula continentur, nunquam, (ait pag. 57.) *aſſumpſerunt*, nec etiam aſſumpſe-
„ runt modum ſtudendi, qui in Regula continetur, videlicet quod
„ codices ſingulis diebus petantur . . . & hoc bene conveniebat
„ illis, & modernis Monachis . . . Fratres autem noſtri incho-
„ antes novam Religionem ſtatuerunt ſibi pro fine doctrinam po-
„ puli, & ſalutem Animarum; ideo fuit eis viſum commodius
„ ad finem intentum non certa hora, ſed omnibus horis legen-
„ dum. „ Hæc omnia ad politiam, & ornatum pertinent, nulloque mandato præcipiuntur. Fac Fratres noſtros aliqua ipſius Regulæ cœrimonialia ſtatuta non aſſumpſiſſe; an ideo inferendum primaria ejuſdem Regulæ præcepta rejeciſſe? Quis adeo Hoſpitem, & peregrinum in ſui Ordinis regularis diſciplina crediſſet Pornaſium, ut affereret, non certa hora, ſed omnibus horis legendum? Nunquam ergo orandum, nunquam ſacrificia offerenda, nunquam corpori indulgendum? Dic quæſo, ſi omnibus horis legere debent conſodales tui, qua hora quæſtum peragent? in Societate bene inſtituta temporis horæ, aliæ exercitiis ſpiritualibus, aliæ corporalibus deſtinantur. Quælibet Religio horas habet pro ſtudio, alias habet pro precibus, alias pro cœteris officiis. In nulla Religione fores Bibliothecæ omnibus horis patent, ſed certo tantum temporis ſpatio. Audiamus Humbertum quintum Ordinis noſtri Magiſtrum Generalem hunc textum explicantem in commentariis Regulæ D. Auguſtini *cap.* 128. Codices certa hora

 ſingu-

ſingulis diebus petantur. *Intentio bujus mandati eſt, quia amore ſtudii in libris aliqui Religioſi interdum dimittunt Orationes, vel Divinum officium, vel alia ad obſervantias Regulares pertinentia, quod eſt reprebenſibile, propter quod dicit* (*Codices &c.*) *Ex hoc mandato eliciuntur quinque: ſcilicet quod libri procurentur vel babeantur, quod babiti diligenter cuſtodiantur; quod cuſtoditi in uſum ponantur, quod Religio propter ſtudium non negligatur, quod tales recipiendi ſunt ad Ordinem, qui ad ſtudium babeant aptitudinem*. Sed quid in re certa immoramur? Nomina Presbyteri, vel Præpoſiti non aſſumpſit Ordo noſter. Quid inde inferre audet anxius nominum, verborumque venator? Si hæc nomina non adoptavit Ordo noſter, conſtitutiones noſtræ nos condoceſaciunt, Prioratuum nomina ſubſtituendo. Quoniam vero in rebus monaſticis argutulum ſe jactare videtur Pornaſius, ab eo quæro, quid nomina *Præpoſitus*, & præpoſitura ſignificent? Enimvero, quia harum vocum plenam ſignificationem penitus ignorat, ideo craſſius errat. Sciat ergo, hæc nomina *Prior*, *& Præpoſitus*, eundem habere penes antiquos Monachos ſignificatum, ut obſervat Chriſtianus Lupus *Tom.* V. *pag.* 35. Simeon Monachus Dunelmenſis in Hiſtoria ſuæ Eccleſiæ *lib.* 4. *cap.* 8. apud eundem Lupum ſcribit. *Sanctus Cubertus ſucceſſit in Præpoſiti, ideſt Prioris officium: Nam, qui nunc Prior, a B. Benedicto Præpoſitus Monaſterii appellatur*. Si plura, hac de re, cupis, conſule Lupum loco laudato. Cum igitur hæc duo nomina eadem gaudeant ſignificatione, ſolus Pornaſius peculii amore præoccupatus inferre poterat, communitatis præceptum repudiatum fuiſſe ab Ordine noſtro. Et quia hoc vix credibile videtur, idcirco ejus verba deſcribenda ſunt. „ Ita etiam in propoſito (ait pag. 59.) Virtus „ illius mandati Regulæ videlicet: non dicatis aliquid proprium „ ſed ſint vobis omnia communia: eſt ut fratres vivant in pau„ pertate voluntaria, quæ duobus modis poteſt contingere, aut „ videlicet quia Frater nihil habet, niſi, quod ſibi datur per „ modum eleemoſinariæ proviſionis, aut quod nihil habet, niſi „ quod ſibi datur per modum eleemoſinariæ mendicationis. „ Digna tanto Magiſtro diſtinctio. Si enim ſcire aves, quid iſti modi ſignificent, eruditam ſubjicit explicationem. Primus modus importat omnimodam communitatem præſcriptam a Regula, qui modus eſt proprius Canonicorum. *Ideo* (ait pag. 52.) *inter illos babetur pro præcepto expreſſo, vel præſuppoſito, quod quidquid uni datur, in commune ponatur, & cui neceſſe fuerit præbeatur, ut dicit Regula*. Secundus vero modus aliqua admittit in communi, & quædam

dam peculiaria: *Providentes ſcilicet* (ait pag. 65.) *de tenui victu, ſicut pauperes decet, & de libris communi loco ſervatis; de aliis autem libris, & indumentis, relinquentes curam fratribus*. Expreſſius vero cap. 2. pag. 28. *Evidenter oſtenditur, quod Fratres duo genera bonorum habebant etiam tempore conditarum Conſtitutionum: quædam videlicet ex proviſione Ordinis, quædam vero aliunde: ut puta ex proviſione Parentum, vel amicorum, vel alia induſtria, vel artificio, quæſtu, vel eleemoſina, quæ aliter & aliter in obitu ipſorum dividebatur, ut dictum eſt*. Primum modum perfectæ ſcilicet communitatis amplexi ſunt alii profeſſores Regulæ Auguſtini: Primus modus (ait Pornaſius) erat Canonicorum, ſed illum nunquam Fratres Prædicatores aſſumpſerunt. Secundus modus duo bonorum genera admittens, quæ bona in obitu Fratrum per æquas portiones dividebantur inter eos, locum obtinuit in Ordine noſtro. *Sed* (ait) *aſſumpſerunt Fratres ſecundum modum, judicantes ipſum commodiorem ſtatui ſuo, & fini intento*. Commodiorem revera crumenæ implendæ, & cupiditati ſatiandæ. Quis unquam in animum ſibi induxiſſet, talia ex ore Theologi profluere potuiſſe? Et tamen ea, quæ ſubdit, craſſiora apparent. Nec enim eum pudet effutire, hunc paupertatis modum, qui duo bonorum genera ſuſcipit, alia de communi Ordinis proviſione oblata, alia vero propria induſtria, quæſtu, & artificio comparata, perfectioris paupertatis ſpecimen præferre. *Ideo in hoc caſu, ſicut nec in præcedenti, dici debent tranſgreſſores, ſed ſtrictiores obſervatores paupertatis, quam Regula mandet: ideo notanter dicitur in Conſtitutionibus, quod Fratres Pariſiis convenientes quaſdam ſibi arctiores conſtitutiones ediderunt, videlicet ultra Regulam jam electam*.

V. Utique Patres noſtri, vivente adhuc Sanctiſſimo Patriarcha, in Generalibus Comitiis Bononiæ celebratis anno 1220., & tandem in Capitulo Generaliſſimo Pariſienſi anno 1228.; arctiorem paupertatem ſibi elegerunt; dum poſſeſſionibus, ac redditibus, exemplo non adeo familiari, ab Ordine abdicatis, legem tulerunt, & de ſolis Eleemoſinis a Fidelium charitate erogatis, & in commune collatis, vitam agere decreverunt; idque ad exemplum Apoſtolorum viventium in Jeruſalem. Quid vero inſulſius, quid inſanius enunciari poteſt, quam D. Patriarcham Dominicum, idcirco poſſeſſiones, quas Auguſtiniana Regula in communi admittit, reſpuiſſe, ut fratribus ſuis viam aperiret peculia ſibi, propria induſtria, & artificio, comparandi?

CAPUT III.

Commentitia ſunt prima duo rationum momenta, queis evincere Pornaſius contendit, Ordinem noſtrum illam Auguſtinianæ Regulæ partem rejeciſſe, quæ rerum exactam communitatem præcipit.

I. QUOTIES facti veritas evincenda occurrit, documenta producamus oportet, non quæ convenientiam, aut poſſibilitatem, ſed quæ eventum oſtendant ejuſdem. Ecqua, amabo, ineptior argumentatio, ſi ideo quid eveniſſe demonſtremus, quod congruum, atque conſentaneum fuerat, illud accidiſſe? Hac incedit via Pornaſius. Cum nullum, aut in Conſtitutionibus, aut in Generalibus Capitulis, aut in Chronicis noſtris expiſcari potuerit documentum, vel remote indicans, apicem aliquem Auguſtinianæ Regulæ repudiatum fuiſſe ab Ordine noſtro, quatuor ipſe proprio marte excogitavit momenta, quæ, non eventum; ſed quod ita eveniſſe congruum fuerat, oſtendunt. Primum, & ſecundum, hoc in capite percurram: Tertium vero & quartum capitibus ſequentibus expendam.

„ Cauſſam autem (ait ipſe pag. 60.) propter quam potius iſtum „ ſecundum modum (qui duo admittit bonorum genera) quam „ primum (qui communitatem Auguſtinianam includit) ſumpſe„ runt, poteſt eſſe multiplex. Prima, quia attento, quod abdi„ carent poſſeſſiones in communi, & redditus pecuniales, judi„ caverunt fortaſſe nimis difficile de communi providere omni„ bus tantorum fratrum neceſſitatibus. „ Factum certum nobis obtrudit, & rationem dubiam nobis exhibet: *Fortaſſe judicaverunt &c.* Si anceps eſt, eos ſic judicaſſe, cur tanto auſu, exactam omnium rerum communitatem, quam regula præſcribit, neglectam aſſerit? Sed pedem conferamus, & quam ſolida ſit prima ejus ratio, demonſtremus. Quædam tamen in anteceſſum ex Divo Thoma delibanda ſunt, ut ad æquam lancem omnia reducantur.

II. Quærit Angelicus, num habere aliquid in communi diminuat perfectionem Religionis? 2.2. *quæſt.* 188. *art.* 7. pluraque, tum ex Scriptura, tum ex Patribus congerit, quibus bonorum, ſive mobilium, ſive immobilium poſſeſſionem communem perfectioni Religionis nullo modo obſtare demonſtrat. Loco enim laudato

dato hæc habet. *Et ideo tribus gradibus Religionis ſupra poſitis triplex gradus paupertatis competit. Nam illis Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones activæ vitæ competit habere abundantiam divitiarum communium. Illis autem Religionibus, quæ ſunt ordinatæ ad contemplandum, magis competit habere poſſeſſiones moderatas, niſi ſimul oporteat tales Religioſos per ſe, vel per alios hoſpitalitatem tenere, & pauperibus ſubvenire. Illis autem quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda competit vitam habere maxime ab exterioribus ſollicitudinibus expeditam. Quod quidem fit, dum modica, quæ ſunt neceſſaria vitæ, congruo tempore procurata, conſervantur. Ex quo patet, quod conſervare pecuniam, aut quaſcumque res communes ad ſuſtentationem Religioſorum ejuſdem, vel quorumcumque aliorum pauperum eſt perfectioni conforme, quam Chriſtus docuit ſuo exemplo.* Manifeſtum igitur eſt juxta D. Thomam, cui omnes Theologi ſubſcribunt, bona, ſive mobilia, ſive immobilia, moderata tamen, in communi, nullum perfectioni Religioſæ præjudicium inferre. Aliqua vero privata habere, ſollicitudinem, anxietatem, diſtractionem mentis, animi perturbationem, aliaque id genus incommoda afferre, docent omnes cum eodem D. Thoma in corpore ejuſdem articuli. *Differt tamen circa hoc, utrum divitiæ abundantes, vel moderatæ in proprio, vel in communi habeantur. Nam ſollicitudo, quæ circa proprias divitias adhibetur, pertinet ad amorem privatum, quo quis ſe temporaliter amat. Sed ſollicitudo, quæ adhibetur circa res communes pertinet ad amorem charitatis, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed communibus intendit. Et quia Religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei uſque ad contemptum ſui, habere aliquid proprium perfectioni repugnat Religionis.* Ex his omnibus palam fit, poſſeſſiones, divitiaſque moderatas in communi, nequaquam repugnare perfectioni Religionis: peculium vero, ſeu proprium eidem perfectioni, Divo Thoma teſte, infeſtum eſſe, & exitiale. His claro in lumine poſitis, hoc pacto primam Pornaſii rationem refello.

III. Regula Divi Auguſtini, quam ſervandam delegerunt Patres noſtri poſſeſſiones in communi concedit; privatum vero peculium ſeveriſſime vetat, omniumque bonorum exactam communionem præcipit. Iſtius communitatis legem amplexati ſunt Patres noſtri; & inſuper arctiorem conſtitutionem edidere de abdicandis agris, & redditibus vel in communi poſſidendis. Privati peculii uſum ſi admiſiſſent, ut Pornaſius contendit, elegiſſent ne perfectiorem paupertatem? Quin imo Regulæ tranſgreſſores fuiſ-

ſent

ſent id rejicientes, quod Regula concedit; & in Ordinem invehentes abuſum illum, quem non modo regula Auguſtini ſed omnes Monachales Regulæ tanquam teterrimam paupertatis, & perfectionis Monaſticæ luem ſemper proſcripſere, proſcribuntque Sacri Canones omnes. An ne id ſuſpicari licet de Sanctis illis viris, qui ſpiritu evangelicæ paupertatis ferventes agros villaſque dimiſerunt, nulloſque alios redditus ſibi ſervarunt, niſi qui ex Divinæ Providentiæ Patrimonio colliguntur, quia altas in eorum animis radices egerat infallibilis Jeſu Chriſti promiſſio: *Quærite primum Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*. Hunc fuiſſe illorum Patrum ſpiritum, teſtatur D. Thomas ceu oculatus teſtis, qui *opuſ.* 19. *cap.* 6. contra impugnantes Religionem hæc refert. *Dicendum quod licet ille, qui dat omnia propter Chriſtum, ſubtrabit ſibi aliquod auxilium vitæ; non tamen omne, quia adbuc ei remanet auxilium Divinæ Providentiæ, quæ ei in neceſſariis non deerit, & fidelium devotio. Unde Auguſtinus in lib. de eleemoſina invebitur contra talia objicientes, ſic dicens: Tu Chriſtiano, Tu Dei Servo, tu bonis operibus dedito: Tu Domino tuo charo aliquid exiſtimas defuturum? An putas, qui Chriſtum paſcit, a Chriſto ipſe non paſcatur? An putas terrena deerunt, quibus cæleſtia, & divina tribuuntur? Unde bæc incredula cogitatio? Unde impia & ſacrilega iſta meditatio? Quid facit in domo Dei perfidum pectus? Quid, qui Chriſto omnino non credit, appellatur, & dicitur chriſtianus? Fariſei magis ſibi congruit nomen.* Melius quam ovum ovo videntur hæc convenire Pornaſio ſcribenti, Patres noſtros prudentia, doctrina, & ſanctitate illuſtres, communia bona abdicaſſe, ut deinde privata peculia perfectioni Religionis repugnantia a Patribus omnibus, Conciliiſque reprobata, in Ordinem noſtrum inveherent. Quid rationi, quid prudentiæ, quid ſanæ menti magis adverſum excogitari valet? Vni revera Pornaſio tam peregrinum inventum reſervatum erat. Sed audiat Pornaſius Cardinalem Caetanum aſſignantem rationem, ob quam peculia quærunt Religioſi in commentariis ſuper hunc articulum 7. laudatæ *quæſt.* 188. „ Secunda eſt nimius ſumptus. Nam quod triginta Religio-
„ ſi hodie exigunt, paulo ante centum forte ſufficiebat. Nunc ſi
„ deeſſet pitantia Conventui, error magnus eſſet; olim ſat erat
„ quandoque habere illam. Immo legitur B. Dominicum Pro-
„ curatorem Conventus Bononienſis arguiſſe, quia deſtrueret ei
„ fratres, quia ſæpe dabat eis pitantiam: & tamen quantum ex
„ illa lectione memini, non dabat forte niſi bis in hebdomada pi-
„ tantiam Procurator ille. Olim veſtes veteres, & laceratæ, re-

„ ſar-

„ farcitæ tamen in uſu erant; modo conſumitur ærarium magnum „ in veſtibus. Taceo de fabricis ſumptuoſis, quæ a mendicanti- „ bus fiunt. Et breviter expenſæ modernæ tantum diſtant ab an- „ tiquis, ut non ſit mirum, ſi multa opus ſit ſollicitudine. „ Ha- ctenus Caetanus.

„ IV. Secunda cauſa (inquit Pornaſius) quia judicaverunt ip- „ ſum modum eſſe magis meritorium: videtur enim, cœteris pa- „ ribus, non adeo meritoria Paupertas, cui dantur neceſſaria, „ abſque eo quod ſe humiliet petendo .... Sunt enim plures „ pauperes ſolo nomine, nullas unquam, vel rariſſime experti „ indigentias, qui (ut dicit Bernardus lib. de præcep. & diſ- „ penſat.) pauperes eſſe volunt, ſed eo pacto, ut nihil ſibi de- „ ficiat. „

V. Ut ab his ultimis verbis incipiam, laudo Pornaſii zelum merito incaleſcentem in Religioſos, qui, ſub ementito pauperum nomine aliquas experiri indigentias, detrectant. Verum ſummopere vereor, ne iſtos inter, ſolo nomine pauperes, conſcribere eos debeat, quorum meminit pag. 28. „ Ex quibus ſatis „ evidenter oſtenditur, quod Fratres duo genera bonorum habe- „ bant etiam tempore conditarum Conſtitutionum: quædam ex „ proviſione parentum, vel amicorum, vel alia induſtria, vel „ artificio, quæſtu, vel eleemoſina, quæ aliter, & aliter in obi- „ tu ipſorum dividebantur. „ Dicat velim Pornaſius: Iſti Fratres, quibus non modo neceſſaria pro victu, atque veſtitu ſuppeditabantur, verum etiam tale poſſidebant patrimonium amicorum, parentumque munificentia partum, induſtria, eleemoſinis, quæſtu, & tandem artificio ad tantam opulentiam auctum, ut poſt eorum obitum *aliter & aliter divideretur*; iſti, inquam, erant ne reapſe, vel ſolo nomine pauperes? Iſti, qui tempore conditarum conſtitutionum vitam degebant, erant ne de numero eorum, quos in hac ipſa ſecunda ratione ſummis laudibus extollit his verbis? *adeo ut ſæpe admirer ſufferentiam fratrum, qui male paſti, & pejus induti non omittunt Præſidentibus, in his quæ ad Divinum cultum pertinent, obedire.* Iſti certe Patrimonium non habebant, quod poſt eorum obitum poſſet aliter, & aliter dividi. Pornaſius itaque in Ordinem ſuum horrorem & confuſionem invehit, dum alios opulentos, alios miſeros, alios laceros, alios veſte ſplendidos in ſcenam inducit. Quomodo ſuas contradictiones conciliare poſſit, ignoro. Sui ſtatus certe perfectionem ignorat, dum majoris meriti fœcundam aſſerit paupertatem, quæ amicorum, parentumque amore, induſtria, artificio, quæſtuque nutri- tur,

Digitized by Google

tur, præ illa, quæ omnium bonorum particulari abdicata poſſeſſione, de communibus bonis ſuſtentatur. Fatemur utique, & nos majus eſſe paupertatis meritum, vitam ſolis eleemoſinis, quam certis redditibus alere: ſi eleemoſinæ iſtæ in commune conferantur, & unicuique, prout cuique opus fuerit, diſtribuantur juxta regulæ mandatum. Verum ſi iſtarum eleemoſinarum uſum ſinguli Religioſi ſibi applicant, ut Pornaſius contendit, tunc non majoris meriti præmium aſſequentur: ſed majoris tranſgreſſionis regulæ pœnas dabunt. Nunquid mendicorum oſtiatim cibum, potumque quærentium ſtatus, majoris meriti majoriſque perfectionis erit, quam ſtatus Religioſorum bona in communi poſſidentium? Debuiſſet Pornaſius a D. Thoma, in cujus verba juraverat, diſcere, majus meritum, majoremque perfectionem Religionis minime pendere a majori paupertate, abſolute accepta, ſed ab ea, quæ magis conſentanea eſt fini præcipuo Religionis. *Quia vero* (ait Angelicus loco laudato in reſponſione ad primum) *inſtrumentum non propter ſe quæritur, ſed propter finem, non tanto aliquid ſit melius, quanto majus eſt inſtrumentum, ſed quanto eſt magis fini proportionatum ... Sic ergo, non oportet, quod Religio tanto ſit perfectior, quanto majorem habet paupertatem, ſed quanto ejus paupertas eſt magis proportionata fini communi & ſpeciali.*

CAPUT IV.

Tertia expenditur Pornaſii ratio. Hæc cum Verbo Dei pugnat, & gravi cenſura obnoxia eſt.

I. MATURA prudentia, profunda doctrina, atque exquiſitum judicium cujuſque propoſitionis cenſuram præcedere debent. Doctrina, quam in tertia ſua ratione ad protegendum Religioſorum peculium Pornaſius adducit, tam evidenter Sacro Textui opponitur, ut nulla intermedia deductione, vel argumentatione opus ſit, qua id evincatur. Pornaſii aſſerta, & Scripturæ Sacræ documenta invicem conferenda ſunt, ſtatimque repugnantia in cujuſque oculos, quamlibet lipos, ſe ſe ingerit.

II. Bona temporalia conſulit Chriſtus in pauperes diſtribuere iis qui evangelicam perfectionem perſequi volunt. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere*

quere me *Matth.* 6. Conſilium hoc opere, & exemplo ipſe cum ſuis Apoſtolis implevit. Ejus diſcipuli, divenditis agris, domibuſque, pretia ante pedes Apoſtolorum ponebant, ut in unum collata, omnibus eſſent communia. Sic teſtatur Lucas Actorum IV. *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia communia. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout unicuique opus erat*. Eadem habet Cap. II. eorundem actorum v. 44., & 45. *Omnes etiam, qui vendebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat*. Chriſtus igitur, & Apoſtoli cum verbo, tum opere docuerunt, conſuluerunt que communem vitam tanquam evangelicæ perfectionis immobile, firmumque fundamentum. Omnes Sacrorum Ordinum Patriarchæ, nullo excepto, hanc Apoſtolicam communitatem, non ſolum conſuluerunt, ſed præceperunt, ceu neceſſarium medium ad paupertatem cuſtodiendam, ad mutuam charitatem fovendam, ad pacem, atque cordium unitatem firmandam, conſervandamque, ut videre eſt apud Hugonem Menardum in concordia Regularum *cap.* 42.; Lucam Holſtenium in codice Regularum, & Edmundum Martene in commentariis Regulæ Sancti Benedicti *cap.* 23. Infinitus eſſem, ſi Sanctorum Patrum momenta iſthuc pertinentia referre vellem. Sufficiat indicare ea, quæ Summus Pontifex Nicolaus III. habet *cap. Exiit de verborum ſignif.* ubi Minoritas alloquens ait: *Hi ſunt illius Sanctæ Regulæ profeſſores, quæ evangelico fundatur eloquio, vitæ Chriſti roboratur exemplo, fundatoris militantis Eccleſiæ, Apoſtolorum ejus ſermonibus, artibuſque firmatur*. Hæc omnia cuique vel mediocriter in ſcripturis verſato pervia ſunt. In medium modo veniat, quæ in ſua ratione effutit Pornaſius. *Tertia ratio:* (inquit pag. 63.) *Fortaſſe judicaverunt hunc modum* (qui duo bonorum genera communia, & appropriata claudit) *magis congruum paci, & tranquillitati fratrum, quæ pax mentis eſt finis omnium Religionum, ut dicitur in collationibus Patrum, & propter quam ſervandam prætermittendæ ſunt, & relaxandæ cæremoniæ Religionis. Sanctius eſt enim a medio diſcedere, quam finem deſerere, ut dicit ibidem. Ut autem dicit Philoſophus in Politicis: qui ponit commune ponit litem: & ideo dicit Sanctus Thomas, niſi adſit perfectio charitatis, difficile eſt nimis pacem in rerum communitate ſervare. Magis enim*

K *paci-*

pacifice ſtatus hominum conſervatur, ubi unuſquiſque contentus eſt de ſuo. Videmus, quod inter eos, qui per indiviſum, & communiter aliquid poſſident, frequentius jurgia oriuntur, ut dicit S. Thomas 2. 2. quæſt. 66. art. 2. Sed quia ex alia parte, ubi nulla eſt ſocietas, & intervenit nimia ſollicitudo, eſt diſtractio ſingulorum, ideo quaſi media via inter omnimodam communitatem, & omnimodam paupertatem, videntur voluiſſe incedere Patres noſtri, ut ſimul & jurgia, & diſtractionem nimiam tollerent, quaſi via regia incedentes, providentes ſcilicet de tenui victu, ſicut pauperes decet, & de libris communi loco ſervatis; de aliis autem libris, & indumentis relinquentes curam fratribus ad humilitatis cuſtodiam, & ad experientiam effectualem paupertatis.

III. Integram referre placuit Pornaſii rationem, ne al'cujus interpolationis ſuſpicioni locus eſſet: judicent modo æqui æſtimatores, num iſta Pornaſii doctrina cum Evangelio conciliari poſſit? Erroneas aſſertiones breviter percurramus. Patres noſtros paupertatem duo bonorum genera excipientem, communia nempe & propria delegiſſe ait Pornaſius, quia communitatem Apoſtolicam in Regula Auguſtini præſcriptam, judicarunt cordium unitati adverſam, paci, tranquillitati, atque Chriſtianæ concordiæ exitialem. Ut vero hunc errorem confirmet, authoritatem Philoſophi ex politicorum libris deſumptam in medium profert: *Qui ponit commune, ponit litem*. Uah enormem Blaſphemiam! Ex Gentilium Politicorum libris præſidium quærit, ut Conſilia Evangelica damnet? Si Ethnicorum ſcripta magis familiaria, quam Evangelia illi erant, cur ſaltem eorum ethicam non revolvit? Inveniſſet profecto ſui erroris condemnationem in Seneca dicente: *Quietiſſimam vitam ducerent homines, ſi hæ duo tollerentur de medio: MEUM, & TUUM:* inveniſſet in alio hoc diſtichon: *Si duo de noſtris tollis pronomina rebus; prælia ceſſarent, pax ſine fine foret*. Patres ei legendos non ſuggero, quia in uno Chryſoſtomo hom. 58. ad popul. Antioch. inveniſſet. *Una menſa, unum miniſterium ſuſcipientibus, & exhibentibus eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita: non eſt ibi meum & tuum; ſed hoc verbum penitus eliminatum, multorum cauſa malorum*. Inveniſſet in Auguſtino ſerm. 27. de verb. Apoſt. vel 25. *Jure fraternitatis erant illis omnia communia, ſcilicet, ut qui eodem conſortio fruerentur, & vita; hoc eſt, quibus erat una fides, eſſet una ſubſtantia, & quibus erat communis Chriſtus, eſſet & ſumptus*.

IV. *Qui ponit commune, ponit litem?* Jurgiorum ergo, litium, diſſenſionum, altercationum, rixarum ſeminarium poſuit

Chr-

Chriſtus, dum communitatem in Apoſtolicum Collegium invexit? jurgia, ſchiſmata, tumultus, ſciſſuras, zizania ſeminarunt Apoſtoli, ſeminarunt Patriarchæ, ſeminarunt Patres omnes ubique clamantes *ſint vobis omnia communia*, ubique vetantes, *Non dicatis aliquid proprium?* Nullo pudore ſuffunderis Sancto Dei Verbo, venerandæ Apoſtolorum conſuetudini, & unanimi Sanctorum Patrum ſenſui unum Paganum neque de ethica tractantem, ſed de politicis philoſophantem opponere, *Qui ponit commune, ponit litem?* Non erubeſcis Pornasi communitatem, a Deo rerum omnium conditore in ſtatu innocentiæ primitus inſtitutam, a Chriſto Redemptore quaſi poſtliminio in Eccleſiam revocatam, ab Apoſtolis, Patribuſque ſervatam, in Cœleſti denique Patria perpetuo duraturam, tanquam malorum omuium ſcaturiginem, ſinique Religionis præcipuo repugnantem, ſuggillare?

V. Hanc tertiam ſuam rationem duas in partes diſtribuit Pornaſius. De hac poſteriore parte pauca dicamus oportet. Patres noſtros, neque damnabilis proprietatis fontes, neque exactæ communitatis Apoſtolicæ obſervatores repræſentat, ſed alicujus proprietatis; & cujuſdam communitatis participes, media, inter ambo extrema, via inceſſiſſe effingit. Quia ſi undique fratres *proprietarii* eſſent, nullo ſocietatis fœdere unirentur, magna namque diſtractio, & ſeparatio inter eos foret. Contra vero, ſi Apoſtolicæ Communitatis vinculo agglutinarentur, jurgia, & ſchiſmata eos inter reſonarent. En ejus verba. *Sed quia ex alia parte ubi nulla eſt Societas, & intervenit nimia ſollicitudo, & diſtractio ſingulorum. Ideo quaſi media via inter omnimodam communitatem, & omnimodam proprietatem videntur voluiſſe incedere Patres noſtri, ut ſimul jurgia & diſtractionem nimiam tollerent, quaſi via regia incedentes*. Via regia Apoſtolorum, non peram, non zonam ferebat. Via regia, per quam D. Patriarcha Dominicus ambulavit, pecuniam non vidit. Via regia, per quam ambulabant Patres noſtri ſucceſſores proximi D. Dominici nullas omnino pecunias admittebat. Audi quid dicat *Cap. Gen.* ſub B. Umberto anno 1255. *ord.* 9. *Item monemus Priores, & viſitatores, ut Conſtitutionem de non portanda pecunia in via arctius faciant obſervari*. Audi F. Stephanum Lombardiæ Provincialem, qui per quindecim annos D. Dominicum agnovit. Hic, referente Bernardo Guidonis, teſtatur: *Quod ſicut Fr. Dominicus amaverat paupertatem in ſe, amaverat eam in fratribus ſuis: unde injunxit eis, ut vilibus veſtibus uterentur, & in via nunquam pecuniam portarent*. Alter ſocius ejuſdem Patriarchæ, nempe Fr. Joannes Hiſpanus apud eundem Bernar-

Digitized by Google

dum Guidonis, hæc teſtatur: *Fr. Dominicus laboravit, & fecit, quod Fratres ipſius Ordinis dimitterent, & contemnerent omnia temporalia, & inſiſterent paupertati, & non equitarent, & viverent de eleemoſinis, & nihil ſecum in via portarent.* Hæc eſt via Regia, per quam ambulaverunt Patres noſtri. Quo ergo fundamento mediam viam excogitavit inter omnimodam proprietatem, & omnimodam communitatem, id eſt neque pecunia vacuam, neque redundantem, ſed mediam: & hæc, ſi ſuperis placet, regia eſt, quam calcarunt Patres noſtri? Quem non deberet pudere hæc Sanctis illis Patribus affingere, ut inde opinioni ſuæ præſidium aucupetur? Quid igitur verear libellum tot gerris, erroribuſque, Scripturæ, & Apoſtolicis traditionibus, contrariis refertum ea graviſſima cenſura dignum intrepide denunciare, quam in non multum diſſimilia eructantes vibrat D. Thomas *opuſ.* 17. *cap.* XV. *Quis autem dicat, niſi Hæreticus, primam Diſcipulorum inſtructionem a Chriſto datam, Perfectioni evangelicæ derogare? . . . legitur enim in actibus* 4. *quod multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia COMMUNIA . . . . Ex quo patet, hanc eſſe evangelicæ vitæ obſervantiam, ut ea quæ ad neceſſitatem vitæ pertinent, poſſideantur COMMUNITER.*

CAPUT V.

D. Thomas a Pornaſio in ſua tertia ratione perperam traductus. Ejus allucinatio retegitur; quarta ſeu ultima illius ratio vana.

I. CAPITE ſuperiore erroneas Pornaſii aſſertiones, anathemate perſtringendas eſſe conſtanter pronunciavi. Hoc vero in capite ejus in Divi Thomæ Doctrina exponenda nimiam oſcitantiam palam faciam. Ut enim Philoſophi effatum: *Qui ponit commune, ponit litem*, confirmet, authoritatem obtrudit Divi Thomæ his verbis, quæ habentur in Textu producto ſupra capite primo „. Et ideo dicit Sanctus „ Thomas, niſi adſit perfectio charitatis, difficile eſt nimis pacem „ in rerum communitate ſervare. Magis enim pacifice ſtatus ho„ minum conſervatur ubi unuſquiſque contentus eſt de ſuo. Vi„ demus quod inter eos, qui per indiviſum, & communiter ali„ quid poſſident frequentius jurgia oriuntur, ut dicit S. Tho-

Digitized by Google

„ mas 2. 2. quæſt. 66. ar. 2. „ In primis Pornaſius ſincere non effert textum Divi Thomæ, ſed partim interpolatum, partim cum propriis verbis confuſum illum exhibet. Textus genuinus Divi Thomæ ſic habet. *Magis pacificus ſtatus hominum conſervatur, dum unuſquiſque re ſua contentus eſt. Unde videmus, quod inter eos, qui communiter & ex indiviſo aliquid poſſident frequentius urgia oriuntur*. Nec verbum in toto illo articulo habet Angelicus de perfectione charitatis. Ut autem res tota claro in lumine collocetur, animadvertamus oportet laudatam quæſtionem ſexageſimam ſextam totam verſari in materia de furto, & rapina, ibique Angelicus omnes, quæ de duobus his vitiis fieri poſſent, difficultates reſolvit. In articulo ſecundo laudata verba continente evincit, homines exteriorum bonorum dominium licite habere poſſe; & ex pluribus, quas ut id probet, effert rationes, una eſt, quod bonorum communio diſſidiorum occaſio foret, idcirco bona dividenda eſſe concludit. An hæc pertinere poſſunt ad Religioſos cujuſque Dominii incapaces, quorumve ſtatus ſchola eſt evangelicæ perfectionis? neque hoc in dubium revocare debuiſſet Pornaſius. Si a Religioſis, ſicuti a cæteris viris laicis auferenda eſſet bonorum communitas, idem quoque dominium illis, ac iſtis tribuendum foret. Cui quæſo in mentem unquam veniſſet, potuiſſe Pornaſium virum Religioſum, & in Sacra Theologia Magiſtrum, ſui Angelici Præceptoris Doctrinam de furto, & rapina contorquere ad improbandam illam bonorum communitatem, quam Regulares viri omnes profitentur? Pornaſii erat, ſi de Religioſorum paupertate Angelici mentem aſſequi cupiebat, omittere quæſtionem de furto & rapina, & volvere quæſtionem 188., quam in eadem ſecunda ſecundæ hoc de argumento inſtituit Doctor Sanctus. Oculos conjicere debuiſſet, & in opuſculum 19. & in librum tertium contra Gentes, ubi de eadem re plura quoque reperiiſſet. Nos ex his indicatis limpidiſſimis fontibus pauca haurire placet, quæ ad convellendum Pornaſii commentum, validiſſima ſunt. Et in primis 2. 2. quæſt. 188. ar. 7. Angelicus omni argumentorum genere probat, privatas divitias, ſeu peculia privata perfectioni Religioſæ repugnare, ſollicitudinem, diſtractionem nimiam inferre; divitias autem in communi poſſeſſas nullo modo perfectioni evangelicæ præjudicare. Ac primum id evincit ex authoritate Proſperi, qui *in lib. de vita contemplativa* ſive alius ſit auctor a Proſpero, hæc ſcribit. *Satis oſtenditur & propria debere propter perfectionem contemni, & ſine impedimento perfectionis Eccleſiæ poſſe facultates, quæ ſunt profecto communia, poſſi-*

poſſideri. Deinde pluribus adductis cum ſcripturarum, tum Patrum documentis doctrinam ſuam exponit. *Differt tamen*, ait in *corp. ar. circa hoc, utrum divitiæ abundantes, vel moderatæ in proprio, vel in communi habeantur. Nam ſollicitudo, quæ circa proprias divitias adhibetur, pertinet ad amorem privatum, quo quis ſe temporaliter amat. Sed ſollicitudo, quæ adhibetur circa res communes pertinet ad amorem charitatis, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed communibus intendit. Et quia Religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei uſque ad contemptum ſui, habere aliquid proprium perfectioni repugnat Religionis*. Et poſt plura concludit. *Ex quo patet, quod conſervare pecuniam, aut quaſcumque alias res communes ad ſuſtentationem Religioſorum eſt perfectioni conforme, quam Chriſtus docuit ſuo exemplo*. Similia ſcribit *quæſt*. 188. *art*. 3. *Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, ſtatus Religionis eſt quoddam exercitium, & diſciplina, per quam pervenitur ad perfectionem charitatis. Ad quod quidem neceſſarium eſt, quod aliquis affectum ſuum totaliter abſtrabat a rebus mundanis: unde in lib.* 83. *qq. dicit Auguſt. quod nutrimentum charitatis eſt imminutio cupiditatis. Ex hoc autem quod aliquis res mundanas poſſidet, allicitur animus ejus ad earum amorem, & inde eſt, quod ad perfectionem charitatis acquirendam primum fundamentum eſt voluntaria paupertas, ut aliquis abſque proprio vivat: dicente Domino Matth.* 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me*. Plurima his ſimilia locis laudatis habet Angelicus.

II. Hæc forte ſufficerent, ut modicæ ſinceritatis Pornaſium revinceremus. At iſta omnia ad majorem abundantiam dicta ſunt. Quæ vero ſequuntur unice Pornaſio opponimus, ut omnem effugiendi aditum ei præcludamus. Quæ enim ille in ſuæ deſperatæ cauſſæ ſubſidium, ex D. Thoma de furto, & rapina loquente, laudat, eadem omnia fere de verbo ad verbum ſibi opponit Angelicus 3. *Cont. Gent. cap.* 132. ubi de rerum communitate, quam Religioſi profitentur, controverſiam verſat. *Communis*, inquit Angelicus, *poſſeſſio ſolet eſſe cauſſa diſcordiæ; non enim videntur litigare, qui nihil habent commune, ut Hiſpani, & Perſæ, ſed qui ſimul habent aliquid commune, propter quod etiam inter fratres ſunt jurgia. Diſcordia autem maxime impedit vacationem mentis circa divina, ut dictum eſt. Videtur igitur iſte modus vivendi impedire finem voluntariæ paupertatis*. Conferas velim hanc Angelici objectionem cum doctrina a Pornaſio in ſua tertia ratione adducta, & ſuperiore capite deſcripta, ut inde colligas omnia in-

vicem

vicem reſpondere: hic, & illic ex communitate diſcordias oriri, tranquillitatem turbari, & finem Religionis impediri, aſſeritur. Oculos modo revolve, aureſque erige o Raphael, ut ſolutionem, quam reponit Angelicus, audire, vel legere valeas eodem *lib. cap.* 135. *Eſt autem ſecundus modus vivendi conveniens voluntariam paupertatem ſectantibus, ut ſcilicet de communibus poſſeſſionibus vivant. Nec per hunc modum aliquid deperit perfectionis, ad quam tendunt voluntariam paupertatem aſſumentes. Nec etiam propter hunc modum vivendi concordia tollitur, occaſione communium poſſeſſionum. Tales enim debent voluntariam paupertatem aſſumere, qui temporalia contemnant, & tales pro temporalibus diſcordare non poſſunt; præſertim cum ex temporalibus nihil præter neceſſaria vitæ debent expectare, & cum diſpenſatores oporteat eſſe fideles. Nec propter hoc, quod aliqui hoc modo vivendi abutantur, hic modus vivendi poteſt improbari, cum etiam bonis mali utantur male, ſicut & malis boni utuntur bene.* Ex his colligat Lector, ſinceritatem Pornaſii in exponenda ſui Magiſtri doctrina? Non modo mentem D. Thomæ, ut tenebatur, ſequutus non eſt, verum etiam cum Angelici adverſariis, fœdere inito, quæ ab illis obtruſa fuerunt contra Religionis ſtatum, mutuatus eſt; eaque ceu Divi Thomæ germana ſenſa lectoribus venditavit, ut damnabile peculium facilius Religioſis ſuaderet. Si in re tam magni momenti deceptus eſt, quiſque judicet, quænam in aliis ſit ei fides adhibenda. Pauca ſuper quartam & ultimam ejus rationem dicamus fas eſt.

„ Alia cauſa, inquit pag. 65., potuit eſſe, ut videlicet Fra„ tres, quos non moveret virtus, moveret ſaltem neceſſitas ad „ ſtudium, & peritiam literarum: experti ſcilicet, quod doctis, „ & ſcientificis communiter melius ſubvenitur a potentibus, quam „ ignaris, & indoctis. Felix autem neceſſitas, quæ ad meliora „ compellit . . . . ſpiritualibus tamen non opus eſſet hac lege, „ ſed carnalibus, quorum major eſt numerus.

III. Quis pacato animo ferat Pornaſium tot probra, tot Scommata in gentem ſanctam proferentem? Incalenti tamen zelo frænum imponendum eſt, ut conſecutiones ex ejus doctrina neceſſaria proficiſentes perpendere paululum valeamus. Quandoquidem, ſemel admiſſo, quod communitas Apoſtolica ab Ordine noſtro, ut ipſe vult, exulaverit, ſponte fluit conſectarium, Patres ſcilicet noſtros in carnalium hominum ſentinam deflexiſſe. Hoc nobis teſtatur Hugo a S. Vict. in expoſitione Regulæ S. Auguſtini ſuper illud *non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia. Non debemus*, ait Ugo, *aliquid habere proprium, aut quid-*

quidquam dicere meum, ſed noſtrum, ut dicatur noſtra Cappa, noſtra domus; omnia enim in communi debemus habere, & omnia communi nomine appellare. Sed in hoc penſandum eſt, quanta differentia ſit inter CARNALES FRATRES, ET SPIRITUALES: nam illi, quod commune eſt, dividunt; iſti, quod diviſum erat, in communi ponunt.

IV. Naturali quoque conſecutione ex communitatis exilio ſuccedit aliud monſtrum, nempe, Fratres noſtros literarum ſtudia venalia feciſſe. Ait enim D. Bernardus *ſerm. 36. in Cantic. Sunt qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt .... Et ſunt item, qui ſcire volunt, ut ſcientiam vendant pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæſtus eſt: Sed ſunt quoque, qui ſcire volunt, ut ædificentur, & prudentia eſt.* Pornaſium minime pudet, Divi Dominici ſocios, ejuſque ſerventiſſimi zeli, ac ſanctitatis hæredes, inter ſcientiarum venditores connumerare, eoſque ceu homines carnales in literarum ſtudia ideo incumbere, ut auram popularem aucupentur, marſupium peculiis impleant; eos denique vilis mercimonii, & iniqui mammonæ reos agere? Experientiam rerum magiſtram in ſubſidium vocat, ut evincat, doctis & Magiſtris abundantiore copia a potentibus, & magnatibus ſubveniri. Fac rem ita ſe habere. Quis ſubveniet miſeris indoctis, & ignaris? Quis vitæ contemplativæ vacantibus? Per te ergo in Ordine noſtro docti Magiſtri, eruditi Bacalaurei veſte ſplendida, crumena plena incedent, laute prandebunt? Ignari autem, & chorum diu, noctuque frequentantes pannoſis, laceriſque veſtibus induti, pecunia denudati, vix tenui victu ſuſtentabuntur? Illi ebrii, iſti eſurientes? Hic autem, non Ordo, ſed ſempiternus horror, & confuſio. Verum de his pluſquam ſatis. Pauci modo diſcutienda eſt Sedis Apoſtolicæ authoritas, qua huic ſuo quarto capitulo finem imponit. Contendit enim omnia ſua aſſerta, Clementis IV. Conſtitutione fulciri. „ Neque etiam „ carent ſupradicta authoritate Apoſtolicæ Sedis. Nam aſſerentibus nonnullis, quod Fratres, quod non valeant proprium poſſidere, non poſſunt in hæreditate ſuccedere, declaravit Clemens IV., „ quod in temporalibus bonis, in quibus ſuccederent in ſæculo „ exiſtentes, ſcilicet poſſint ſuccedere, & bonorum ipſorum poſſeſſionem aprehendere, ac vendere libere bona temporalia, & „ eorum pretium in ſuam utilitatem convertere, prout melius „ eis videbitur expedire. “ Nemini mirum videri debet, Pornaſium Sedis Apoſtolicæ authoritate abuti, cum illum minime pudeat ipſam Scripturam Sanctam Paganorum erroribus fœdare. Ut

Ut autem veritas locum habeat, Bulla ipſius Clementis ſincere producenda eſt, ut inde colligat Lector erroneam Pornaſii expoſitionem.

V. Anno 1266. 12. Februarii Bulla *obtentu Divini Numinis*. Sub Clemente IV. emanavit ad petitionem Ordinis Prædicatorum, vel ut alii volunt, ad petitionem tum Ordinis Prædicatorum, cum Ordinis Minorum. Locum Controverſiæ dederunt, ut obiter dicam, variæ ipſius Bullæ inſcriptiones. In aliquibus enim exemplaribus ſic legitur. *Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis Filiis Magiſtro & Fratribus Ordinis Prædicatorum.* In alio vero exemplari authentico in archivo Ordinis noſtri adſervato ſic legitur. *Dilectis Filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, nec non Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.* Hæc ſecunda inſcriptio in aliis quoque exemplaribus habetur, ut videre eſt in Bullario Ordinis, ubi plura laudantur apographa. Magna Minoritas inter, qui Conventuales vulgo dicuntur, & eos, qui de Obſervantia nuncupantur, contentio eſt, quænam ex his duabus inſcriptionibus authentica, quænam interpolata ſit; ſed eis dirimendam relinquo. Ad noſtra gradum vertamus.

VI. Tenor laudatæ Bullæ eſt ejuſmodi. *Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod nonnulli Prælati, Clerici, & Laici in diverſis mundi partibus conſtituti, aſſerentes vos mundo fore mortuos, nec valentes proprium poſſidere, vos occaſione hujuſmodi a quibuslibet ſucceſſionibus excludere moliuntur. Quare pro parte veſtra fuit a nobis humiliter poſtulatum, ut, ne contingat vos propter hujuſmodi præſumtionem talium aliquod incurrere nocumentum, congruum ſuper hoc remedium adhibere paterna diligentia curaremus. Nos itaque veſtris ſupplicationibus benignius annuentes, authoritate Apoſtolica declaramus, quod vos in temporalibus bonis, in quibus ſuccederetis in ſæculo exiſtentes, licite poteſtis ſuccedere, & bonorum ipſorum profeſſionem apprehendere, ac vendere libere bona ipſa, eorumque pretium in utilitatem veſtram convertere, prout vobis melius videbitur expedire.* Quanquam manifeſtius ſit, quam probatione egeat, hanc Bullam, ſeu conſtitutionem de Ordine in communi ſermonem habere, nullo modo vero de Fratribus particularibus, nihilominus tribus potiſſimis argumentis ſit palam. Primo ex inſcriptione, quæ Ordinis Generali Magiſtro, ejuſque Fratribus directa eſt. Secundo ex narratione, in qua aſſeritur, idcirco Fratres non poſſe ſuccedere, quia proprium nequeunt poſſidere. Si de particularibus Fratribus ſermo eſſet, ratio adducta

validiſſima foret. Patet ſiquidem Fratres particulares proprium poſſidere non poſſe. Tertio tandem ex amplitudine poteſtatis vendendi, retinendi, permutandi, quæ in præfata conſtitutione impertitur. *Declaramus, quod vos in particularibus bonis, in quibus ſuccederetis in ſæculo exiſtentes licite poteſtis ſuccedere, & bonorum ipſorum poſſeſſionem apprehendere, ac vendere libere bona ipſa, eorumque pretium in utilitatem veſtram convertere, prout vobis melius videbitur expedire*. Libera, & abſoluta bonorum diſpoſitio, poſſeſſionum ad libitum venditio, earum pretium in proprias utilitates convertere, prout in hac Bulla conceditur, hæc omnia proprietatem, & dominium involvere extra controverſiam poſitum eſt. At in *C. cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum*: *Abdicatio proprietatis adeo annexa dicitur Monachali Regulæ, ut contra eam nec Summus Pontifex valeat licentiam indulgere*. Falſiſſimum igitur eſt, Clementem IV. liberam illam, abſolutamque facultatem vendendi, diſponendi ad libitum de poſſeſſionibus, hæreditatibus, earumque pretiis, Fratribus particularibus impertitum fuiſſe: ſed eam facultatem Ordini dumtaxat in communi conceſſit. Fratres vero particulares acquirere Monaſterio hæreditatem poſſe, declaravit, juxta illud: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*.

C A P U T VI.

Documenta, quæ Pornaſius capite ſecundo ſui libelli in favorem peculiorum in Conſtitutionibus noſtris petita, profert. Interpolationibus, & violentis interpretationibus in pravum ſenſum contorquet.

I. CONVULSIS rationum momentis, quæ ad peculia Religioſorum propugnanda proprio marte ſibi effinxerat Raphael de Pornaſio, ad excutienda nunc accedimus documenta illa, quæ ex publicis Tabulis, Conſtitutionibus, ſcilicet noſtris, in medium profert. Itaque Capite ſecundo ſui tractatus ad avitam Ordinis noſtri conſuetudinem cauſſam appellat. Conſuetudinem quippe peculiorum in Ordine noſtro viguiſſe, evincere ſibi blanditur in primis ex diſtinctione prima noſtrarum Conſtitutionum *cap. 14. de Novit.* : *Tex.* 4. in quo hæc leguntur. *Omnes Fratres ſingulis annis ſemel omnia ſibi commiſſa Prioribus ſuis exponant pariter, & exhibeant, eorum diſpoſitioni re-*

lin-

Digitized by Google

linquendo. *Quicumque vero habet pecuniam, vel alia quæcumque receperit, vel habuerit, vel expenderit, vel diſpenſaverit, vel diſpenſare fecerit, reddat ſingulis annis ſuis majoribus rationem ſemel, vel pluries, ſi fuerit requiſitus*. Hoc ex Textu ſic concludit Pornaſius. „ Ex quibus, inquit, verbis omni intelligenti ſatis patere poteſt intentum „ ſcilicet fratres omnes propriam habuiſſe pecuniam.

II. Pornaſii in rebus noſtris inſcitiam ſola antiqui Textus noſtrarum Conſtitutionum lectio prodit. In codice ſiquidem Toloſano anno 1260. exarato laudatus textus hujuſmodi eſt. *Similiter omnes Fratres ſingulis annis ſemel omnia ſibi commiſſa Prioribus ſuis exponant pariter, & exbibeant, eorum diſpoſitioni relinquendo*. Nec verbum hic habetur, aut de pecunia, aut de bonis propria induſtria acquiſitis, ſed de rebus a Superioribus ſubditis ſuis commiſſis. Omnia quæ habet recentior textus a Pornaſio laudatus, poſteriore tempore addita fuerunt, & cum Pornaſius in antiquo Textu nec leve privati peculii veſtigium reperire potuerit recentes opponit conſtitutiones, quæ publicis duntaxt miniſtris pecuniæ uſum concedunt. Ut vero lectoribus ſuaderet, leges iſtas Fratribus omnibus indiſcriminatim pecunias ad peculiares ſuos uſus concedere, duos ſeparatos textus in unum permiſcet, & confundit. Et ne lector interpolationem deprehendere poſſit, textum quintum de miniſtris loquentem ideo detruncatum exhibet, ut non de Miniſtris, ſed de omnibus Religioſis loqui videatur. Ut hæc omnia liqueant, Textus ipſi ſuis numeris diſtincti, & ſignati producendi ſunt.

III. Textus IV. *Item Novitii ante profeſſionem de debitis ſe expediant, & omnia ad pedes Prioris ponant, ut ſe ex toto abſolvant. Similiter omnes Fratres ſingulis annis ſemel omnia ſibi commiſſa Prioribus ſuis exponant pariter, & exbibeant, eorum diſpoſitioni relinquendo*. Hic finem facit Textus quartus, in quo nec verbum de pecunia, ſed de illa ſupellectile Religioſorum, quam ex communi cuilibet Religioſo Prælatus impertiri tenetur, quamve Religioſi exponere ſingulis annis Prælatis ſuis, eorumque diſpoſitioni relinquere tenentur; tum ut opere palam faciant, ſe nudum illius ſupellectilis uſum habere, tum ut Prælati, ſi quid ſuperfluitatis deprehenderint, auſerre valeant; vel ſi cujuſque rei indigentiam in aliquo adverterint, proſpicere poſſint.

III. Poſt hunc Textum IV. Succedit V. omnino ſeparatus, quem cum primo confuſum, atque truncatum exhibuit Pornaſius, ut facilius ſuaderet ex Conſtitutionibus noſtris, ſingulos

Digitized by Google

Religioſos ſuas habere poſſe Crumenas. Integrum Textum deſcribo.

Textu V. *Quicunque vero Frater pecuniam vel alia quæcumque receperit, vel habuerit, vel expenderit, vel diſpenſaverit, vel diſpenſari fecerit, reddat ſingulis annis ſuis majoribus rationem ſemel vel pluries, ſi fuerit requiſitus: videlicet Magiſter Ordinis* (hæc omnia omiſit Pornaſius in rem ſuam) *Diffinitoribus Capituli Generalis, Prior Provincialis Diffinitoribus Capituli Provincialis, Prior Conventualis Priori Provinciali, vel Viſitatori. Cæteri vero Fratres* (nempe Sacriſta, Sindicus, & Capſarius) *Priori Conventuali.*

IV. In hoc Textu, in quo de pecunia ſermo eſt, de ſolis publicis Miniſtris mentionem fieri, vel ipſe Pornaſius agnovit, idcirco medietatem textus tranſcripſit, ut lectori fucum faceret; alteram vero ejuſdem Textus medietatem, qui declarat, de ea pecunia ibi ſermonem eſſe, quæ a publicis Miniſtris pro communi bono expenditur, alto ſilentio præterivit. Quod porro de ſolis Miniſtris Textus ille loquatur, audiamus ipſarum conſtitutionum gloſſam ſuper eundem textum. *Quicumque vero frater pecuniam, vel alia quæcumque receperit, vel habuerit.* „ Declaramus (inquit Gloſſa,) quod habere aliquid proprium in particulari, repugnat Religioni, ſicut ſuperius dictum eſt: habere autem aliquid in communi non minuit perfectionem Religionis . . . In Religione illa, quæ eſt ordinata ad tradenda aliis contemplata per doctrinam, & prædicationem, congruit quam maxime illa paupertas, quæ habet aliquid in communi, moderate tamen, ut poſſit ſufficere ad victum & veſtitum congruo tempore procurandum, ſicut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 188. art. 7. „ Plura alia ibi habentur ſtatuta Capitulorum Generalium, quæ eandem communitatem ſub ſeveriſſimis pœnis confirmant. Quare tum ex obvio ipſius textus ſenſu, cum ex Gloſſa colligitur, communem eſſe pecuniam illam, de qua textus loquitur, & in communi a publicis officialibus adminiſtrandam, cujus adminiſtrationis rationem, ſingulis annis, Prælatis reddere officiales tenentur. Adde laudatam recentem conſtitutionem ambiguam eſſe, & quod pecuniæ uſus, quem publicis tantum miniſtris ibi concedi ego ſum interpretatus, ad cæteros indiſcriminatim Fratres extendi poſſit; quid inde Pornaſius elicere valet, ut evincat ſub initium Ordinis duo bonorum genera Parentes noſtros habuiſſe. Quoniam in antiquo textu, ut jam dictum eſt, nec verbum de pecunia habetur. Itaque etiamſi recens conſtitutio, quæ

quæ pecuniæ meminit, involuta foret, juxta antiquum textum declaranda eſſet. Ultimo tandem ſubdo, quod non ex uno ambiguo ſtatuto, ſed ex regula ipſa, & aliis perſpicuis legibus colligenda eſt noſtræ paupertatis obligatio. Porro, cum & regula ipſa, & plures noſtræ Conſtitutiones tum antiquæ, tum recentes ad exactiſſimam communitatem peculii privati expertem nos obſtrictos eſſe declarent apertiſſime, ſolus Pornaſius ex uno ſtatuto minus clare expreſſo peculii abuſum eruere poterat. Aliud Pornaſii commentum ſuper laudatum textum IV. uno verbo explodo. Verba illius textus hæc ſunt. *Novitii ante profeſſionem de debitis ſe expediant, & omnia ad pedes Prioris ponant, ut ex toto ſe abſolvant*. Pornaſius ex his verbis hanc elicit concluſionem. „ Se abſolvant ſcilicet, ait ille, quantum ad jus, & dominium, quod in ſuis bonis habebant, quod de cætero in „ Priorem tranſit, qui tamen dabit uſum fructum eorundem, „ O argutum commentatorem! Non modo ſimplicem uſum bonorum Regulam Auguſtini, & inſtitutiones Divi Dominici profitentibus reſervatum vult, ſed inſuper uſumfructum, qui juxta omnes Juriſtas dominium indirectum, ut vocant, claudit. O felix paupertas, quæ dominium Civile, & ut vocant, directum, cupiditati parum, vel nihil deſerviens in Priorem transfert! Dominium vero utile liberam fructuum diſpoſitionem involvens, ſibi reſervat, quo poſſit cupiditati, concupiſcentiæ, cæteriſque deſideriis facere ſatis. Revera in omnibus ſuis commentis ſemper ſibi conſtat Pornaſius.

CAPUT VII.

Ad criſim revocantur alii textus, quos ex Conſtitutionibus pro ſua opinione Pornaſius allegat.

I. EODEM ſecundo capite ſui Opuſculi, alios ex Conſtitutionibus noſtris Textus producit Pornaſius, quos antequam refero, duo in memoriam revocanda occurrunt. Primum, quod conſilium Pornaſii eſt, antiquam Ordinis conſuetudinem, illorum Textuum authoritate, demonſtrare. Secundum, quod Conſtitutiones noſtræ, temporis tractu, tales ſubiere viciſſitudines, ut recentes, quas habemus, in materia præcipue paupertatis, aliquantulum differant ab antiquo, & pri-

primævo textu. Quare totus Ordo noſter pluribus in Comitiis Generalibus, maxime in ultimis Bononiæ celebratis, earundem conſtitutionum correctionem, emendationemque præcepit, quod adhuc factum non eſt. Eo hæc dicta volo, ut oſtenderem, Pornaſium ad evincendum antiquum Ordinis morem primigenium debuiſſe conſulere legum noſtrarum Textum. Quamquam neque ex ipſis textibus, quos obtrudit, quidpiam in ſui peculii favorem colligi poſſe conceſſerim. Ad majorem dumtaxat veritatis declarationem operæ pretium exiſtimavi Textus priſci, medii, & recentis ævi ob oculos ponere, germanumque ſenſum declarare. Primo itaque loco Textus a Pornaſio allegatos exſcribo, quorum primus *ex diſt.* 2. *cap.* 14. de ſtudentibus, Textu V. deſumptus eſt.

II. *Cum Frater de Provincia ad Provinciam mittitur, ſi ſimpliciter illi Provinciæ, ad quam mittitur, deputetur; libri, & alia, quæ habuit per proviſionem Ordinis ad Provinciam, de qua mittitur, vel etiam ad Conventum ſimpliciter pertinebunt. Alia vero omnia, quæ habuit, ſint illius Provinciæ, ad quam mittitur, ubicumque poſtquam aſſignatus fuerit, moriatur. Si vero ad tempus mittitur, omnes libri ejus, & res aliæ poſt ejus obitum ad Provinciam, vel Conventum, unde aſſumptus eſt, pertinebunt.*

Secundus Textus a Pornaſio loco laudato productus deſumitur ex *diſt.* 2. *cap.* 3. *tex.* 11. eſtque ſequentis tenoris. *Si vero in Provincialatu deceſſerint, libri, & omnia, quæ habebant per proviſionem Ordinis a Provincia, vel etiam ab aliquo Conventu antequam eſſent Provinciales, vel in ipſo Provincialatus officio ad Provinciam, vel ad Conventum ſimpliciter pertinebunt. Alia vero omnia, quæ habuerunt, ſint illorum Conventuum, a quibus aſſumpti fuerunt. Ea vero, quæ acquiſierunt tempore Provincialatus ad Provinciam, quorum erant Priores, ſpectabunt.*

III. Ex his duobus textibus hanc in peculii protectionem eruit Pornaſius concluſionem. „ Ex quibus, inquit, omnibus ſatis evidenter oſtenditur, quod Fratres duo genera bonorum habebant *etiam tempore conditarum Conſtitutionum*; Quædam videlicet ex proviſione Ordinis, quædam vero aliunde, ut puta ex proviſione Parentum, vel Amicorum, vel alia induſtria, vel artificio, quæſtu, vel eleemoſina, quæ aliter & aliter in obitu ipſorum dividebantur ut dictum eſt. „

IV. Si Pornaſius nobis ſuadere voluiſſet ex conſtitutionibus, quas ipſe præſto habuit, cujuſdam peculii abuſum, blandius cum ipſo agendum fuiſſet, licet neque ex eis evidenter ut ipſe ait, id col-

id colligere concedamus. Verum enim vero, quod abuſus pecuniarios, in aureum conditarum conſtitutionum tempus, primamque Sanctiſſimorum Parentum noſtrorum ætatem, refundere auſus fuerit, minime ei parcendum. Sed ipſo primævo conditarum conſtitutionum Textu veritas manifeſtanda eſt. Textus itaque primo loco a Pornaſio adductus ex *diſt. 2. cap. 14. tex. 5.* in authographo anno 1260. exarato, & in Toloſano Cœnobio aſſervato, hæc continentur. *Cum Frater de Provincia ad Provinciam ad regendum mittitur, omnes libros ſuos gloſſatos, poſtillas, biblia, & quaternos ſecum deferat, & ſi ſimpliciter illi Provinciæ, ad quam mittitur, fuerit deputatus, ipſo mortuo ad illam Provinciam pertinebunt. Alii vero omnes ſint illius Provinciæ ad quam mittitur, ſive in via, ſive in Provincia moriatur. Si vero ad tempus mittitur, omnes libri ad Provinciam, de qua ſumptus eſt, pertinebunt. Idem dicimus de miſſis de Provincia ad Provinciam non ad regendum. Non tamen portent, niſi breviarium, bibliam, & quaternos.*

V. En bona, quæ tempore conditarum conſtitutionum habebant Fratres noſtri. Percurre integrum textum, eumque lynceis oculis ſcrutare, alia bona non offendes, præter Biblia Sacra, breviarium, libros gloſſatos, quaternos, & poſtillas eorumdem bibliorum. Revolve a capite ad calcem genuinum conſtitutionum codicem a primis noſtris Parentibus conſcriptum, & cauſſa dejectum me exhibeo, ſi vel verbulum reperturus ſis, quod in privati peculii præſidium proferre valeas. Verum, ut meliori in lumine veritas conſtituatur, animadvertendum occurrit, quod licet Textus a Pornaſio allegatus, non parum ab antiquo deformis appareat; laxiorum tamen a Pornaſii tempore poſtillarum, ſeu commentariorum intruſione compactus nunc eſt. Nam poſt primam maculam, quam contraxit anno 1416. in Capitulo Generali Argentinenſi, & anno 1421. in Capitulo Generali Metenſi, ut adnotat Magiſter Generalis Fr. Vincentius Bandellus in declarationibus ad eundem textum; ſucceſſu temporis ad jurgia ſedanda, & diſſidia tollenda, quæ ſuper defunctorum Fratrum bonis in dies erumpebant, in favorem hæreditatis adeundæ lex dilatata fuit. Placet eam deſcribere, prout in conſtitutionibus ab eodem Bandello correctis, & Venetiis anno 1507. typis editis, reperitur.

VI. *Diſt. 2. Cap.* XIV. *Tex.* V. *Cum Frater de Provincia ad Provinciam mittitur ſi ſimpliciter illi Provinciæ, ad quam mittitur, deputetur, libri, & alia, quæ habuit per proviſionem Ordinis a Provincia, de qua mittitur, & etiam a Conventu, ad eandem*

dem

dem Provinciam vel Conventum ſimpliciter pertinebunt. Alia vero omnia, quæ habuit, ſint illius Provinciæ ad quam mittitur, ubicumque, poſt quam aſſignatus fuerit, moriatur. Si vero ad tempus mittitur, omnes libri ejus, & res aliæ poſt ejus obitum, etiamſi ſic, vel quomodolibet aliter eſſet intra, vel extra ſuam Provinciam ad tempus deputatus, ad ſuum Conventum Originalem, & Conventum, de quo aſſumptus fuit, æquis portionibus pertinebunt. In utroque autem caſu ſive aſſignetur ſimpliciter, ſive ad tempus Conventus, cui aſſignatus fuerit, & ipſe eidem Conventui ad ſuffragia teneatur. Si autem, ex quo alii Provinciæ aſſignatus fuerit, ipſum mori contingat, ideſt antequam certo Conventui deputetur, Prior ejuſdem Provinciæ teneatur, ne conſuetis defunctorum ſubſidiis defraudetur. Ultimam tandem paſſa eſt remiſſionem conſtitutio iſta anno 1515. in Capitulo Generali Neapolitano, & anno 1518. in Capitulo Generali Romano, & anno 1574. in Capitulo Generali Barchinonenſi, & anno 1580. in Capitulo Generali Romano: Ea ſiquidem tempeſtate deplorandum in modum laxata erat diſciplina tum Eccleſiaſtica, tum Monaſtica. Heinc juxta illorum temporum morem in laudatis Comitiis ſtatuta quædam Religioſorum cupiditati, atque proprietati coercendæ non ſatis conſentanea edita ſunt, quæ poſtea in ipſarum conſtitutionum noſtrarum Textu intruſa reperiuntur. Et quia his novis additamentis Textus ille longior evaſerat, in duos textus diviſus eſt, numero v. & vi. ſignatos, quoſque hic exhibeo.

VII. *Diſt.* 2. *Cap.* XIV. *Textus V. Bona Fratris defuncti, quo ad illa, quæ ab aliqua Provincia, vel Conventu habuit, ſint illius: quæ vero aliter acquiſivit, ſint Conventus, cujus eſt Filius. Si in alio Conventu non eſt aſſignatus in perpetuum, ſed ad tempus propter ſtudium, vel officium aliquod. Quæ vero hæreditario jure obtinuerit, vel ei obvenerunt, erunt Conventus ſui Originalis, etiamſi alterius Conventus factus ſit Filius. Si vero eſt aſſignatus in aliquo Conventu ſimpliciter, ac pro tali ibidem præſentialiter receptus, & Conventus ille conſuevit (prout tenetur) talibus de toto victu, veſtitu, & aliis hujuſmodi, tam tempore ſanitatis, quam infirmitatis: divident hæc taliter acquiſita mobilia æquis portionibus inter Conventum, in quo eſt aſſignatus, & Conventum, cujus eſt Filius. Alioquin quarta pars tantum erit Conventus, in quo ſimpliciter eſt aſſignatus: Immobilia vero non hæreditario jure obvenientia, ſemper erunt Conventus, cujus eſt Filius.*

Textus VI. In utroque autem caſu (ſive aſſignetur ſimpliciter, ſive ad tempus) Conventus, cui aſſignatus fuerit, & ipſe eidem Con-

Conventui ad ſuffragia teneatur. Si autem, ex quo alii Provinciæ aſſignatus fuerit, ipſum mori contingat, antequam certo Conventui deputetur; Prior ejuſdem Provinciæ provideat eidem de Conventu, qui ſibi ad ſuffragia teneatur, ne conſuetis defunctorum ſubſidiis defraudetur. Congruum mihi viſum eſt, hos duos textus integros referre, ut lector uno aſpectu inſpicere queat latiſſimum diſcrimen inter textum originarium priſci temporis, ubique apoſtolicam paupertatem ſpirantem, & textum medii, & recentioris ævi inſtituti noſtri non parum a primæva paupertatis diſciplina deflectentem. Ne vero dubium aliquod ſuboriri poſſit, recentes eſſe duos laudatos textus, evidens adduco argumentum ex ipſis noſtris conſtitutionibus, in quarum declarationibus ſuper eoſdem Textus lit. I. hæc reperiuntur. *Declaramus, quod hæc RECENS conſtitutio &c.*

VIII. Si aliquam plauſibilem interpretationem exciperet laudatus textus, lubens, & libens eam darem. Sed fateor tanti non ſum, ut eum omni ſaltem ex parte innocuum defendam. Minus ſiquidem conſentaneus videtur Pontificum Bullis, Divi Auguſtini Regulæ, & præcipue Tridentini decretis. Hinc eſt, quod poſteriora Capitula Generalia ad tenorem Decreti Concilii Tridentini citatum textum, intelligendum eſſe declararunt, ut manifeſte aſſeritur in gloſſis ad *tex.* XV. *diſt.* I. *cap.* 14. *lit. H.* his verbis. *Declaramus quod ſicut in Concilio Tridentino Decretum eſt, nemini regularium tam virorum, quam mulierum licet bona immobilia, vel mobilia cujuſcunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel tenere . . . quapropter in Capitulo Romano* 1589. *admonentur Fratres Ordinis noſtri, qualiter Generale Capitulum celebratum Bononiæ* 1564. *innixum decretis Sacri Concilii Tridentini incorporavit, ſive potius incorporata declaravit bona immobilia omnia, & quoſcumque annuos redditus, vel proventus quorumcunque fratrum, & undequaque illis advenientes illis Conventibus Ordinis noſtri, quibus debentur ſecundum jura, ac noſtras Conſtitutiones*. Ex quibus evidentiſſime colligitur laudatum textum huic declarationi, Tridentini authoritati innixæ, ſubjectum eſſe. Nec dubito, quin expungendus ſit in prima conſtitutionum correctione, quam proximam futuram ſpero, cum & tot Capitula Generalia maxime, ut dictum eſt, Bononienſe ultimum, & Innocentius *XI.* in ſua conſtitutione, *Cum nos alias*, ſevere eam præcipiant. Et revera nemo non videt, Novitios, alioſque rerum noſtrarum imperitos, haud poſſe ſinceram paupertatis noſtræ ima-

ginem efformare, cum audiunt & in choro, & in menſa ſuper defunctorum Fratrum bonis conditam legem, quæ tot bonorum mobilium diviſiones, tot immobilium jure hæreditario partitiones, quæ divitem indicant hæreditatem, præſcribit. Neque quis ſuccenſere mihi jure poteſt, quod Sanctiones Patrum noſtrorum traduxerim, minuſque in eaſdem obſequentem me prodam; quinimmo candorem zelumque meum fateantur oportet omnes æqui rerum æſtimatores, cum antiquorum Patrum ſanctas, incorruptaſque leges a recentioribus blandimentis vindico, atque defendo. Quod dum præſto, communi Ordinis noſtri ſenſu, & voce loquor, qui in tot Generalibus Comitiis emendationem, correctionemque conſtitutionum noſtrarum præſcribit, præcipitque.

IX. In aliqualem tamen excuſationem ejuſdem Textus dicere poſſumus, legem non eſſe vel concedentem, vel permittentem privatis Fratribus immobilium bonorum peculiarem uſum, aut poſſeſſionem; ſed legem eſſe proviſionalem, (ſi ita loqui fas eſt) nempe ſenſum illius conſtitutionis eſſe, quod facta Hypotheſi, quod talia bona mobilia, vel immobilia defuncti Fratres relinquant, hæc tali pacto dividenda ſunt. Conſtitutio non aſſerit, horum bonorum uſum fratribus licitum eſſe; ſed dato, quod contra propriæ profeſſionis debitum, illa habuerint, hæredes deſignat legitimos, modumque diviſionis præſcribit. E rebus noſtris clariſſimum ſubjicio exemplum. In Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1629. lex condita fuit, quæ inſtituendum præſcribit commune totius Ordinis depoſitum, ſeu ærarium ad univerſam Regiminis utilitatem. Fundi vero, redditusſque huic formando, augendoque ærario deſignantur in ejuſdem Capituli Ordinatione X. *Quod quidem commune totius Ordinis depoſitum formetur ex pecuniis, & bonis fratrum apud ſæculares extra Ordinem, ubicumque locorum detentis, vel negotiationi, aut lucro expoſitis, vel a Fratribus proprietariis quomodolibet in vita poſſeſſis, vel poſt eorum obitum relictis. Ex bonis etiam Fratrum extra Conventum ſine aſſignatione Provincialis commorantium, vel eorum, qui ſine licentia Magiſtri Ordinis manent extra Ordinem .... Et denique ex pecuniis tanquam ab excomunicatis, & proprietariis Fratribus poſſeſſis*. Si quis ex hoc ſtatuto colligere auderet, licitam eſſe proprietatem, negotiationem, aliaque id genus, de quibus in eo ſermo eſt, nonne deridendum, ſibilandumque ſe ſe propinaret? Idem profecto judicium ferendum eſt de his, qui ex textu: *bona Fratris defuncti*, inferunt Prædicatoribus permiſſum eſſe immobilium bonorum uſum, vel mobilium, ea in quantitate, quæ tot por-

tiones

tiones in ſucceſſores faciendas admittat. Demum tamen aſſero, cum Ordinationem Romanam, tum Ordinationes aliorum Capitulorum in hac materia minus caute ſcribarum fortaſſe oſcitantia expreſſas eſſe. Idque magis dolendum, quod Ordinationes Comitiorum, quæ Neapoli anno 1515. Barchinonæ 1574. & Romæ 1580. celebrata ſunt, in Sanctum Conſtitutionum noſtrarum Textum non abſque maximo paupertatis noſtræ damno intruſæ fuerint. Ideo omnia iſta tanquam noſtræ paupertatis profeſſioni adverſa e genuino, & primigenio legum noſtrarum textu expungenda omnino ſunt. Quod attinet ad ſecundum textum a Pornaſio productum *ex diſt.* 2. *cap.* 3. *tex.* 11. dico neque verbum haberi in antiquo Codice, ſed totum recentem eſſe, atque, ut nunc legitur, ſub initium quintidecimi ſæculi in conſtitutiones noſtras invectum fuiſſe una cum Affiliationibus, quarum ibi fit mentio, & de quibus in prima Religionis noſtræ centuria altiſſimum ſilentium, ut alibi dicetur.

X. Sed antequam huic capiti finem impono, audire lubet conclusionem, quam ex laudatis textibus Pornaſius infert. „ Ex quibus omnibus (inquit) ſatis evidenter oſtenditur, quod Fratres „ duo genera bonorum habebant, etiam tempore conditarum con„ ſtitutionum; quædam videlicet ex proviſione Ordinis; quædam „ vero aliunde. „ quot verba, tot errores. Primo tempore conditarum conſtitutionum, ut vidimus, nil aliud habebant Fratres noſtri, niſi Breviarium, Biblia, & quaternos. Ubi quæſo in antiquis codicibus vel minimum veſtigium hujus duplicis generis bonorum? Sed quid antiquos recordor codices, cum vel ipſæ recentes, quas habemus, conſtitutiones, hanc duplicem bonorum ſpeciem penitus excludant? ſiquidem in eodem ipſo Textu V. *diſt.* 2. *cap.* XIV. toties a Pornaſianis in favorem peculii allegato hæc reperiuntur. *Si vero eſt aſſignatus in aliquo Conventu . . . Et Conventus ille conſuevit, prout TENETUR, providere de toto victu, veſtitu, & aliis hujuſmodi tam tempore ſanitatis, quam infirmitatis &c.* Non ſolum igitur antiqui, ſed vel ipſi recentes codices omnia cum ſanis, tum infirmis Religioſis ſubminiſtranda eſſe a Conventu imperant: & ad hanc omnium neceſſariorum ſubminiſtrationem teneri Conventus, aſſerunt leges noſtræ. Ex laudata conſtitutione duo colligas velim: Primum, quod Conventus, ſeu Superiores Regularium, jure & naturali, & Divino ex voto conſurgente, tenentur ſubditis ſuis omnia pro victu, & veſtitu neceſſaria ſubminiſtrare, cum poſſint, ex communi patrimonio. Alterum eſt, quod ſubditi Religioſi eodem jure obſtricti ſunt, omnia

nia ſua in commune conferre. Profeſſio ſiquidem Religioſa contractus quidam eſt ſolemni ritu coram Deo, & Eccleſia peractus, in quo Religioſi profitentes ad ſuæ regulæ tenorem omnia ſua ſub Religionis Dominio conſtituunt: & Religio viciſſim obligat ſe ſe ad victus, & veſtitus ſubminiſtrationem ex communi penu impertiendam. Cum Religio, ſeu Superiores omittunt hoc debitum implere, graviſſime peccant; in Religioſis vero ſubditis in hac hypotheſi jus primarium naturæ renaſcitur, neceſſaria comparandi pro eorum alimentis. Quare in aliquibus, paucis quidem, peculii uſus neceſſarius eſſe poteſt & culpæ expers. Quoniam vero tam Superiores, quam ſubditi ad hanc auferendam neceſſitatem, vi primi ſolemnis contractus, ſeu profeſſionis Monaſticæ obſtringuntur; iccirco neceſſitas hæc plerumque voluntaria eſt, & libera, atque adeo criminis plena. Quomodo in hacce violandæ communis vitæ neceſſitate perſiſtentes, tam ſubditi, quam Superiores, & quomodo potiſſimum Superiores, qui pro viribus hanc neceſſitatem de medio non tollunt, imo occaſionem voti tranſgrediendi ingerunt, munera a ſubditis accipentes, in maximo æternæ ſalutis diſcrimine reperiantur, fuſo calamo, & pro tanti argumenti dignitate alibi palam faciam.

XI. Ordinationes aliorum Capitulorum, quas eodem ſecundo capite allegat Pornaſius in peculii præſidium, non antiquam Ordinis conſuetudiuem oſtendunt; ſed abuſus quoſdam tractu longioris temporis in Ordine ſerpentes produnt. Præterquam quod fere in omnibus iis Capitulis de codicibus, & libris Religioſorum uſui conceſſis præcipuus ſermo eſt, ut cuilibet legenti conſtare poteſt. Uſum autem librorum in Religione noſtra ſemper viguiſſe, libenter adfirmo. Utinam, & noſtra ætate vigeret; ſed uſui librorum, qui primis temporibus fratribus concedebatur, ceu præcipuum medium ad Proximi ſalutem aſſequendam, quæ finis eſt inſtituti noſtri, ſucceſſit alicubi uſus ſcrineorum, picturarum, periſtromatum, epularum, aliorumque, quæ modo commemorare non vacat.

C A-

CAPUT VIII.

Documenta, quæ ex primis Generalibus Comitiis obtrudit Pornaſius, ſuæ opinioni minime favent.

I. SUB initium tertii Capitis ſui opuſculi ultro fatetur Pornaſius, veritate ipſum, vel invitum cogente, ſibi opponi poſſe Ordinationes Capitulorum ſuo ſecundo capite laudatas tempore Religionis laxatæ, & collapſæ conditas eſſe: iccirco ad prima Ordinis Generalia comitia cauſſam ſuam revocat. Ejus verba referre placet. „ Sed quia aliquis poſſet opponere, quod iſtæ Ordinationes factæ ſunt tempore Religionis corruptæ, ſeu lapſæ, & quod non ſic erat ab initio, devotione Fratrum in vera paupertate florente, duxi oſtendendum, eandem practicam conſuetudinem, ac vivendi in paupertate modum fuiſſe.

„ Nam primo tempore, cum Fratres ſcientia, & vita, ac miraculis coruſcabant, & Ordo a viris, ſeu a Patribus Sanctiſſimis regebatur. De tempore autem, quo vivebat B. Dominicus nihil in Chronica Ordinis ſcriptum de hac materia invenio. Cujus cauſa poteſt eſſe, tum quia ipſe poſt Ordinis Confirmationem, pauco tempore vixit, tum quia pauci Fratres tempore ſuo fuerunt. Ideo de Sanctis ſucceſſoribus ſuis, ſub quibus Ordo magnam dilatationem habuit, ſunt exempla colligenda.

II. Quæ paradoxa non infarcit animus ſemel præjudiciis occupatus? quinti decimi ſæculi Diſciplinam cum Eccleſiaſticam, tum Monaſticam deformem, laxatam, corruptamque fuiſſe Hiſtorici omnes, & noſtrates, & cæteri, uno ore fatentur. Conſule ex noſtris Joannem ex curia in ſuo opuſculo de Reformatione Religioſorum, Joannem Nyderium in ſuo tractatu de Reformatione Clauſtralium; D. Antoninum 3. *par. tit.* 16. & Savonarolam. Ex extraneis Alvarum Pelagium de planctu Eccleſiæ cap. 64. Gerſonium in tractatu contra proprietarios, ſi tamen Gerſonius iſtius tractatus author eſt Dionyſium Carthuſianum de Reformatione Clauſtralium. Sed quid tempus tero, cum Hiſtorici omnes, & ipſa Concilia, non modo Provincialia, ſed etiam œcumenica deplorant illius ſæculi Regularium laxitates, avaritiam, & ſcandala? Unus Pornaſius, ut peculii ſui uſum honeſtum, licitumque

que propugnaret, auſus eſt ſuæ ætatis vivendi conſuetudinem tot abuſibus fœdatam cum rigida, ſanctiſſimaque diſciplina primi Religionis noſtræ aurei ſæculi comparare, ipſiſque Parentibus noſtris, doctrina, ſanctitate, ac miraculis, clariſſimis, peculia, divitiaſque affingere. Et quod ſatis mirari non ſubit, nihil circa paupertatis votum a Div. Patriarcha Dominico præſcriptum in chronico Ordinis, ſe reperire potuiſſe, effutit. *De tempore*, inquit, *quo vivebat B. Dominicus, nihil in Chronica Ordinis ſcriptum de hac materia invenio*. Nihil omnino ſuæ cupiditati favens; ſed plura eam diris devoventia. Quæ Sanctiſſimus Patriarcha in paupertatis evangelicæ cuſtodiam, ſervanda mandavit, capitibus 2. & 3. hujus diſſertationis dedimus; duo hic adjicere documenta ſufficiat, unum ex Bernardo Guidone depromtum, relatumque a *Jacobo Echardo Tom.* 1. *de Script. pag.* 51. Fr. Stephanus Provincialis Lombardiæ, qui ab ipſo Patriarcha habitum Religionis noſtræ ſuſcepit anno 1219., fuitque VII. teſtis juratus in proceſſu Canonizationis D. Dominici, hæc deponit. *Item dixit* (ait Bernardus Guido loco laudato,) *quod ſicut B. Dominicus amaverat paupertatem in ſe, ſic amavit eam in Fratribus ſuis: unde injunxit eis, ut vilibus veſtibus uterentur, ut in via nunquam pecuniam portarent, & hoc fecit in ſua Regula, ſeu conſtitutionibus ſcribi*. Alterum ſuppeditat Flaminius ex veteribus monumentis, hæc ſcribens in actis Divi Dominici. *In extruendo Toloſano S. Romani Cœnobio, quod primum fuiſſe Prædicatorum Ordinis Monaſterium diximus, diligentiam adhibuit, ut ad illius tamquam propoſitam omnibus formam cætera extruerentur. In quo digna memoria quædam non tacebimus. Cubicula ſingulorum (cellas vocant) ſex tantum ut eſſent pedum inſtituit, ubi fulcra lectuli ex cratibus fierent cum ſcamno ubi legere, ſcribere, ac ſtudere poſſent, ſed omnia vilia, & humilitatem, ac paupertatem indicantia. Ipſa vero cubicula eſſe aperta juſſit, ut qui intus eſſent a prætereuntibus conſpici poſſent. Locum præterea eſſe voluit in quo veſtes omnium reponerentur, quæ ut viles admodum & COMMUNES omnibus eſſe juſſit: ſic & libros, & reliqua omnia utenſilia, ne cui proprium quidquam foret, diceretur ve, HOC MEUM EST, ſed noſtrum*. Regula Divi Auguſtini, cujus omnimodam communitatem non acceptaſſe Parentes noſtros, effutit Pornaſius, tolerat ſaltem veſtes ſemel ad uſum conceſſas repeti poſſe. *Tamen ſi veſtra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis, quod poſueritis*. Divus autem Dominicus, qui, omnibus fatentibus, ſeveriorem paupertatem in Ordinem ſuum invexit, vel ipſas veſtes, & viles, & communes eſſe,

eſſe, jubet. His ſimilia plura præſto eſſent; ſed quia locis laudatis ea dedimus, ideo hic miſſa facimus. Parcius cum Pornaſio agendum eſſet, niſi omnes conatus ſuos exeruiſſet in ſcrutandis antiquis, Religionis noſtræ ſtatutis: oſcitantiæ dumtaxat, & inſcitiæ reus appareret. Verum cum cauſſam ſuam ad antiqua monumenta ſe revocare oſtentet, eaque omnia expiſcatus ſit, quæ in ſui patrocinium detorquere potuit, nullam meretur veniam, dum pervia, & manifeſta documenta peculium damnantia, ſilentio præterit.

III. Sed age: Textus, quos ex antiquis Comitiis allegat, in examen veniant. Primum ſtatutum, quod capite tertio Pornaſius in medium profert, deſumptum eſt ex Capitulo Generali Pariſienſi ſub B. Jordano celebrato anno 1234.; in quo *Ord.* 10. hæc habentur. *Item ordinamus, quod Biblia Fratri a Fratre non vendatur carius, quam ipſe emerit, & idem de aliis ſcriptis obſervetur.* „ Ex quo plane intelligitur (infert Pornaſius) quod uſque „ tunc Fratres libros, & librorum pretia poſſidebant, & mutuo „ vendebant invicem, & emebant. Non ob hoc proprietarii re„ putati. „ Ad clariorem illius Textus intelligentiam, Praxis, & conſuetudo illius temporis exponenda occurrit. Cum Ordo Prædicatorum ad proximorum ſalutem procurandam inſtitutus præcipue fuerit, cuilibet Religioſo Sacra Biblia etiam tum concedebantur, & quia abdicatis poſſeſſionibus, & redditibus extrema paupertate Cœnobia laborabant, de communi patrimonio provideri tunc ſingulis Fratribus minime poterat; idcirco candidati in ipſo Religionis ingreſſu ſimul cum veſtibus Biblia Sacra, ac Breviarium ſibi comparabant. Sic ſtatutum lego in Capitulo Bononienſi, anno præcedenti, nempe 1233. ſub eodem B. Jordano celebrato. *Ordinatione* 7. *Item volumus, quod Novitii qui tantum pecuniam habent, ut ſolutis veſtibus, poſſint de illa emere Bibliam, & Breviarium, quod ex ea de reſiduo emant.* Quoniam vero tunc temporis, arte typographica, nondum inventa, codices rariores, ideoque cariores erant, mirum videri haud debet, ſi Fratribus Provincias, Verbi Dei annunciandi cauſa, peragrantibus, licentia impertiretur ſibi invicem libros, & maxime Biblia communicandi, etiam per venditionem, & emptionem. Cum enim Frater de Provincia ad Provinciam mittebatur, ſecum Biblia deferebat, ut ex legibus noſtris colligere fas eſt, quæ Biblia ad illam, de qua recedebat, Provinciam ſpectabant. Quare, ſi vel infirmitate, vel alio impedimento ad annunciandum ſanctum Dei Verbum ineptus reddebatur, Biblia illa, vel alteri Concionatori, vel

Novi-

Novitio habitum Religionis induendo vendebantur, ut ejus pretium vel ad ſuam Provinciam remitteretur, vel in utiliores codices expenderetur. Et quia cupiditatis æſtus in aliquorum animos irrepſerat, ideo Capitulum ſtatuit, ne Biblia Fratri a Fratre carius, quam ipſe emerat, venderentur. Sic accidiſſe evincitur ex Capitulo Generaliſſimo ſub eodem B. Jordano Pariſiis celebrato anno 1236., in quo hæc habentur, ordinatione 37. *Item Fratres noſtri non faciant negotiationes librorum*. Hoc idem clarius eruitur ex Capitulo Generali Inſulis celebrato anno 1293. *Ord.* 4. *Volumus, & ordinamus, quod Fratres, qui libros, aut pecuniam a communitate Provinciæ habuerunt, & jam non ſunt habiles ad legendum vel ſtudendum in eis, ſuo Provinciali reſignent, & reddant, ut ex eis Fratribus aptis ad ſtudendum, valeat providere*.

IV. Quis nunc æquo animo Pornaſii auſus ferre valet, dum ex aliquibus prohibitionibus in tranſgreſſores latis, negotiationis, & mercaturæ, notam univerſis Fratribus impingere non erubeſcit? Ex Regula noſtra, in qua viviſſimis coloribus depicta eſt Apoſtolica bonorum communitas, deſumenda eſt noſtræ paupertatis profeſſio, non ex ſtatutis, quæ in gliſcentes abuſus in dies condi ſolent. Ex eo, quod licentia impertiebatur, Biblia, quæ Religioſo Dominicano fere ut veſtis, ac victus neceſſaria ſunt, vendendi alteri indigenti, infert Pornaſius, etiam tum temporis, Fratres omnes librorum mutuo negotiationem exercuiſſe, atque adeo peculium habuiſſe, quo poſſent equos alere, epulas parare, aliaque id genus, quæ ſuo corruptiſſimo ſæculo familiaria clauſtralibus fuiſſe, lacrimabantur viri Dei, & Sacra Concilia. Tempore quo celebratum fuit Capitulum illud Pariſienſe, ex quo textus cariorem Bibliorum venditionem vetans, deſumptus eſt, ea florebat in Ordine noſtro evangelica paupertas, ut Fratribus iter pedibus peragentibus vetitum fuerit ſecum pecuniam ferre. Dicat enim Pornaſius in quarum rerum uſum peculium illud, quod, eos poſſediſſe, ait, expendebatur; ſi vel in ipſo itinere illius uſus prohibitus erat? Sed quid plura in arbitraria commenta congero, cum ex iis, quæ ſuperioribus capitibus, ſecundo, & tertio, dicta ſunt, evidentiſſime conſtet, non ſolum Apoſtolicam communitatem, quam Auguſtiniana Regula præcipit, Ordinem noſtrum ſervaſſe, verumetiam arctiorem paupertatem poſſeſſiones vel in communi rejicientem amplexatum fuiſſe. Id dumtaxat ex antiquis documentis colligere fas eſt, pro emendis libris, qui in Religione noſtra ad animarum ſalutem inſtituta, loco ciliciorum, atque diſciplinarum habentur, aliqui-

bus

Digitized by Google

bus Fratribus, Prælatos pecuniam brevi tempore, & a publico Miniſtro expendendam conceſſiſſe. Quam tamen pecuniam in alios uſus expendi, & ab alio, quam a publico officiali, ſemper inhibitum fuit, ut ſexcentis ordinationibus noſtrorum Capitulorum evincere poſſem. Sed brevitati conſulens unicum adduco ſtatutum Capituli Generalis 1262. celebrati, in quo hæc reperiuntur *ordinat.* 7. *Item in Capitulo de Novitiis, ubi dicitur, ectum diſpoſitioni relinquendo: addatur: Nulli vero fratri detur licentia de conſervanda pecunia pro ſe, niſi pro libris, vel ſcriptis, nec ſic recepta in alios uſus expendendi*. Facultas igitur Prælatis adimitur impertiendi licentiam cuilibet fratri aſſervandi pecuniam, etiam in communi depoſito; ſed illis dumtaxat, quos ad majorem Religionis decorem, animarumque profectum, in litterarum ſtudio proficere, Prælati conſpiciunt, pecuniam retinendi pro brevi tempore, pro librorum emptione, & non pro alio uſu, licentiam concedere poſſunt. Summa igitur dementia eſt, hanc licentiam portendere ad peculium in uſus indefinitos, & abſque temporis limitatione, nullaque fratrum diſtinctione facta, expendendum. Sed nihil eſt tam Sanctum, nihil tam inviolatum, quod avara cupiditas in erronea ſenſa detorquere non valeat.

V. Secundum documentum a Pornaſio laudatum habetur in Capitulo Pariſienſi ſub Sancto Raymundo celebrato anno 1239. *Ordinatione XVI. Item Fratres noſtri proprios Currus, vel equos non habeant, nec etiam alienos in domibus ſuis detineant, niſi de licentia Magiſtri Ordinis, vel Capituli Generalis.* „ Ex quo (deducit Pornaſius) videtur, quod de licentia Magiſtri Ordinis „ habere poſſint Fratres proprios equos, & hoc quo ad uſum, „ ut ſupra de aliis reb s dictum fuit, vel ſaltem alienos ſuis „ ſumptibus de eadem licentia tenere.

VI. Vix mihi temperare valeo, quin ei fraudis, malique doli notam impingam. Quandoqu dem in eodem Capitulo, ordinatione proxime ſequenti, ideſt XVII. hæc habentur. *Item admonemus, ut Fratres Hoſpites ſecundum quod magis & minus in itinere laboraverunt, diſtinctius, & commodius procurentur. Qui autem infirmi, & debiles fuerint, ut neceſſarium habeant carnibus recreari, ſive ſint Priores, vel alii extra non exeant. Et ſi aliquando occaſione Capituli, vel neceſſitate exire contigerit, nec EQUITENT, NEC QUADRIGENT, niſi adeo gravis infirmitas ſupervenerit, quod aliter fieri ſit neceſſe*. Si D. Raymundus cum ſuo Generali Capitulo inhibet, vel ipſis infirmis, & debilibus extra Conventum carnium cibum; ſi vel occaſione ad Capitulum

Generale eundi equorum currnumque uſum prohibet *: Nec equitent nec quadrigent :* niſi in ipſo ſuſcepto itinere, *adeo gravis infirmitas ſupervenerit, quod aliter fieri ſit neceſſe* . Si in ſolo neceſſitatis extremæ eventu Sanctiſſimus Generalis, una cum ſuo Capitulo, quadrigæ uſum concedi poſſe ſtatuit, quomodo Pornaſius indiſcriminatim, hanc licentiam ſingulis fratribus impertiri poſſe, affirmare audet?

VII. Obvius igitur, germanuſque illius Ordinationis XVI. ſenſus eſt, poſſe fratres noſtros de licentia Magiſtri Ordinis, equos, curruſque habere ad deferendam annonam, ſarcinas, aliaque id genus pro communi fratrum, & Conventuum uſu, & ſuſtentatione. Si quis autem vitilitigator reponat, Capitulum dicere fratres noſtros, non Ordinem, non Conventus noſtros, quæro ego ab eo ſenſum Ordinationis IV. ejuſdem Capituli, quæ hujuſmodi eſt. *Item ſtatuimus, ut ornamenta aurea, & argentea, præter calices, Fratres noſtri non habeant, nec pannos ſericos*. Nunquid hic nomine fratrum veniunt particulares Religioſi, & non ipſa Communitas, ſeu Conventus? Nunquid ſinguli fratres aureis ornamentis, ſericiſque veſtibus interdicuntur? Sed quid in re adeo aperta immoramur? Alter vero Textus Capituli Bononienſis anno 1240. nullam cum Pornaſiano peculio connexionem habet. *Item nullus aptus, & idoneus propter defectum veſtium a receptione repellatur, ſed ſtudentes, de quorum Provinciis ſunt oriundi, prout commodius poterunt eis provideant de veſtibus; & Provinciæ illæ, ad quas pertinent, pecuniam illam ſolvere teneantur*. „ Ex „ quo ſatis apparet, inquit Raphael, tunc Fratres ſtudentes pe„ cuniam poſſediſſe, & hoc tempore vivebat Sanctus Petrus „ Martyr, qui paſſus fuit pro Chriſti nomine. „ Vellem a Pornaſio ſcire, ex quo antecedenti colligat, ſtudentes tunc pecuniarum extitiſſe poſſeſſores. Textus non ait, ſtudentes propriis pecuniis candidatis veſtes emere, ſed *prout commodius poterunt* eis veſtium proviſionem comparare præcipit: videlicet, vel curando, ut mercatores pannos credito ſubminiſtrent, vel ſi veſtium, quæ ad proprium ſunt conceſſæ uſum, aliquæ ſuperſunt, eas commodent; unico verbo, prout commodius poterunt, provideant; deinde Provinciæ, ad quas deputati ſunt candidati, illarum veſtium pretium, ſeu pecuniam vel Mercatoribus ſolvant, vel in aliarum veſtium emptione expendant. Ubi hic vel minima peculii umbra? Si Pornaſii interpretationes quidquam valerent, non Apoſtoli, non diſcipuli Chriſti Domini abſque propria crumena mundum peragraſſent. Dicitur enim *Joan*. 4. *Diſcipuli*

abie-

abierant, ut cibos emerent. Habebant ergo, colligeret Pornaſius ſua acuta logica, diſcipuli aurum, & argentum, quibus cibos compararent. Sed juxta evangelicam Hiſtoriam habebant ex communi ærario; ſicut & Patres noſtri veri Apoſtolorum imitatores habebant ex communi cellario, minime vero ex damnato particulari peculio.

CAPUT IX.

Ceteri Textus, quos Pornaſius objicit ex primis Comitiis, ut evincat, primos Parentes noſtros, non apoſtolicam ſervaſſe communitatem, ſed privatas habuiſſe pecunias, oppoſitum probant.

I. PRÆMISSO elogio in Sanctitatem, atque ſapientiam Joannis Theutonici D. Patriarchæ Dominici in generalatu tertii ſucceſſoris, progreditur Pornaſius ad oſtendendum clariſſimum hunc Generalem, pecuniarum uſum fratribus ſuis impertiiſſe. „ Tertius, inquit, ſucceſſor B. Domi„ nici fuit inſignis vitæ pariter, & ſcientiæ vir Magiſter Joan„ nes Theutonicus, utriuſque juris, & Theologiæ Doctor. „ Deinde ex Capitulo Colonienſi ſub eodem Generali celebrato anno 1244. opponit hanc Ordinationem. *Item depoſita fideliter cuſtodiantur, & nihil de ipſis accipiatur, niſi de licentia deponentis*. Rurſus. *Item nullus Frater deponat libros, vel alias res apud perſonas extraneas, ſed apud Fratres tantum*. „ Nemo autem, „ inquit Pornaſius, deponit, quod non habet. „ Digna Pornaſio deductio. Habebant ergo o Raphael in utroque jure laureatus Magiſter, fratres noſtri depoſita ea poteſtate, atque dominio, ut nihil de ipſis accipere, vel diſponere poſſent Prælati, ſeu Conventus abſque privatorum Fratrum deponentium licentia? Ex quonam fonte, rogo te, hanc hauſiſti Theologiam? Tali ne privilegio gaudet Sacrum evangelicæ paupertatis votum, ut ſine voventis voluntate, nulla de rebus ad ejuſdem voventis uſum impertitis, diſpoſitio fieri poſſit? Non amplius ſubditi a Prælatorum nutu, ſed Prælati a ſubditorum voluntate pendent? Audio reponentem non ſe, ſed ipſius Generalis Capituli Textum, hæc conceptiſſimis verbis præſcribere. *Et nihil de ipſis* (depoſitis) *accipiatur, niſi de licentia deponentis*. Hæc utique eſt illius textus ordinatio ad ſæcularium hominum pecuniam in cœnobiis no-

Digitized by Google

noſtris depoſitam cuſtodiendam, non ad Religioſorum proprietatem fovendam, præſcripta. Quod ut manifeſtius palam fiat, integram talium depoſitorum legem tranſcribere lubet, quæ habetur in libro B. Humberti de inſtructione Officialium Ordinis Prædicatorum cap. XVIII.

II. *Cuſtodia depoſitorum ſolet imponi duobus, vel tribus Fratribus diſcretis, & ſecuris, quorum quilibet debet habere unam clavim de loco depoſiti; nec aliis committere, ſed apud ſe diligenter cuſtodire. Iſti autem debent habere curam, quod locus depoſitorum ſit ita firmus, & ſecurus in omnem eventum, quod nec ab interioribus, nec ab exterioribus poſſit aliquatenus temeraria manus ad depoſitum aliquod unquam extendi. Porro in recipiendo depoſita cavere debent, ne unquam recipiant aliquod depoſitum ſine licentia ſpeciali, vel generali: nec depoſita recipiant, quæ ſecundum Conſtitutiones noſtras recipi non debent, niſi forte ex diſpenſatione Prælati expreſſe facta ſuper hoc, interdum ex cauſa. Item ſecurius eſt, quod ſemper illud, quod recipitur, recipiatur ſignatum, vel clauſum, quam aliter: quia in rebus, quæ ſunt in pondere, numero, & menſura, ſi aliter reciperentur, videretur ſecundum jura, quod periculum tranſiret ad depoſitarium, & non ad deponentem remaneret; & ideo ſi periret, poſſet agi contra depoſitarium, ſicut de commodato. Item debet in aliquo memoriali ſubſcribi, cujus ſit depoſitum, & quid inde deponens ordinaverit de reddendo ſibi, vel alii; vel quod inde ſit faciendum, ſi contingeret non repeti, vel deponentem mori. Item cavendum eſt depoſitariis, ne unquam aliquid accipiant de depoſito, nec etiam pro mutuo, ſine voluntate deponentis.* En fere ipſa laudati textus verba. In neutro loco extraneorum, vel ſæcularium expreſſa fit mentio. Sed quia conditiones additæ proprietatem, dominiumque apertiſſime produnt, ideo nemo, præter unicum Pornaſium, auderet leges iſtas ad probanda Religioſorum depoſita, allegare. Subodoratus eſt tamen & ipſe Pornaſius, laudatum textum de extraneorum depoſitis ſermonem habere; ideo, nullo interpoſito commento, alium textum fratres alloquentem, attexuit, ut primum pariter de fratrum depoſitis loqui, evincere poſſet. *Item*, inquit, *nullus frater deponat libros &c.* Quis non miretur Pornaſii bonam fidem? Sed, miſſis ejus variis commentis, dicamus, quod ex ſe evidens eſt: nimirum primum textum vetare quidquam de hominum ſæcularium depoſitis, ſine eorum voluntate, a conventu accipi poſſe, etiam cum animo reſtituendi, qui abuſus forte in aliquem irrepſerat. Secundus Textus ſimiliter alium

alium abuſum damnat: ne ſcilicet Fratres quidquam illius ſupellectilis, quæ in qualibet Apoſtolica communitate ſingulis Fratribus conceditur, apud extraneos deponant. Clariora ſunt hæc omnia, quam majori egeant explanatione. Alium Textum opponit ex Capitulo Generali anno 1254. Budæ celebrato. *Nullus Frater libros commiſſos aſſignet alicui Conventui ſpeciali in vita ſua, nec ſuper hoc licentia concedatur a Prioribus*. Librorum uſum fratribus noſtris vel ſub Ordinis initium conceſſum fuiſſe, quis eſt, qui inficietur? Sed illorum uſum, pluribus conditionibus coarctatum fuiſſe, ſupra oſtendimus, idque confirmat Capitulum Budenſe, dum vetat illos *aſſignare alicui Conventui ſpeciali in vita ſua*. Quare textus iſte Pornaſio neque in ſpeciem favet, ſed ejus peculium vitalitium damnat.

III. Textum alterum opponit ex Capitulo Generali ſub eodem B Humberto ann. 1258. celebrato apud Tholoſam. *Item fratres non emant ſibi pannum pro veſtibus, ſed per manus Veſtiarii omnibus ematur, ſive dentur veſtes de communi proviſione, ſive aliter dentur denarii pro veſtibus ſpecialiter*. „ Ex quo patet (colligit il„ le) duobus viis etiam tunc fuiſſe proviſum fratribus, videli„ cet, aut de communibus bonis, aut de datis particulariter fra„ tribus. Qui modus nunc commodius obſervatur, quo ad ve„ ſtes.. „ Commodius profecto ad proprietatem fovendam, ſed damnabilius ad paupertatis votum violandum. Suo ſe gladio jugulat Pornaſius; nam ad propugnandam peculii opinionem, textum obtrudit, qui communitatem expreſſius præſcribit, & præcipit. Quandoquidem Capitulum Generale Tholoſanum edidit ſtatutum, quod ſive a Parentibus, amicis, piiſque fidelibus; ſive a Conventu pecuniæ pro veſtitu fratrum, tunc ſumma in paupertate abſque poſſeſſionibus, & redditibus viventium, conferantur; pecuniæ iſtæ nunquam fratribus privatis concedantur, ſed publico tantum miniſtro, ſeu communi Veſtiario. *Fratres* (ait Capitulum) *non emant ſibi pannos, ſed per manus VESTIARII OMNIBUS EMATUR, ſive dentur veſtes de communi proviſione, ſive aliter dentur denarii pro veſtibus ſpecialiter*. Ideſt ſive a Conventu de communi panni ſuppeditentur, ſive a piis fidelibus pro veſtibus emendis denarii ſubminiſtrentur, nunquam induendi fratris, ſed tantum publici Miniſtri, manibus expendantur. Hunc eſſe genuinum ſenſum, clarius ex B. Humberto infra patebit.

IV. Verum quod ſatis mirari non ſubit in ſuæ de privato peculio opinionis confirmationem authoritatem affert Venerabi-

lis Humberti inſignis Ordinis noſtri Magiſtri Generalis. „ Quar-
„ tus (inquit laud. cap. 4.) ſucceſſor B. Dominici fuit devotio-
„ nis præcipuæ Magiſter Umbertus de Romanis natione Burgun-
„ dus, qui Regulam B. Auguſtini, & Conſtitutiones noſtras ſe-
„ rioſe, ac ſcientifice, devoteque expoſuit. „ Si Textus vel Capituli Budenſis, vel Capituli Tholoſani, quæ Humbertus celebravit, aliquam exciperent interpretationis difficultatem, vel æquivocationis ſpeciem, nonne ad eruendam veritatem debuiſſet Pornaſius ejuſdem Humberti commentarios in Regulam D. Auguſtini adire, ſi bona fide, & zelo veritatis cauſam ſuam egiſſet? Sed quod ille omiſit, nos ad majorem veritatis manifeſtationem, majoremque Dominicanæ paupertatis ſplendorem, promamus.

V. Venerabilis igitur Humbertus in commentariis in D. Auguſtini Regulam *capite* XIX. *quæſt.* 3. hæc habet. *Nota, quod laudabilior eſt conſuetudo Religioſorum, qui non dant certo tempore certam veſtem, utpote Tunicam unam in anno, vel cappam in duobus, & hujuſmodi, ſed dant ſecundum indigentiam. Item illa conſuetudo, quæ dat certam pecuniam certo tempore pro veſtibus, aut aliis neceſſariis cuilibet, omnino eſt reprobanda: non ſolum, quia eſt materia proprietatis, ſed quia eſt contra Regulam, quæ dicit: non pecuniam, ſed victum, & veſtitum eſſe tribuendum.* Quid ad hæc reſpondet Raphael? Verum ut os ſuum firmius obſtruatur, ea referre lubet, quæ loco laudato *capite* CX. ſcribit idemmet Umbertus. *In quibuſdam Religionibus* (ait) *maxime poſſeſſiones habentibus providetur Canonicis hoc modo: videlicet, quod detur cuilibet certa ſumma pecuniæ quolibet anno, de qua providet ſibi de veſtibus, ſicut vult. Sed hoc eſt expreſſe contra Regulam, quæ dicit ſupra: Diſtribuatur victus, & tegumentum, vel veſtimentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes. Per hujuſmodi modum æqualitatis providetur plus, & minus indigenti. Præterea hoc vel eſt PROPRIETAS, vel PROPRIETATIS ſpecies manifeſta, quorum utrumque cavendum eſt. Item per hoc datur interdum occaſio expendendi quod pro veſtibus datur, in uſus alios præter Domini voluntatem, quod furtum reputatur, & adhuc remanet eadem indigentia veſtium. Propter hoc alii hæc inconvenientia declinare volentes faciunt aliter ordinantes, quod illud, quod datur pro veſtibus Fratri, ſive de intus, ſive de foris, ſive in panno, ſive in pecunia ſervatur eidem ſub communi cuſtodia: Ita tamen, quod alii nunquam detur; ſed hoc iterum eſt contra Regulam, quæ vult omnia eſſe com-*

Digitized by Google

munia ; & infra dicit expreſſe, quod in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit præbeatur. Item hoc non caret ſpecie proprietatis. Ita enim proprietarius eſt ille, qui facit ſibi aliquid ab alio illicite ſervari; ſicut ille qui ſervat apud ſe. Propter hoc alii reprobantes hos modos, tenent. alium modum præcipue in pauperibus Religionibus, dantes licentiam ſingulis, ut ſibi provideant tempore neceſſitatis, quærendo ab amicis, vel familiaribus. Sed hoc videtur iterum reprobandum, quia ſequitur ex hoc multa inæqualitas; cum videlicet unus habet a quo requirat, alter non. Unus cum facilitate multa poteſt acquirere, alter non ſine multa difficultate. Unus invenit qui dat ei bonas veſtes, alter nonniſi viles. Præterea ex hujuſmodi ordinatione coguntur homines reſumere curam ſui, quam depoſuerant, contra illud Bernardi: Qui nobis ſemel curam veſtri commiſiſtis, quid iterum de vobis vos intromittitis? Iterum ex tali ordinatione minuitur meritum Charitatis, quæ communia anteponens, magis proficit, ſicut dicitur infra. (Hic autem relictis pertinentibus ad commune, propriis intenditur.) Propter hoc iſtis tribus modis reprobatis, ordinandum eſt apud pauperes, quod ita quæratur quidquid quæritur pro veſtibus, quod etiam in communi ponatur quidquid datur, quidquid habetur pro veſtibus, & ex uno veſtiario provideatur omnibus ſicut dicit vir Sanctus.

VI. En o Raphael ſententiam illius Judicis, ad cujus Tribunal cauſſam appellaſti, cuius ſanctitatem, ſapientiam, illibatamque æquitatem ſummis laudibus extuliſti! En quanta efficacia, quot diſtinctionibus, quantaque claritate paradoxa, ſtrumas, gerras, omniaque ſophiſmata, quibus obſcurare conatus es Apoſtolicam communitatem, explodat, reprobetque! Sed audiamus iterum doctiſſimum Generalem, qui poſt adornatos in univerſam D. Auguſtini Regulam commentarios, trium votorum explanationem pietate, atque efficaciſſimis adhortationibus refertam, compoſuit. Porro *de abdicatione proprietatis cap.* xv. hæc ſcribit. *Ad aliam obſervantiam regularem manum mittamus, ut qualiter ſine proprio vivere debeamus, doceamur. Igitur ex primitivæ Eccleſiæ perfectione diſcere poteritis, quod habere CUNCTA COMMUNIA debeatis. Creaturæ id nobis indicant in communicando, quod habent, & invicem ſeſe donant. Mutuo quoque ſibi ſerviunt membra corporis COMMUNITATEM rerum indicantia per hoc nobis.* Et cap. xvi. *Abdicationem rerum Chriſtus nos de ſuo exemplo docuit. B. Dominicus nobis moriens hoc legavit. Scriptura quoque Sacra idem figuris multiplicibus demonſtravit. Nam crucifi-*

gen-

gendus Chriſtus veſtibus ſuis ſpoliatur, per quod nobis quam nudos rerum omnium proprietate nos eſſe conveniat, declaratur.

VII. Tandem, miſſis pluribus, quæ in paupertatis, & communitatis commendationem ediſſerit, cap. XVIII. concludit. *Quamvis enim nobis neceſſaria habere liceat in COMMUNI; nullus tamen QUICQUAM habeat in ſpeciali*. Dicat nunc, velim, Pornaſius, ubinam ſint illa duo bonorum genera, alia ex communi proviſione Ordinis, alia vel ex amicorum, parentumque, aut quæſtu, & artificio comparata, quæ poſſediſſe majores noſtros, vel ſub ipſum Ordinis initium, aſſerit. Quintus Ordinis noſtri Generalis doctrina, zelo, & ſanctitate, per illum etiam conſpicuus, omnia communia fuiſſe teſtatur. Hanc communitatem, non modo Regula, & Scripturam ſanctam, ſed vel ipſas creaturas nos edocere teſtatur. Pornaſius vero communitatem tanquam humanæ ſocietati, & publicæ tranquillitati infeſtam, atque ceu rixarum, diſſenſionum, & jurgiorum fomentum, reſpuendam; (quia. *Qui ponit commune, ponit litem*) cum idololatra Ariſtotele ſcripturivit. Humbertus aſſerit, quod nobis neceſſaria habere liceat in communi: *Nullus tamen quidquam habeat in ſpeciali*. Ille vero non modo aliquid Parentes noſtros habuiſſe teſtatur, & habere ſucceſſores poſſe in ſpeciali; verum etiam multa bona, *quæ aliter, & aliter in eorum obitu dividebantur*. Hæc, quæ nos produximus, documenta verſare debuiſſet Pornaſius, ut veram Ordinis Prædicatorum paupertatis imaginem depingere valeret. Verum fallor ipſe; ut pecuniæ uſum licitum eſſe Monachis ſuaderet, non Regulas Monachales, non genuinos commentarios eaſdem Regulas explanantes; ſed prohibitiones quaſdam in tranſgreſſores, & ad tollendos abuſus in dies gliſcentes, latas, ſcrutari, e re ſua erat, & in arbitrarium ſenſum, etiam reluctantes detorquere.

CA-

CAPUT X.

Exploditur fabula de ſexaginta ſcutis aureis vel argenteis, quæ Divum Thomam ad ſuos privatos uſus habuiſſe in Pornaſii libello aſſeritur. Corriguntur quoque alii ſcriptores hac in re aberrantes.

I. PORNASIUM, ſive Pornaſiani opuſculi editores haudquaquam puduit ipſi Divo Thomæ aureorum ſummam affingere. Siquidem in libello Pornaſii edito 1686., quemve ipſe legi in Bibliotheca inſignis Cœnobii Brixienſis S. Dominici, hæc de Sancto Thoma inſerta fuere. *Imo de Sancto Thoma dicitur, ipſum habuiſſe in capſa communis depoſiti, dum viveret ſexaginta ſcuta aurea, vel argentea, ibi poſt obitum ſuum a ſuperiore Conventus inventa.* Hactenus Pornaſius capite tertio. Fabula hæc uſque adeo invaluit, ut ipſe ſæpius audierim, non infimi ſubſellii viros, ſed Bacchalaureos, & Magiſtros talia obtrudentes. D. Thomas noſter, quanquam Sanctitate conſpicuus, ſuum, & non parvulum peculium privatum habuit: Quid ni ergo, & nobis licitum illud erit? Hæc audientem, ſi motum me negem certe mentiar; imo me ſummopere commotum fateor. Et jam tum firmiter propoſui, impoſturam hanc, cum primum per otium liceret, diſpellere. Urgebatque conſilium meum, quod viderem a ſenibus Magiſtris errorem juvenes perdiſcere, & iſtius fabellæ narratione ſcandalum maximum in poſteros propagari. Ecquis enimvero Monachorum Religioni ſibi vertere poterit, peculium habere, dum pro certo tenet, & Divum Thomam, & Beatum Albertum Magnum illud habuiſſe. Et quanquam Pornaſius, nullo producto documento, ſed ſola ſua audacia ſultus, merces iſtas divendat; attamen, quia cupiditati favent, nulla adhibita criſi, libenter ſuſcipiuntur. Itaque cum ad aſſerendam Aquinatis Sanctitatem, tum ad præcavendum, auferendumque offendiculum illud, quod ex hac anili narratiuncula in imperitos derivatur, eam pro meritis expendendam, hoc in capite cenſui. Quod priuſquam præſto, de more verba Pornaſii tranſcribo ex capite tertio ſui tractatus, ubi hæc habentur. „ Et hujuſmodi tempore vivebant illa duo luminaria ma„ gna in ſcientia pariter, & vita Magiſter Albertus Magnus, „ & Sanctus Thomas de Aquino, de quibus indubie tenendum

„ eſt, quod ſi judicaſſent, hunc modum vivendi eſſe proprietarium, nec ipſi ſic vixiſſent, nec alios Fratres ſic vivere permiſiſſent. *Imo de Sancto Thoma dicitur, ipſum babuiſſe in capſa communis depoſiti, dum viveret, ſexaginta ſcuta aurea, vel argentea ibi poſt ſuum obitum a Superiore inventa*. Uſque igitur ad eorum florida tempora de hac materia per exempla, & ſtatuta ſcripſiſſe ſufficere debet cuilibet ſolidæ, & non ad vitium ſcrupuloſæ conſcientiæ. Per quæ omnia bene inſpecta, ac conſiderata, patere poteſt, quod modus qui nunc tenetur in ordine fuit etiam ab initio ordinis practicatus, & nequaquam tanquam proprietarius reprobatus. „

II. Iſthic primum omnium, lectorem admonere ſummopere intereſſe cenſeo, nec verbum illius integræ periochæ, videlicet; *imo de Sancto Thoma dicitur &c.* Haberi, aut in editione beneventana aut in veneta. Sed tota quanta eſt inſerta fuit clandeſtinæ editioni, quæ, ut ſupra indicavi, Romæ anno 1686. prodiit. Quod ſane vehemens ſuſpicandi fundamentum præbet, primum iſtius enormis impoſturæ fabrum, non Pornaſium, ſed quempiam ex ejus gregalibus fuiſſe. Quicumque tamen ſpurii fœtus parens fuerit, parum refert, cum certum ſit, purum, putumque eſſe mendacium effronti temeritate evulgatum. Quandoquidem quæro a Pornaſio, qui duo ſæcula vixit poſt Sanctum Thomam, qua ratione, qua authoritate factum iſtud natalitiis tenebris dignum in lucem emiſerit? De Sancto Thoma dicitur habuiſſe ſexaginta ſcuta aurea vel argentea? A quo dicitur. Quem Teſtem, quodnam documentum prodis? Quis adſeruit ſcuta illa fuiſſe aurea? quis argentea? hæc omnia certis monumentis confirmanda fuiſſent. Et Pornaſius, ſive illius aſſeclæ, non rationem quampiam, non traditionem, non authoritatem, non denique vel leviſſimam conjecturam in tantæ rei confirmationem produxerunt. Sed quam rationem, quam conjecturam allegare poterant ad probandum id, quod & diſciplinæ primi Ordinis noſtri ſæculi, & Divi Thomæ Doctrinæ, & Sanctitati aliiſque clariſſimis documentis evidentiſſime repugnat? Et quod ſpectat ad diſciplinam illius temporis, certum eſt, ſeveriſſimam fuiſſe in omnium Conſtitutionum, & Regulæ obſervantia, ſed potiſſimum in evangelicæ paupertatis cultu, quæ primum eſt, ut paſſim habet Angelicus, Chriſtianæ, & Monaſticæ perfectionis fundamentum. Ut ex tota hac diſſertatione conſtat, talem primi Ordinis noſtri Parentes obſervarunt paupertatem, ut nec in via pecuniam deferrent; ſed oſtiatim panem emendicabant. B. Humbertus quintus Magiſter Genera-

neralis, ſub quo vixit Angelicus, quæcumque nummorum depoſita damnat, ceu voto paupertatis in Regula Divi Auguſtini præſcriptæ, inimica, & proprietatis vitio infecta. Ait enim in citatis commentariis cap. cx. *Propter hoc alii hæc inconvenientia vitare volentes faciunt aliter ordinantes, quod illud, quod datur Fratri ſive in panno, ſive in pecunia, ſervatur eidem ſub* COMMUNI CUSTODIA; *ita tamen, quod aliis nunquam detur. Sed hoc iterum eſt contra regulam, quæ vult omnia eſſe communia, & infra dicit expreſſe, quod in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit præbeatur. Item hoc non caret ſpecie proprietatis, ita enim proprietarius eſt ille, qui facit ſibi aliquid ab alio illicite ſervari, ſicut ille, qui ſervat apud ſe.* Nonne ex his, ut plurima alia, quæ adſerre poſſem, omittam, manifeſte patet fabulam Pornaſianam Diſciplinæ, primi ſæculi Religionis noſtræ, repugnare?

III. Porro ut evincam quam adverſa ſit Divi Thomæ Doctrinæ, ſatis eſt referre, quæ ſcribit ipſe Angelicus opuſculo xix. cap. 6. inquit enim: *Nuper autem, quod eſt horribilius, antiquus error renovatus eſt ab his, qui fidem defendere videbantur, qui more errantium in pejus procedentes non ſunt contenti divitias paupertati æquare, ut Jovinianus, vel divitias paupertati præferre, ut Vigilantius . . . Aſſerunt etiam paupertatem laudari in Scriptura non actualem, qua aliquis ſe rebus temporalibus expoliat, ſed habitualem, qua aliquis rem temporalem contemnit corde, etſi re poſſideat.* Talem effingit Pornaſius in D. Thoma paupertatem. Siquidem duo bonorum genera illum habuiſſe ait: alia ab Ordine ſuppeditata, alia nempe ſexaginta ſcuta aurea propria induſtria comparata, quæ corde contemnebat. Quid reſpondet Vir Sanctus? *Ad deſtructionem*, ait, *hujus erroris . . . aſſumatur primo illud, quod dicitur Mat.* 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, &c. Sed ille, qui ſua vendit, non ſolum habitualem paupertatem eligit, ſed etiam actualem; ergo actualis paupertas ad evangelicam perfectionem pertinet.*

IV. Quomodo autem cum actuali paupertate, quam in Religioſo requirit Angelicus ſexaginta aureorum ſumma componi valeat, viderit Pornaſius. *Item eum* (addit Aquinas eodem loco) *qui vacat contemplationi divinæ magis oportet eſſe a rebus mundanis liberum, quam eos, qui contemplationi philoſophiæ vacabant: Sed Philoſophi, ut libere philoſophiæ vacarent, laudabiliter mundi ſubſtantiam abjecerunt; unde Hieron. dicit ad Paulinum Presbyterum de inſtitutione Monachorum: Crates ille Thebanus homo quondam ditiſſimus, cum ad philoſophandum Athenas*

pergeret, magnum auri pondus abjecit : Nec putavit ſe poſſe, & virtutes ſimul, & divitias poſſidere : ergo multo magis ad vacandum contemplationi Divinæ laudabile eſt OMNIA ſua relinquere. Si Thomas extollit Ethnicum aurum projicientem, ut Philoſophiæ vacet, an ipſe aurum ſervabit, ut nudum Chriſtum ſequatur? Dicat velim in quem finem aurum illud adſervabat? Si aſſeris, ut ſibi de neceſſariis provideret, audi ipſum te redarguentem : *cap. laud. Ad* 19. *dicendum, quod ille, qui dimiſſis omnibus propter Chriſtum, ſpem habet, ut ſuſtentetur a Deo, neque præſumtuoſus eſt, neque Deum tentat. Talem autem fiduciam debent habere de Deo pauperes Chriſti, & præcipue Prædicatores veritatis, unde gloſſa ſuper illud Luc.* 10. *nolite portare ſaculum &c. Tanta Prædicatori debet eſſe fiducia in Deo, ut præſentis vitæ ſumptus, etſi non provideat, tamen ſibi non defecturos certiſſime ſciat; ne dum mens occupatur ad temporalia, minus prædicet æterna. Imo magis Deum tentaret, niſi iſtam fiduciam haberet*; 1. *Cor.* 10. *neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt dicentes, nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* Alia plura habet hoc de argumento toto illo *opuſ.* & 22. *quæſt.* 186. *ar.* 3., & *quæſt.* 188. *art.* 7. & ſexcentis aliis in locis.

V. Poſtremo tum ex diſciplina illius temporis, quam ex Doctrina Aquinatis colligitur, privatum aureorum uſum nullo modo poſſe cum eximia ejuſdem Angelici Præceptoris Sanctitate conciliari. Quandoquidem ſi ſexaginta aureos habuiſſet in communi capſa, ita ſibi appropriatos, ut, illo etiam a Cœnobio diſcedente, & ad Concilium Lugdunenſe proficiſcente, in alios communes uſus non expenderentur; quis illum a vitio proprietatis abſolveret? Beatus Humbertus ejuſdem Angelici Magiſter Generalis tanquam voti paupertatis tranſgreſſores damnat Religioſos omnes ſub Regula Auguſtiniana viventes, qui pecuniam vel ſub communi cuſtodia adſervant. Divus Thomas ipſe ut ludicram deteſtatur paupertatem illorum Regularium, qui reipſa pecuniis abundant, eas tamen animo ſpernere ſe jactant. Quod ſi tunc temporis cuicunque Religioſo ejuſmodi depoſita prohibita erant; anne eadem habebant illi, qui ſanctitate eminebant, qui paupertate in gradu ſummo, & ut dicitur, heroico fulgebant? Quod de Sancto Thoma omnes illius Biographi adfirmant. Quid plura? Hæc aureorum ſumma non modo ſanctum virum dedecet, non modo Religioſum voto paupertatis obſtrictum, proprietarium oſtendit; ſed vel ipſum de mundo hominem lacera veſte incedentem, & oſtiatim panem quæritantem, deteſtabilis ava-

avaritiæ, atque Hypocriſis reum damnaret, ſi tot aureos in ſcrinio ſibi ipſi adſervaret. Ut denique veritas undequaque emicet, documenta etiam ex authenticis tabulis petita, producere lubet. Ex quo enim impoſturam iſtam audivimus, antiqua rerum noſtrarum monumenta revolvimus, ut illud ſaltem, quod fabricandæ fabellæ occaſionem dederit, aſſequeremur. Votis noſtris propitia ſors arriſit. Aſſerunt itaque Nummicolæ, D. Thomam peculium ſuum conflaſſe ex proventu Cathedræ, quam Neapoli moderabatur. Hanc vero calumniam propulſat, vel ipſum regium diploma, in quo ſtipendium ſolvi mandatur, non ipſi D. Thomæ Aquinati, ſed ſui Conventus Priori, vel ejuſdem nuntio, ſeu procuratori, vel Syndico, ut vocant. In rem meam fore arbitror, ipſum regium diploma iſthuc tranſcribere, cujus authographum ſervatur Neapoli in Archivio publico, ut etiam Topus in ſua *Biblioth. Neapol. pag.* 290. refert. Et P. Magiſter Aquarius in ſuo tractatu de ſignificatione terminorum *lit.* Z. integrum diploma inſertum habet, eſtque tenoris ſequentis.

VI. *In Regeſto Caroli Primi* 1274. *folio primo. Cum Religioſus vir Fr. Thomas de Aquino dilectus noſter apud Neapolim in Theologia legere debeat; Nos volentes ſibi exhibere ſubſidium in expenſis, & propter hoc de una uncia aurei ponderis generalis pro qualibet menſe quandiu ibidem legerit, ſibi provideri velimus, fidelitati veſtræ ſub pœna dupli quantitatis ipſius præcipiendo mandamus, quatenus ad requiſitionem Prioris fratrum ejuſdem Ordinis in Neapoli, vel certi nuntii ejus de prædicta uncia auri ad generale pondus ſingulis menſibus donec idem Fr. Thomas ibidem legerit prædicto Priori, vel ejus certo nuncio pro eodem per dobanarios, de proventibus dobanæ, quam anno præſenti primæ indictionis exercent, quæ ſunt & erunt, per manus eorum ſine difficultate qualibet ſatisfieri faciatis, recepturi præſentes litteras, & de his, quæ dederitis idoneas apodiſſas, non obſtante mandato aliquo vobis facto, per quod effectus præſentium impediri valent, vel differri ſcituri, quod ſi dilationem, vel defectum ultra debitum commiſeritis in executione præſentium, præter dictam pœnam dupli, quam a vobis extorqueri infallibiliter faciemus, indignationem noſtram exinde incurretis. Datum Neapoli Menſ. Octobris* 16. *ejuſdem anni.*

Concordat præſens copia cum originali proprio de verbo ad verbum. In cujus rei fidem infraſcriptus Magnificus Regius Archivarius manu propria ſe ſubſcripſit, ac ſigillo, quo uti conſuevit, præſentem copiam munivit die 14. *Julii* 1591.

Joſeph Grimaldus regius Archivarius.

Quam-

Quamvis diploma iſtud inſertum habeatur in regeſto anni 1274. *lit. B. in Arch. R. Z.* ut animadvertit laudatus Topus ; datum tamen fuit anno præcedenti, ut patet ex indictione prima in diplomate enunciata, quæ reſpondet anno 1273. Si hæc documenta perſpecta fuiſſent Pornaſio, auſus fortaſſe non eſſet primis Patribus noſtris imponere, quod duo bonorum genera habuerint : Primum ex proviſione Ordinis, alterum ex prædicatione, vel lectione acquiſitum. Quoniam evidenter colligitur, quod ſtipendium aſſignatum D. Thomæ pro ſua lectione Theologica, non illi, ſed vel Priori, vel Procuratori ejuſdem Conventus conferebatur in communi omnium Religioſorum utilitatem.

VII. Fr. Michael Zanardus in ſua *ſecunda parte partis ſecundæ directorii Theologorum cap.* XIV. de libro in quinternum, ut ajunt, potiorem opellæ Pornaſianæ partem tranſcribit. Mos iſte plurium eſt ſimilium Caſuiſtarum, quibus indulgentiæ aliquid tribuendum foret, ſi optimorum ſaltem plagiarii Doctorum effici conarentur, atque ſi plagia bonarum mercium committerent. Sed contrariæ prorſus inſiſtunt viæ. Ex pluribus *Vitiorum ſummulis*, quas vocant, ea omnia expillant, quæ magis conſentanea ſunt cupiditati, eaque convaſant in novam, quam conflant, peccatorum ſummulam. Quæ volumina non pauca, utpote inutilia bibliothecarum pondera, & morum integritati adverſa, cur flammis non devoveantur, ignoro? Abſit, ut hæc de tot bonis, optimiſque ſummiſtis intelligantur. An zelus jure & merito exardeſcat, audias velim, Zanardi auſum, qui gubernatorem ſe conſtituit, ut e naufragio ſuos eripiat conſodales. Sic enim ſcribit loco laudato *pag.* 74. *Ad hoc, ut naufragantibus conſcientiis multorum mei Ordinis conſulam*. Deinde omnes Raphaelis de Pornaſio contritas tabulas, ſodalibus ſuis porrigit ; verum niſi ſolidiores anchoras exhibuerit, naufragium haudquaquam evadent. Neque audaciam mireris, quod non erubeſcat multos ſui Ordinis Socios traducere, cum pejora de ipſo Sanctiſſimo Doctore Thoma Aquinate proferat, & doctrinam a Concilio Tridentino, & Pontificum Bullis proſcriptam, defendat. *Ergo (* inquit pag. 77.*) Superiores poſſunt concedere licentiam ſuis ſubditis, ut habeant proprios equos, & currus, ideſt, appropriatos. Unde & D. Thomas mulam habuit, quæ ſimul cum eo mortua eſt; & habuit depoſitum triginta aureorum, & in hoc tempore etiam vivebat Sanctus Petrus Martyr*. En quam verum ſit proletariis iſtis librariis ſatis minime eſſe aliorum vana commenta tranſcribere, niſi etiam ineptiora de proprio fundo ſuperaddant. Pornaſius ſexaginta aureorum pecu-

peculium habuiſſe, ait, D. Thomam. Zanardus tranſcribit dimidiam tantum aureorum partem, & inſuper mulam, cujus non meminerat Pornaſius, poſſediſſe teſtatur eundem D. Thomam & quod hæc mula ſimul cum illo e vivis exceſſerit. Conſtitutiones noſtræ, & omnia Generalia Capitula tanta præcipiunt ſeveritate, ut itinera pedibus peragantur, quod neque cauſſa eundi ad Capitulum Generale equorum, vel curruum uſum concedant aliqua infirmitate laborantibus, ſicut capite ſuperiore oſtenſum eſt contra Pornaſium. Non ſolum Divus Thomas, Divus Petrus Martyr, ceterique illius ætatis Sancti, pedites itinera conficiebant, verum etiam omnes fratres, qui tanta Sanctitate non eminebant, ut omnes noſtrates Hiſtorici teſtantur. Scimus, D. Thomam tibiæ incommodo laboraſſe. Pontificis præcepto Lugdunum petere adactum, non negamus, eum, læſa tibia, mulæ inſidentem iter inſtituiſſe; an propterea pronunciare abſolute debes, mulam propriam habuiſſe, & triginta aureorum depoſitum conſervaſſe? Quod putidiſſimum mendacium eſt, & Divi Thomæ Sanctitati quam maxime probroſum. Ex his ne anilibus fabellis inferre audes, Prælatos Ordinis Prædicatorum poſſe ſuis ſubditis licentiam dare, *ut habeant proprios equos, & currus, ideſt appropriatos*? Hac phraſi, a Pornaſio mutuata, paupertatis votum eludere contendis? Incedant mendicantes Fratres equis, & curribus: eos alant & nutriant: id dumtaxat cavendum, ne dicantur *proprii*, quoniam tunc voti tranſgreſſores haberentur: dicantur *appropriati*, & iſtius variatæ voculæ beneficio, non modo Monaſticæ, verum etiam arctioris mendicantium paupertatis obſervatores efficiuntur. Judicet nunc prudens lector, an hæc referri queant, quin zelus accendatur, non in miſeros ſcriptores, quorum fragilitati, & inſcitiæ compatiendum eſt, ſed ne lectores minus periti ab his impoſturis decipiantur. Hac enim unica ratione caritas Chriſti urget nos, & ſtylum, opportuno tempore, acuere, & vocem extollere; ut ſcilicet ad evitanda ſcandala, æternamque ruinam oſcitantes excitemus; minime vero ut proximi noſtri errata malo animo, quod Deus avertat, manifeſtemus. Sed hanc illuſoriam verborum diverſitatem tanquam ſacrilegæ proprietatis technam convellit Dionyſius Carthuſianus *de reformatione cap. 13. Si vero quis Religioſus peculium habens reſpondeat, ſe non habere proprium, ſed APPROPRIATUM, dicendum eſt, quod etiam appropriatio talis eſt vere illicita, & voto paupertatis repugnans. Intentioni quoque Sanctorum Patrum, qui Ordines inſtituerunt,*

runt, contraria, & multorum vitiorum occaſio, ac ſpiritualem profectum vehementer impediens.

VIII. Ex his omnibus colligitur P. Julium Baudinum in ſua, de vita communi Regularium, diſſertatione Canonica, plurium Caſuiſtarum methodo morem geſſiſſe, dum *cap.* 3. *pag.* 37. *nu.* 5. hæc ſcribebat: *His addi poteſt, quod inclytus Ordo Prædicatorum cum privato illo Religioſorum peculio incœpiſſe videtur. Etenim illud conceſſit B. Jordanus primus Sancti Dominici in Generalatu ſucceſſor, & Sanctus Raymundus de Pennafort ſecundus ſucceſſor, ut teſtatur Magiſter Raphael de proprio non habendo cap.* 3., *in quo concludit, quod idipſum conceſſit Joannes de Vercellis, quintus poſt S. Dominicum Generalis eo tempore, quo vivebant illa duo Eccleſiæ luminaria magna Albertus Magnus, & Sanctus Thomas, de quibus indubie tenendum eſt, quod ſi judicaſſent hunc modum vivendi non congruere voto paupertatis, nec ipſi illum tenuiſſent, nec teneri ab aliis permiſiſſent.* Plura hic dicenda forent adverſus iſtum nullius frontis plagiarium, blaterantem Prædicatorum Ordinem cum privato peculio in lucem prodiiſſe. Verum confutato Pornaſio, nil contra Baudinum Pornaſii tranſcriptorem, dicendum ſupereſt. Nihil quippe novi auctor iſte in medium promit, præter ſuam fidem leviſſimam in exſcribendo, ſine ullo delectu, quæ edita reperiit. Quemadmodum fecit alter Baudini conſodalis anonymus qui authoritatem Pornaſii oppoſuit Bernardo Vaneſpen, qui *reflexione ſecunda ad vindicias diſſert. Canon.* pag. mihi 127. de Pornaſio fabulæ inventore hæc ſcribit. *Sed audio ſuſſurantem ex hoc auctore (* Pornaſio *:) conſtat Sanctum Tomam Aquinatem habuiſſe peculium. Immo vero (* reſpondet Vaneſpen *) tam authentice illud ex hoc auctore, qui centum, & amplius annis vixit poſt Sanctum Thomam probatur, quam fabella de Joanne Papiſſa ex Martino Polono*, ſeu ex impoſtore (ut obiter dicam) qui ad marginem codicis Martini Poloni fabulam attexuit; quæve tractu temporis in textum irrepſit, ut erudite oſtendit Jacobus Echard in aureo opuſculo inſcripto*: Summa D. Thomæ ſuo auctori vindicata.*

IX. Hæc in Divi Thomæ defenſionem dicta ſufficiant. Quid porro dicendum de Beato Alberto Magno, cui pariter privatum peculium Pornaſius attribuit? Et biographi omnes iſtius Sancti viri acta ſcribentes adfirmant, tanto eum evangelicæ paupertatis ardore flagraſſe, ut quæ in uno cœnobio ſcriberet, alio proficiſcens ſecum transferre, ſuæ paupertati minime duceret conſentaneum. Quid de invicto Chriſti Martyre Petro dicam,
quid

Digitized by Google

quid de Divo Raymundo, ceteriſque primis Ordinis noſtri Parentibus, a Pornaſio, in paupertatis materie, ſimiliter traductis? Dicam paucis, e re maxima univerſi Ordinis noſtri eſſe, ut Pornaſii libellus ſeveriſſimis cenſuris proſcribatur. Quoniam, cum ſit Generali Magiſtro dicatus, niſi prohibeatur, approbatus præſumi poteſt; & hinc anſam plures arriperent objectandi, quod Ordo noſter eos libros ſuſcipiat, qui, præ omnibus laxiſſimis Caſuiſtis, pejora docent. Itaque ſi comitia noſtra Generalia merito cenſuras inuſſerunt libris illis, quos judicarunt ſententias Divi Thomæ menti adverſas continere, quanquam neque ad fidem, neque ad mores ſpectantes: nonne potiore jure flammis conſecrare debent impudentiſſimum Pornaſii libellum, qui non modo Divi Thomæ Doctrinæ apertiſſime contradicit; ſed ipſum Sanctum Doctorem alioſque Divos noſtros, de vitio proprietatis, quantum per ipſum licet, ſuſpectos exhibet, quive univerſo Ordini tenebras offundit, atque diſciplinæ noſtræ diruendæ, moribuſque laxandis viam aperit latiſſimam?

CAPUT XI.

Vera Dominicanæ paupertatis notio. Hiſtorica depoſitorum narratio, & conditiones, quibus in Ordine noſtro permiſſa interdum fuerunt, deſcribuntur. Peculia, quæ alicubi hac noſtra ætate ſerpunt, vi ipſarum legum depoſita permittentium proprietatis vitio infectæ ſunt.

I. PAUPERTAS evangelica ſuapte natura indefinita eſt, pluresque excipit gradus. Ut ſolemnis voti monaſtici congrua materies conſtituatur certis limitibus circumſcribi debet. Quoniam nemo ſana mente præditus rem, aut incertam, aut indefinitam vovet; ſtulta enim foret talis promiſſio; ſed ea ipſa voluntate, qua votum Deo nuncupat, victimam quoque, ſeu materiam, quam illi ſpondet, ſuis terminis circumdat. Nullus itaque Regularium vovet paupertatem ſecundum univerſam ſuam amplitudinem conſideratam, ſed certo gradu limitatam. Ut vero confuſio auferatur, cujuſque privati Religioſi minime eſt, hunc paupertatis gradum ſtatuere, amplificare, aut reſtringere; ſed quilibet Ordo ſuam habet Regulam, quæ determinatam paupertatem in profeſſione Monaſtica Deo promittendam;

præſcribit. Porro Ordo Prædicatorum eam paupertatem Deo vovet, quam Regula Divi Auguſtini ſervari mandat. Hæc autem Regula, non aliam paupertatem præcipit, quam omnium bonorum perfectam communionem, ut cuique manifeſtum eſt. Hæc omnia pluribus in locis Conſtitutiones noſtræ clare teſtantur. *Diſt.* 1. *cap.* 14. *in gloſſ. ad Tex.* III. *lit. D.* hæc habentur. „ *ſine proprio* „ *vivere* : declaramus quod tam novitii, quam alii Fratres de„ bent ſine proprio vivere, ſicut *mandatur in Regula*, ubi dici„ tur : *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia com*„ *munia*. „ In explicatione vero prologi in gloſſis ad textum primum ipſius perfectæ communitatis præceptum in Auguſtiniana Regula contentum ſumma diligentia obſervandum mandant his verbis. *Ad communitatem autem rerum ex ipſius Regulæ præcepto adſtringimur. Et ideo circa unitatem cordium, & communitatem rerum magna diligentia adhibenda eſt* : Deinde eadem diſtinctione prima *cap.* XIII. *Tex.* II. tanquam rem certam, & extra controverſiam poſitam ſtatuunt; Alumnos Ordinis Prædicatorum reipſa vovere communem vitam, cum vovent paupertatem, his verbis. *Verum tamen antequam ſtabilitatem, & COMMUNEM VITAM promittant, & obedientiam Prælato, & ſucceſſoribus ſuis faciant, tempus probationis aſſignetur*. Tandem, ne quis unquam privati peculii abuſum de proprietatis crimine purgare aliqua conſuetudinis larva auderet, vel contrarium morem, ſeu praxim obtrudere poſſet, hæc decernunt, ac præcipiunt laudata *diſt.* 1. *cap.* XIV. *Tex.* 10. *Mandamus autem ſub pœna abſolutionis ab officio, & gravioris culpæ Prælato, ut quando vocatus fuerit Novitius ad terminum profeſſionis ſuſcipiendum, expreſſe proteſtetur eidem, quod profeſſio ſua eumdem obligabit ad tria vota, paupertatis ſcilicet, caſtitatis, & obedientiæ ſecundum Regulam B. Auguſtini & inſtitutiones Fratrum Ordinis Prædicatorum. ET NON SECUNDUM QUOD HODIE HIC, VEL IBI SERVATUR*. Paucis expoſita Dominicanæ paupertatis notione, ad depoſitorum hiſtoricam narrationem texendam accedo.

. II. Etſi ex his, quæ in hac diſſertatione dicta ſunt adverſus Pornaſium, peculiorum abuſum Monaſticæ paupertati repugnantem, demonſtravimus; nihilominus inutile fore non cenſemus, ſi quid eorum, quæ obiter, & ſparſim indicata ſunt, in memoriam revocemus, & pauca alia ad exactiorem Dominicanæ paupertatis narrationem ſuperaddamus. Et in primis quid, & quotuplex ſit in Ordine noſtro depoſitum, explicemus, fas eſt. Depoſiti nomine, abſolute inſpecti, ærarium venit, in quo pecuniæ,

Digitized by Google

niæ, & bona pretioſa cuſtodienda traduntur, figuraque methonymia, continens pro contento, & contra, uſurpatur. Quadruplex depoſitorum genus in Ordine noſtro. Primum totius Ordinis, in quo pecuniæ reponuntur in bonum commune Religionis erogandæ; videlicet in ſumptus pro congregandis Comitiis Generalibus, pro Sanctorum Canonizationibus, pro codicibus imprimendis, pro captivis Fratribus redimendis, ceteriſque id genus. Hoc depoſitum in Urbe ſervandum ſancitur. Illius cuſtos eſt Magiſter Generalis, qui ex arbitrio diſponere, nullo jure, valet, neque ut aliquem ſuum Conventum peculiarem ditet, neque ut ſplendidas ædes erigat, ſed tanquam fidelis diſpenſator, omnia undequaque ſibi obvenientia in communem univerſi Ordinis utilitatem ſervare, & diſtribuere ſeveriſſime obſtrictus eſt. De hoc depoſito ſermo habetur in Capitulo Romæ celebrato anno 1629. *Ord.* 10., in qua huic augendo ærario fundi aſſignantur. *Quod quidem totius Ordinis depoſitum formetur ex pecuniis, & bonis fratrum apud ſæculares extra Ordinem ubicumque locorum detentis, vel negotiationi, aut lucro expoſitis, vel a fratribus proprietariis quomodolibet in vita poſſeſſis, vel poſt eorum obitum relictis. Ex bonis etiam fratrum extra Conventum ſine aſſignatione Provincialis commorantium, vel eorum, qui ſine licentia Magiſtri Ordinis manent extra Ordinem*. Faxit Deus, ne ex hoc iniquitatis mammona noſtrum Sanctæ Urbis depoſitum augendum ſit. Ordinatio iſta intelligenda eſt, facta poſitione, quod ejuſmodi mala evenerint, ſicuti intelligendum eſſe Textum: *Bona Fratris defuncti*; indicavimus.

III. Alterum depoſitum pecunias, in cujuſque Provinciæ ſumptus neceſſarios, erogandas continet. Tertium in ſingulis Conventibus habetur, in quo eorumdem proventus aſſervantur. In quarto tandem Religioſorum peculia cuſtodiuntur. De hoc quarto depoſiti genere, de quo in præſentia nobis eſt ſermo, ut in antiquo, aut in recenti Conſtitutionum noſtrarum textu nulla expreſſa mentio; immo cum exactiſſima præcipiatur Communitas, particularium depoſitorum abuſus damnatur. Pecuniæ uſus in pluribus Capitulis tractu temporis pro librorum dumtaxat emptione conceſſus legitur conditionibus jam jam referendis. Innocentem iſtius uſus originem, ut oſtendamus, in memoriam revocemus oportet, finem præcipuum Ordinis noſtri, qui æterna eſt proximorum ſalus, & Religionis Catholicæ defenſio, atque propagatio. Id vero, ut facilius aſſequeretur Sanctiſſimus Patriarcha Ordinis fundator, arctiſſimam, ut vidimus, paupertatem delegit;

tanquam primum, ſolidumque ſublimis ædificii fundamentum. Hæc enim animos a terrenarum rerum cura ſolutos ad cœleſtem felicitatem ſibi, proximiſque comparandam expeditiores conſtituit. Porro huic præſtituto ſui aſſequendo, nequeunt Religioſi omnes uno, eodemque modo operam navare: Sed alii juges preces pro peccatorum converſione Deo fundunt; alii cantu ad pietatem alliciunt animos; iſti confeſſiones excipiunt; illi ſanctum Dei verbum populo annunciant, ceteri, qua voce, qua ſcriptis, Dei Eccleſiam illuſtrant, propugnantque. Iccirco iſti ea librorum copia indigent, quæ aliis ſuperfluit. Et quoniam Ordo noſter maxime in ſuis primordiis, & fere uſque ad Tridentinum decretum de immobilium bonorum abſoluta poſſeſſione conceſſa ſummam experiebatur, nedum profitebatur, paupertatem, bibliothecæ noſtræ codicibus vacuæ erant, & membranarum penuria ad ſcribendum laborabant fratres. Heinc ortum duxit, quod piorum divitum non pauci pecunias in hunc finem erogabant, quas, ſuperior in rem communem redactas, cui neceſſe fuerat, ſubminiſtrabat: & quod non omnes erant Doctores, ideo non omnibus, ſed his tantum, qui componendis voluminibus dabant operam; quive ſingulari profectu litterarum ſtudia excolebant, pecuniæ aſſervabantur brevi tempore in codicum emptiones expendendæ, quoquo alio excluſo uſu. Hoc acceďiſſe ſcimus Vincentio Bellovacenſi; ad cujus vaſtiſſimum perficiendum opus regali liberalitate Sanctus Ludovicus Galliarum Rex pecunias neceſſarias ſuppeditavit: quemadmodum Carolus primus, utriuſque Siciliæ Rex, Divo Thomæ Aquinati ſubſidium, pro expenſis in ſuis conficiendis ſcriptis, quæ Neapoli in Regia Univerſitate dictabat, porrexit, ut ex ejus diplomate conſtare vidimus. Ne vero gratis hæc a nobis conficta videantur, documentis authenticis confirmanda ſunt.

IV. Anno 1233. in Capitulo Generali Bononienſi, ſub Jordano Patriarchæ Dominici proximo in Generalatu ſucceſſore, admonitione ſeptima hæc habentur. *Item volumus ut Novitii, qui tantam pecuniam habent, ut ſolutis veſtibus, poſſint de illa emere bibliam, & Breviarium, quod ex reſiduo emant.* Apud Edmundum Martene in *Theſ. Ute. Anecd. Tom.* 4. *pag.* 1671.

V. Anno 1262. In Capitulo Generali Bononienſi *ord.* 3. ſeveriſſime inhibetur Prælatis, ne ſubditis ſuis licentiam aſſervandi pecunias impertiantur, niſi pro librorum emptione: *Nulli vero fratri detur licentia de conſervanda pecunia pro ſe, niſi pro libris, vel ſcriptis, nec ſic recepta in alios uſus expendendi.* Apud eundem

dem Martene pag. 1731. Solo codicum acquirendorum titulo recipi, & conſervari pecuniam Capitulum permittit; & ſic receptam, in alios diſtrahi uſus, vetat. Quid cautius præcipi poteſt? Hanc eandem legem in poſterioribus Comitiis innovatam habemus, noviſque declarationibus munitam. Florentiæ anno 1272. Capitulum ſub Magiſtro Generali de Vercellis celebratum Conſtitutionem de non ferenda in itinere pecunia inſtauravit, illiuſque uſum non permittendum ſtatuit, librorum emptione excepta. Quod & confirmatum fuit in Capitulo Generali Piſano anno 1276., atque in ſequentibus, a quibus referendis ſuperſedeo.

VI. Ex quibus evidenter colliguntur ea, quæ in anteceſſum indicavimus. Adeo ſcilicet alienum fuiſſe a majoribus noſtris pecuniæ uſum, ut neque in via illis permitteretur, ſed oſtiatim victum ſibi comparabant. Iſtius legis rigor tunc ſolum aliquantulum relaxabatur, cum boni communis progreſſus, & augmentum exigebat. Nulla ſiquidem fere poſitiva lex adeo Sancta, cujus ipſa quandoque, ob multas circumſtantiarum viciſſitudines, inobſervantia communi bono, non ſit conſentanea. Quia itaque Sacrarum ſtudium litterarum in boni communis incrementum quam maxime confert; heinc eſt, quod ob hunc ſolum, & non alium, optimum finem, pecuniæ uſus, non omnibus, non indiſcriminatim, ſed doctoribus tantum, pro ſola librorum emptione, ad breve tempus aſſervari, permiſſum erat. Quæ pecuniæ in communi depoſito huic determinato uſui alligatæ, uſque dum codex emeretur, conſervabantur, a publico Miniſtro expendendæ. Inſuper codices illi pro communi bibliotheca emebantur, eidemque, ut ajunt, incorporabantur, quamvis pro aliquo tempore fratri indigenti, & in bonum commune adlaboranti eorundem librorum uſus concederetur. Utinam hac etiam ætate noſtra iis in locis, ubi Bibliothecæ codicibus vacuæ reperiuntur, zelus iſte arderet, libros comparandi, eo fine, ut in proximorum ſalutem, in Eccleſiæ Catholicæ defenſionem revolverentur. Si quis vero ex his limitatis juſtiſque diſpenſationibus, peculiorum depoſita non tantum pro librorum emptione, & quibuſdam dumtaxat Religioſis conceſſa, ſed ad uſus incertos, & ad menſam ſelectioribus epulis inſtruendam, & ad cubicula ornanda, & omnibus indiſcriminatim licite concedenda inferre auderet; profecto nil foret tam Sacrum, nihil tam Sanctum, immaculatumque, quod in ſcelerum patrocinium detorqueri per ſummam audaciam non poſſet. Et licet ſequioribus ſæculis evangelicæ charitatis ſpiritus defer-

deſerbuerit, & ſtatuta etiam aliqua condita fuerint, temporum magis conditioni, quam diſciplinæ Monaſticæ conſentanea: attamen Ordo noſter illico experrectus zelum inſtauravit, & peculiorum abuſus damnavit. Non abs re cenſemus, recentiorum temporum, hoc de argumento, ſtatuta pauca referre, ut plena, & exactior depoſitorum habeatur narratio.

VII. Anno 1505. Capitulum Generale Mediolanenſe Ordinat. VIII. hæc decrevit. *Nolentes quod aliquis frater poſſit tenere pecunias in depoſito ad USUS INCERTOS; ſed ſolum ad certos uſus de licentia ſuorum Prælatorum; puta ſi habuiſſet ab aliqua perſona, ex prædicatione, vel Confeſſione aliquas pecunias pro veſtibus, & libris emendis, vel pro aliqua particulari cauſa, tales pecunias poterit tenere, non apud ſe, ſed in depoſito.*

VIII. Anno 1551. Capitulum Generale Salmanticenſe Ordinat. III. hæc habet. *Quæ ſcilicet pecuniæ, ſi ſibi ab amicis, vel conſanguineis pro emendis libris, aut aliis neceſſariis tradantur; nolumus eas ullatenus, niſi in communi depoſito, tenere poſſint, & hoc per MENSEM TANTUM, quo tranſacto, ſi eas non expoſuerint, ſtatim illas decernimus ex vi præſentis ſtatuti eſſe communitati Conventuum applicatas, neque ſubditi repetendi, neque Prælati eas reſtituendi de cetero ullam habeant authoritatem.*

IX. Anno 1596. In Comitiis Generalibus Valentiæ celebratis hæc ſtatuta ſunt *Confir. V. Confirmamus, quod pro voto paupertatis, uti decet ſervando, & vitio proprietatis penitus eradicando ſancte ſtatutum fuit, potiſſimum quod depoſita, non niſi in moderata quantitate ad DETERMINATUM, IDQUE BREVE TEMPUS, VEL USUM concedantur, & quia præfatam ordinationem minus diligenter a quibuſdam obſervari, quam par ſit, intelleximus, aliis vero ſub prætextu determinati uſus ſuam legis inobſervantiam palliare, quaſi licitum illis ſit longo tempore ſub tali prætextu in depoſito pecunias habere, quas, & pro occurrentibus uſibus indifferenter poſtmodum expendunt: declaramus intentionem noſtram eſſe, quod ubi Prælatus determinaverit, præſentatis ſibi a ſubditis pecuniis, pro quo uſu determinato ſpecialiter in depoſito aſſervari debeant, non licere ſubditos in alios uſus eaſdem pecunias expendere, nec Prælato facultatem eiſdem ad id tribuere, qua virtute præſentis decreti privamus. Quare vitium proprietatis incurret ſubditus hnic ſtatuto contraveniens, & vitium uſurpatæ authoritatis Prælatus, in cujus pœnam ab officio abſolvi debet. Sciant proinde, qui pecunias undequaque habuerint, teneri infra terminum viginti quatuor horarum eaſdem Prælato ſuo præſentare,*

tare, & de ejus licentia in communi depoſito ponere. Ita etiam præcipimus in virtute Obedientiæ, & ſub formali præcepto, a qua lege nec Præſidentes locorum, aut Conventuum eximantur.

X. Anno 1601. Capitulum Generale Romæ celebratum præcedentium Capitulorum ſtatuta in paupertatis cuſtodiam ſancita ob oculos ponit; eaque novis ordinationibus confirmat. *Confirmamus, quod in duobus præcedentibus Capitulis Romæ, & Valentiæ, aliiſque ſæpius ſanƈte ſtatutum fuit, ut qui pecunias undequaque habuerint, teneantur eas ſub pœnis proprietariis debitis infra terminum viginti quatuor horarum ſuo Prælato præſentare, atque ex ejus licentia in communi depoſito ponere. Quod quidem IN MODICA PECUNIARUM QUANTITATE, AD BREVE TEMPUS, ET AD CERTUM USUM, attenta tamen perſonarum, & occaſionum permitti poterit.*

XI. Anno tandem 1644. Capitulum Generale pariter Romanum declaravit, pecuniarum depoſita, neque adductis conditionibus circumſcripta, ſe approbare ut licita, ſed tolerare & ad majora præcavenda incommoda, tanquam mala minora permittere: *Ordinat.* 11. *Denique Priores de conſilio Fratrum inſtituant depoſitarios, qui particularium Fratrum depoſita, ubi hujuſmodi ADHUC TOLERANTUR aſſervent. Ubi autem particularium depoſitorum PERMISSIO feliciter exolevit, perſiſtatur in ſanƈta conſuetudine, nec permittatur, ut quidquam irrepat, quod laudabilem & EXACTISSIMAM RERUM COMMUNITATEM, ſanƈtæque paupertatis obſervantiam, vel in MINIMO relaxare poſſit.*

XII. Antequam hiſtoricæ depoſitorum narrationi finem impono, curſum intercipere, & hic aliquantulum ſubſiſtere lubet. Ex hoc Romano Capitulo, aliiſque, evidentiſſime conſtat: pecuniarum depoſita minime ab Ordine noſtro approbari etiam recenſitis conditionibus circumſcripta; ſed tantum ad majora mala evitanda tolerari. *Ubi hujuſmodi adhuc tolerantur.* Addit vero Capitulum, præcipitque, ut iis in Cœnobiis, Provinciis & Congregationibus, a quibus peculiorum depoſita jam feliciter exularunt, nunquam introducantur. *Ubi autem particularium depoſitorum permiſſio &c.* concluditque nihil omnino permittendum eſſe, quod exactiſſimam communitatem, vel in minimo relaxare poſſit. *Nec permittatur, ut quidquam irrepat &c.* De iis depoſitis ſermonem habet Capitulum, quæ pluribus adhuc in locis tolerantur. Porro non alia depoſita Religio noſtra tolerat, niſi ad breve tempus, in parva quantitate, & ad peculiares uſus. Pro-

Prohibet autem, ne hæc ipſa depoſita introducantur in ea Cœnobia, & Congregationes, ſeu provincias, a quibus jam feliciter exularunt. An dici poteſt peculii depoſitum citatis etiam conditionibus illigatum, nec in minimo relaxare perfectiſſimam communitatem? quoties ergo in Conſtitutionum noſtrarum gloſſis legere occurrit depoſita ad breve tempus, in parva quantitate, & ad peculiares uſus permitti, non inde colligas velim, ejuſmodi depoſita ubique licita eſſe: Sed ad majora dumtaxat mala evitanda tolerari, ubi obſervantia communitatis collapſa eſt: ſecus vero ubi communitas iſthæc viget. Quæ omnia idcirco preſſe, & diſtincte manifeſtare volui, ut legum noſtrarum imperitos plenius inſtruerem. Siquidem plures dum in Capitulis, calamitoſo tempore, in gloſſis conſtitutionum noſtrarum inſertis depoſita permitti legunt ad breve tempus, in parva quantitate, & ad certos uſus, inferunt, ubique, & omnibus licita eſſe. Quæ ſane allucinatio ſumma eſt, & quam maxime deplorabilis. Quandoquidem ordinationes iſtæ poſt collapſam communitatis obſervantiam, & poſt invectam illam vitam, quam noſtrates hiſtorici vocant conventualem, fuerunt conditæ, ne proprietatis peſtis latius ſerperet, & ad majora præcavenda mala, & propriis ſolummodo Cœnobiis, in quibus exactæ communitatis præceptum ſeu votum non ſervatur. Ordinationes iſtæ, quæ depoſita permittunt ſimiles ſunt eis, quas præſcribere ſolent Theologi alicui Chriſtiano viro in occaſione proxima neceſſaria violandi quoddam præceptum conſtituto. Ordinationes illæ non approbant permanſionem in tali occaſione, ſed data hypotheſi, quod evitari nequeat, modum præſcribunt, quem in eadem conſtitutus ſervare debet. Eadem ratione, admiſſa hypotheſi, quod Prælati ſubditis ſuis neceſſaria non ſuppeditent, jure naturæ, ſubditi adſtringuntur ad neceſſaria alimenta comparanda. Ne vero tali jure abutantur, leges modum, & conditiones præſcribunt, quibus depoſita habere poſſint ejuſmodi ſubditi: Duo tamen ſemper addiderunt, & in dies addunt leges noſtræ. Primum, quod tam Prælati, quam ſubditi in id totis viribus incumbere teneantur, ut nimirum vitam communem ad regulæ tenorem, pulſis quibuſque depoſitis, invehant. Aliter videntur eſſe in malo ſtatu ii omnes, qui vel reſiſtunt, vel cum poſſint, præfatam communitatem introducere in propria Cœnobia omittunt. Alterum, quod ubi depoſitorum abuſus exterminatus eſt, nunquam deinceps irrepere permittatur. Hæc explorata, & manifeſta ſunt. Et tamen uſque adeo abuſus invaluit, ut vel ipſorum mentes infecerit, qui probi haberi

beri volunt, & in rebus noſtris verſati. Putant enim licitum eſſe, quod publicum eſt. Quare ſi unquam, vel inter ipſas municipales quorundam Religioſorum in communi viventium ordinationes deprehenderes ſtatutum quodpiam depoſita permittens, laudatis conditionibus ſervatis, ſcias oportet, vel ex oſcitantia, vel ex ignorantia editum fuiſſe, atque adeo expungendum. Quoniam vitilitigatores Pornaſium imitantes ſic argutari poſſent. Depoſita non permittuntur, niſi in parva quantitate, ad breve tempus, nempe ad menſem, & ad certum uſum. Ergo, ſalvis iſtis conditionibus, depoſita licita erunt omnibus, quod, naturali neceſſitate ſublata, quam ſit & Regulæ Auguſtinianæ, & legibus noſtris, & voto paupertatis infeſtum, nemo non videt. Sed hiſtorica depoſitorum narratio aliquantulum interciſa reſumenda eſt, & ad finem perducenda.

XIII. Plura itaque laudatorum comitiorum Generalium ſtatuta inſerta habentur in gloſſis ad *text.* IV. *cap.* 14. *diſt.* 1. *Conſtitutionum noſtrarum pag.* 88. *& ſequ.* Ibique, Concilii Tridentini integro Decreto relato, ejuſdem exacta obſervantia præcipitur; ac illius adamuſſim peculiorum abuſus proſcribuntur: annui redditus, cenſus, ceteraque id genus bona in commune redigi, & pro cujuſque indigentia diſtribui mandatur. *Declaramus* (pag. 92. ad lit. H) *quod ſicut in Concilio Tridentino decretum eſt: nemini Regularium &c. . . . . Quapropter in Capitulo Romano* 1589. *admonentur Fratres Ordinis noſtri qualiter Generale Capitulum celebratum Bononiæ* 1564. *innixum decretis Sacri Concilii Tridentini incorporavit, atque applicavit, ſeu potius incorporata declaravit bona immobilia omnia, & quoſcumque annuos redditus, vel proventus quorumcumque Fratrum, & undequaque illis advenientes, illis Conventibus Ordinis noſtri, quibus debentur ſecundum jura, ac noſtras Conſtitutiones . . . . Noviſſime etiam in Capitulo Venetiis* 1592. *Ordinatum fuit, quatenus fratres debeant fideliter ſub pœna proprietariis debita ſuperioribus ſuis ſemper præſentare quamcumque pecuniarum ſummam ad eorum manus undecumque venientem; ſive prætextu prædicationum, lectionum, confeſſionum, ſive Miſſarum, ſive quolibet alio, etiam propriæ perſonæ intuitu a conſanguineis eis, vel quibuslibet aliis, quod etiam de qualibet alia re ſtatuendum mandat S. Pater Auguſtinus in Regula, ne quis furti judicio condemnetur. Eorundem porro ſuperiorum officium erit, ne diſſipatores potius, quam diſpenſatores fideles inveniantur, ita de præfatis bonis pro uniuſcujuſque ſibi ſubditi neceſſitate miniſtrare, ut alius non egeat, dum alius abundat.* Plurima alia

in laudatis gloſſis habentur, quamvis non abſque confuſione; & non pauca quæ declaratione, & correctione indigent. Quam correctionem licet præceperint tot Capitula Generalia præcipue ultimum Bononienſe, & Conſtitutio Innocentii XI., adhuc, non ſine Regularis diſciplinæ detrimento, videre haudquaquam datum eſt. Verum de hoc alias.

XIV. Ex hac depoſitorum hiſtorica narratione, eorundem conditiones colliguntur, & viciſſitudines. Atque, ut evidentius pateat, conſectaria, quæ & Pornaſius ex illis primis ſtatutis, & recentes ex poſterioribus ordinationibus deducunt, perenni Ordinis noſtri traditioni in paupertatis materie adverſari, preſſius conditiones depoſitorum enucleandæ ſunt. Itaque in primis pecuniæ uſus pro ſola librorum proviſione, quocumque alio vetito uſu, conceſſus legitur. Ad unum, vel alterum uſum, ad veſtes ſcilicet comparandas, idque genus ſimile, extenſus fuit, ſequentibus tamen ſervatis conditionibus. Prima, quod pecuniæ depoſitum ſit in modica quantitate. Secunda, quod ſit pro uſu determinato, ſcilicet pro libris, veſtibus, aliiſque ſimilibus. Tertia, quod alicui uſui ſemel alligata pecuniæ conceſſio, non poſſit neque per ipſum Prælatum, ut in alium uſum diſtrahatur, licentia concedi. Quarta, quod nunquam per fratres ipſos, ſed per publicos officiales Syndicum, ſeu procuratorem pecunia expendi debeat. Quinta, quod depoſiti licentia ſit ad breve tempus, videlicet ad menſem. Harum conditionum obſervantia ſi negligitur, cum Prælati, tum ſubditi in crimen prolabuntur proprietatis. Quid ſi conditiones omnes obſerventur? Neque, hac facta poſitione, Capitulum Romanum anni 1644. ejuſmodi depoſita ſe approbare, ſed tolerare dumtaxat aſſerit, atque ea in Cœnobia, a quibus exulant, ne unquam in poſterum irrepere permittantur, ſuadet, imperatque. Quid porro ſi depoſita hac tempeſtate permitterentur, & reipſa haberentur, laudatis conditionibus haudquaquam ſervatis? Quid, ſi in pluribus Provinciis, nulla præfinita quantitate, nummorum depoſita concederentur, ita ut Religioſorum alii centum, alii ducenta, alii quadringenta, alii ſexcenta ſcuta haberent, plus minuſve, prout magis, vel minus in congregandis pecuniis ſors propitia fuerit? Quid ſi non ad breve tempus, ad menſem ſcilicet, ſed toto vitæ curriculo depoſita hæc ſervarentur? Quid ſi Prælati licentiam impertirent ejuſmodi pecunias expendendi, non in librorum emptione, ſed in pluribus ædificandis, ornandiſque cubiculis, in alearum ludis, in peragrandis Provinciis animum exhilarandi, amicoſ-

coſque inviſendi gratia, & ut ad communem refectorii victum quotidie ferculum ſuperaddi poſſet? Quid ſi magnam pecuniæ ſummam, ad majorem duntaxat ſecuritatem conſervaretur indepoſito; aliquot vero nummos ſemper ad manus haberent fratres, ut quotidianis indigentiis levandis ſubſidium præſto foret? Quid ſi Prælatus his omnibus aſſentiretur; quin conſenſus illius ita in conſuetudinem tranſiiſſet, ut debitum petendi expreſſam licentiam abrogatum eſſet, ſolaque licentia tacita, ut vocant, in uſu foret? Animo tandem tibi effinge, Religioſos iſtos, ſingulis annis, ſchedulas, in quibus omnia ſua bona privata deſcripta ſunt, ſuperioribus ſuis præbere, atque in extremo vitæ periculo conſtitutos, cubiculorum ſpolia, quæ reapſe fieri ſolent, ut ſaltem in mortis articulo ludicrum evangelicæ paupertatis ſimulacrum exhibeatur, libenter perferre. Quam Tu ſententiam in iſtos diceres? Abſit, ut Supremi, Divinique Tribunalis mihi vices uſurpare auſerim. Eorundem itaque, aut ſalutis, aut damnationis ſententia divino relicta judicio, quod ex data hypotheſi ſponte conſequitur, mea tantum intereſt manifeſtare: ſi tamen manifeſtatione eget, quod eſt ſuapte natura exploratum. Dico igitur, iſtos omnes, cum Prælatos, tum ſubditos, nulla opitulante ignorantia, nulla ſuffragante bona fide, ſacrilegæ proprietatis crimine infectos eſſe. Nec eſt, quod orationi meæ quampiam audaciæ, vel temeritatis dicam impingere jure quis poſſit. Siquidem, ut hac invidia omnino me liberarem, hypotheticum conſtitui ſermonem meum. Et facile mihi eſſet, quæ dixi, omnium Patrum, & Theologorum calculis confirmare, niſi alibi id oſtenſurus eſſem. Nunc mihi ſatis ſit, obiter referre, quæ ſcribit Dionyſius Carthuſianus de *Reform. Clauſtr. cap. 6. Propterea Religioſi deformati, in quibus parva, aut nulla eſt rigoris, aut diſciplinæ obſervantia, qui carnaliter vivunt, & mundanis vanitatibus pleni ſunt otioſitati, & loquacitati vacantes in innumerabilia prorſus incidunt vitia non venialia ſolum, ſed & mortalia quoque. Immo tota vita eorum, eſt quaſi quoddam peccare continuum præſertim quia & hæc ipſa bona, quæ agere videntur, tam negligenter, irreverenter, & tepide, tam inordinate, & indebite agunt, ut magis ſit offenſivum Dei, quam honorativum, & reconciliativum ipſius. Tales enim, qui in fœcibus ſuis jugiter manent, qualiter confitentur, qualiter celebrant, qui ſe in nullo emendant; immo de multis, quæ mortalia ſunt nullam ſibi conſcientiam facere comprobantur? Porro quam vera ſint hæc, ex verbis Patrum Sanctorum facile eſt probare. Dicit enim ille doctiſſimus Euſebius* Q 2 *Epi-*

Digitized by Google

Epiſcopus Emiſſenus in homiliis ſuis ad Monachos . . . Venire quidem ad clauſtrum, ſummæ perfectionis exordium eſt; ſed non perfecte in Monaſterio vivere, ſumma damnatio eſt. Iterum ait: Habet hoc infelix conſuetudo peccandi, ut quanto amplius quis peccaverit, tanto minus peccata ipſa intelligat, & tanto plus eum peccare delectet, ut eveniat illi quod ait Propheta: Non eſt Deus in conſpectu ejus, auferuntur judicia tua a facie ejus. An poſtea ultimo naufragio proximi, pœnitentiæ tabulam, qua illud evadant, comprehenſuri ſint, imperſcrutabilia arcana ſunt hæc, quæ noſtram fugiunt cognitionem, illique ſoli reſervata, qui corda ſcrutatur, & renes. Nec te moveat, ſi videris, vel ipſos in Sacra Doctrina Magiſtros, laureatoſque viros pecunioſos eſſe, eaque omnia peragere, quæ in hypotheſi noſtra enumeravimus: Sed leges, ſed vota tua, quæ diſtinxerunt labia tua Deo, ob oculos tuos ſiſtito; & oracula recordare Chriſti Domini tanta prædicenris mala, *ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*. *Matt.* 24. Illud etiam ſerio meditare: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*. *Matt.* 20. Et tandem laudatus Evangeliſta te admonet his verbis: *Videte ne quis vos ſeducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent*. *Matt.* 24.

XV. Porro quod ex laudata hypotheſi immania conſectaria ſponte fluant, haud eſt demonſtratione opus. Quandoquidem compertum eſt, Religioſos voto paupertatis obſtrictos, pecuniarum, aliarumque rerum uſum habere licite non poſſe, invitis, atque reluctantibus Prælatis. Superiores autem Ordinis noſtri in tot generalibus Comitiis legitime congregati omnibus Cœnobiorum Prioribus poteſtatem, facultatemque ademerunt licentiam impartiendi ſubditis aſſervandi, etiam in communi depoſito, pecunias, nullis definitis, neque quantitatis, neque temporis, neque uſus cancellis. Priores iſti nulla valent poteſtate concedere ſubditis, ut plura habeant cubicula, coclearia, aliaque inſtrumenta argentea, induſia linea, & id genus alia. Quoniam millies per repetitas leges, hac facultate, eos haudquaquam pollere, declaratum eſt. Quid itaque tibi ipſi illudis, ſuperiorum obtrudens chimæricam licentiam? An ignoras, quod votum paupertatis in nihilum occideret, ſi Prælatorum authoritas nullis circumſcriberetur limitibus? Si quælibet Superiorum licentia ſatis eſſet ad arbitrarium nummorum, & cujuſque ſupellectilis uſum, ut alibi fuſius dicetur? Fac Cœnobiorum Religioſos, quorum ſinguli, quoto biennio expleto, in præfectura ſibi ſuccedunt:

cedunt: fac, inquam, conniventia tacita, vel expreſſa, Prælatos iſtos, ſubditoſque tale inire invicem fœdus, ut quiſque Prælatus exiſtens ad omnem uſum poteſtatem faciat ſubditis pecunias expendendi, ut viciſſim ſibi in ſubditorum ſortem redacto, tale indultum non denegetur: Auderes ne, eos hac in hypotheſi, paupertatis Monaſticæ obſervatores propugnare? Quid igitur commoveris, ſi improbare audis, quos ipſe judicas tranſgreſſores? Fateare ergo, neceſſum eſt, præfinitis limitibus coercitam eſſe Prælatorum poteſtatem. Quinam ſunt termini iſti? Quos poſuerunt Patres noſtri in tot Generalibus Capitulis: ergo, *ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui. Proverb.* 22.

CAPUT XII.

Univerſæ diſſertationis brevis complexio.

I. AD finem perduxi diſſertationem hanc meam, quam tibi lector humaniſſime ſiſto, ut ex ejus lectione antiquæ paupertatis noſtræ ſpiritus in te reviviſcat, aut ſi renatus ſit, ferventius adoleſcat, firmiuſque conſiſtat. Ad veterem diſciplinam amplectendam, moreſque noſtros conformandos ſummopere nos urgere debent, vel hæc ominoſa tempora, quibus Fata omnia nimium aſpera ſunt, & præter modum fera. Iratus Divinus vindex flagella quoquoverſum vibrat; & ad extremum malorum perventum cum ſit, vix eſt, qui velit ſcelerum torrenti aggerem opponere. Boni, probique pauci ſunt: iique ſibi duntaxat cavere ducunt in tot calamitatum diſcrimine. Eorum quoque animis quædam caligo offuſa eſt. Videre mihi videor, dies illos atros adveniſſe, quibus terrorem per circuitum immittere, ſpiritumque miſcere vertiginis per Iſaiam minatur Dominus. Nam in opiniones, ſententiaſque adeo diverſas, & contrarias, vel proborum hominum mentes diſtrahuntur, ut unanimi conſenſione morbis noſtris adhibenda fore remedia ſperare minime valeamus; ſic Deo, ob graviſſima noſtra flagitia, permittente. In ea incidimus tempora, quibus nemo fere reperitur, qui relaxatæ, atque in dies collabenti, & in præceps ruenti diſciplinæ manum admovere velit, ejuſdemque inſtaurationem promovere. Suo quiſque agitur reſpectu, & genio, rationeſque captat, quibus id omne tanquam honeſtum repræſentet, quod ſibi favere proſpicit. Quoniam ea eſt vitiorum indoles, ut initio qui-

quidem prodire in lucem erubeſcant; at ubi primum multorum corda occupaverint, uſuque, & conſuetudine adoleverint, tum, non modo aperta facie publicum conſpectum ſubire non reformident, verum etiam approbationem, & encomia ſibi indipiſcuntur: *ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Matt.* 24. v. 24. Olim vel ipſum peculii nomen Monachos, Cœnobitaſque omnes ſummo afficiebat terrore. Monachorum Prælati crimini graviſſimo ſibi vertebant alicui ſubdito quicquam peculii habendi licentiam impertire: quicunque vero cum occulta pecunia in morte repertus erat, aſinorum ſepulcro multabatur. Verum defervente iſto evangelico monaſticæ paupertatis ardore, Prælatorum ſive avaritia, ſive oſcitantia, quos ſuis fratribus omnia neceſſaria diſtribuere pigebat, teterrima hæc lues peculii, quemadmodum illud compellat in ſua Regula Divus Benedictus occidentalium Monachorum Patriarcha, Cœnobia invaſit, & temporis tractu omnem horrorem exuit, ac non tantum virtutis ſplendorem induit. Quæ omnia ex iis maxime, quæ hac in diſſertatione dicta ſunt, cuique perſpecta eſſe poſſunt. In ea namque vidimus, Pornaſium eo uſque peculium extuliſſe, ut docuerit, in Ordine Prædicatorum majoris meriti, & perfectionis eſſe paupertatem illam, quæ aliquid peculii privati admittit, præ illa, quæ exactam ſervat communitatem cujuſque peculii expertem. Quin ultra progreſſus hanc bonorum communitatem, quam Chriſtus in Apoſtolorum collegio tanquam evangelicæ perfectionis fundamentum inſtituit, ceu contentionum, rixarumque occaſionem repræſentavit. Quam exitialem Doctrinam ut facilius ſuaderet, eidem honeſtatis ſpeciem obtendere ſtuduit, pharmacopolas imitatus, qui ſuis pixidibus varias affigunt inſcriptiones, ut pro pharmacis venena divendant. Quid ſimile præſtitiſſe videtur Pornaſius, aut illius editores, qui ſuum libellum de proprio non habendo inſcripſerunt. Vitio mihi non adſcribatur, ſi, ordine præpoſtero in hoc ultimo capite varios ejuſdem libelli titulos ob oculos ponam. Quoniam melius hic, quam in præfatione, dijudicare lector valet, quantum præfati libelli frons a toto corpore diſtet. Prima itaque editio veneta anni 1503. hunc præfert titulum. *Tractatus Reverendi in Chriſto Fratris Raphaelis de Pornaſio Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ profeſſoris, quod Religioſi non poſſunt habere proprium, ſeu de proprio non habendo*. Secunda peracta ſine loci, & temporis mentione hanc aliam effert inſcriptionem. *Tractatus de paupertate valde utilis Reverendi, ac doctiſſimi viri Magiſtri Fr. Raphaelis de Pornaſio O. P., in quo evidenter oſtenditur, quod fratres*
mo-

moderni habentes libros, indumenta, ac peculium aliquod in particulari non dicuntur proprietarii. & quod talis modus vivendi fuit ab antiquo in ordine de facto ſervatus, etiam quando Fratres ſcientia, & vita, ac miraculis coruſcabant. In alia tandem editione libellus ſic inſcribitur. *De communi, & proprio Religioſorum.* Ex hac inſcriptionum diverſitate, ſuper qua plura dicenda occurrerent, cuique compertum eſt quod Pornaſii Editores ſicuti libri frontem, ita librum ipſum adulterare, & interpolare potuerint, fabulamque illam aureorum, quos D. Thomam habuiſſe commenti ſunt, eidem libello adſuere.

II. Ex quibus omnibus colligas velim duo. Primum Pornaſii libellum a capite ad calcem pluribus mendaciis, nugis, exitioſiſque commentis ſcatere. Qua de cauſſa, ſi quid liberius, ſi quid acrius a me dictum eſt, ſpero fore, ut veniam mihi facillime concedant omnes æqui rerum æſtimatores. Alterum, Pornaſium ipſum improbare peculia, quæ hac noſtra ætate pluribus in Cœnobiis ſerpunt. Quandoquidem peculia privata, ut licita in ordine noſtro ille defendit, ea ratione nixus, quod fundis, & redditibus abdicatis, Cœnobia nequeant omnia neceſſaria fratribus ſubminiſtrare. Quapropter ab iis Monaſteriis, quæ redditibus abundant, peculia omnia rejicit, tanquam proprietatis labe aſperſa, & Religioſos ad communem vitam ſub præcepto obſtrictos eſſe, adfirmat capite quarto ſui tractatus pag. 51., ubi inquit. „ Advertendum eſt, quod aliter poteſt, & longe aptius ſervari talis communitas in Monaſteriis divitibus, & redditnariis, quam in pauperibus, & mendicantibus. Nam in illis cujuſmodi erant illi, quibus B. Auguſtinus regulam ſcripſit, ſcilicet Canonicis Regularibus eſſet nimis vitioſum, quod aliquis vellet ſibi ipſi providere, & aliquid penes ſe particulariter conſervare, cum ſuperior poſſit, & velit in omnibus etiam minutis neceſſitatibus providere, & onus proviſionis totaliter ſibi ipſi reſervat. Ideo inter illos habetur pro *PRÆCEPTO EXPRESSO VEL PRÆSUPPOSITO, quod quidquid uni datur, in COMMUNE ponatur,* ut dicit Regula ... In iſtis autem (ideſt mendicantibus) non fit, quia propter paupertatem ſuperior vix poteſt providere de tenui victu, qui ſervatur in uno cellario ... Quapropter ſi etiam inter iſtos eſſet unus ſuperior, qui ſibi vellet onus aſſumere totalis proviſionis, & omnem particularem proviſionem; & retentionem ſubditis interdiceret, eodem modo peccarent ſecundi, ſicut & primi, & eſſent cenſendi *Proprietarii*. Et ideo diſpoſitio ſubditorum talis eſſe debet, ut parati ſint ſecundum hunc, vel illum modum vivere, prout ſuis majoribus, & Rectoribus placuerit, ſicut non habentes velle aut nolle. „

III. Por-

III. Porro a tempore Tridentini Concilii univerſus fere Ordo noſter redditus, fundoſque poſſidet. Ergo ex doctrina Pornaſii omnes Religioſi illorum Conventuum, qui redditus ſatis congruos habent, *cenſendi ſunt proprietarii*, inquit ille, ſi privata peculia retineant. Itaque Pornaſio judice, ejus opuſculum, quod toties edi curarunt illius aſſeclæ, ad aliud non valet, quam ad decipiendos imperitos. Quoniam, etſi ante Tridentinum Concilium, tolerantia quadam digna fuiſſet ejus opinio, quod pernegamus, poſt Tridentinum tamen falſa evaſit & erronea. Quod ſi animadvertiſſent illius patroni, forte a tot editionibus abſtinuiſſent. Confutato autem Pornaſio, tam Prælatis, quam ſubditis legendum propono Divum Antoninum qui hac de re ſic ſcribit 3. *p. Sum. Mor. Tit*.16. *cap*.1. §. 11. *Satis credo*, *quod qui ſe reperiunt in Monaſteriis*, *& Conventibus*, *ubi non vivitur in communi*, *ſi Prælati ſunt*, *& non faciunt quantum in eis eſt poſſibile*, *ſine notabili ſcandalo*, *ut vivatur in Communi*, *eos non eſſe in ſtatu tuto*, *quia favent rei deſtructivæ Religionis*. Arg. diſt. 33. error. *& in aliis cap. Si ſunt ſubditi*, *& reſiſtunt huic bono*, *cum attentatur*, *non quia non poſſunt ſufficienter vivere*, *ſed quia volunt abundare*, *& de ſuis ſuo modo facere*, *videntur eſſe in malo ſtatu*, *cum ſæculariter vivant*, *& velint in malo perſeverare*. Anne ii Prælati, qui a ſubditis ſuis pecuniarum munera acciperent, facerent, *quantum in eis eſt poſſibile*, *ut vivatur in Communi*? Verum hæc omnia alibi pro dignitate verſabimus; atque authoritate, non modo Divi Antonini, & Cardinalis de Turre Cremata, verum etiam communi Patrum, Theologorum, & Caſuiſtarum conſenſione evincemus, Regulares degentes in Cœnobiis, ubi collapſa eſt Communitatis obſervantia, ut æternæ damnationis periculo graviſſimo ſe ſubducant, alterutrum exequi debere: ſcilicet, aut in propria Cœnobia bonorum communitatem privati peculii expertem iuvehere: aut, ſi hoc fieri nequeat, ad illa Cœnobia ſe transferre, in quibus præfactæ communis vitæ votum, ſeu præceptum, quo certiſſime illi obſtricti ſunt, obſervatur. Nunc vero huic noſtro Commentariolo finem imponimus verbis Angelici Doctoris inquientis *opuſc*. XVII. *cap*. 16. *Si quis autem his contradicere voluerit*, *non coram pueris garriat*, *ſed ſcribat*, *& ſcripturam proponat in publico*, *ut ab intelligentibus dijudicari poſſit quod verum ſit*, *&*, *ut quod erroneum eſt*, *auctoritate veritatis confutetur*.

DIS-

DISSERTATIO
HISTORICA
DE ORIGINE
DISCIPLINÆ REGULARIS
PRIMUM
IN ORDINE PRÆDICATORUM
PER
B. RAYMUNDUM
DE VINEIS

Vigeſimumtertium Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis inſtauratæ.

AUCTORE

CAROLO ANTONIO PLANTAMURA.

Digitized by Google

DISSERTATIO HISTORICA

De origine Diſciplinæ Regularis per B. RAYMUNDUM de Vineis, (vulgo de Capua) XXIII. Magiſtrum Generalem in ſuo Prædicatorum Ordine inſtauratæ.

PRÆFATIO.

DISCIPLINÆ Regularis in Ordine Prædicatorum reformationem, ejuſdemque viciſſitudines, & propagationem; omnium quoque Congregationum præfati Ordinis, quæ a Beato Raymundo Capuano ad hæc uſque tempora cum maximo Ordinis ſplendore floruerunt, opportuno tempore, data opera, perſcripturus ſum. Iſtbic dumtaxat documenta non pauca partim typis edita, partim inedita, quæ iſtius reformationis originem clariſſime produnt, publici juris facere placuit. Quod ut præſtarem, duo fuerunt in cauſſa. Primum, ut a jacturæ periculo ſubducerem, atque in tuto collocarem quædam hoc de argumento monumenta, quæ nondum lucem publicam aſpexerunt; ſed uno in codice mſſ. delituere. Codex extat in bibliotheca Cœnobii Sancti Dominici Civitatis Auſtriæ, eſtque membranaceus, & conſtat triginta ſex cartis in 4. Author illius eſt F. Thomas Caffarinus, vulgo Antonii Senenſis, celeberrimus ſui temporis concionator, mirabilium patrator, atque fervidus, ſtrenuuſque reformationis adjutor. Quare quæ vidit, geſſitque, ſcriptis commendavit. Pater Vincentius Fontana in ſuo Conſtitutionum, & Capitulorum Generalium Tomo Tit. Reformatio, *quædam documenta, quæ hoc in codice habentur, refert, & aliqua ejuſdem Thomæ Caffarini verba. Aſſerit autem Fontana ejuſmodi verba ſe exſcripſiſſe ex quodam tractatu de Reformatione a Beato Raymundo Capuano compoſito. At non alium tractatum de Reformatione Raymundo Generali Magiſtro adjudicant communiter noſtrates, præter illum, quem ſuo laudato Tomo inſe-*

ſeruit ipſe Fontana. Ut ut res iſta ſe habeat certum eſt, Auctorem noſtri Codicis eſſe præfatum Thomam Caffarinum, qui in qualibet fere pagina ſui Codicis de ſe ipſo loquitur, & in proœmio hæc ſcribit. „ Ego Frater Thomas prædictus (Caffarinus) di- „ gnum duxi quendam alium tractatum, ſeu libellum per modum „ cujuſdam hiſtoriæ, ſeu narrationis componere, in quo hiſtoriali- „ ter narratur de Origine . . . præfatæ obſervantiæ regularis. „ In eo tamen plurima continentur, quæ ad hanc hiſtoriam minime pertinent; quæ omnia in præſentia miſſa faciam: quemadmodum prætermittere quoque decreveram illa documenta, quæ typis jam ſunt edita. At melius conſultus, diſciplinæ regularis cultoribus rem quam gratiſſimam me facturum fore exiſtimavi, ſi illis omnia ſimul collecta, ſuoque Ordine digeſta, & opportunis animadverſionibus illuſtrata exhiberem, quæ reformationis diſciplinæ noſtræ primordia manifeſtare queunt. Hinc palam eſt, me non de leviſſima, ſed de graviſſima re diſputationem habere, cum de Religione, pietate, ſanctitate, cæremoniis mandatiſque Parentum noſtrum ſermonem inſtituo. Quod enim munus Ordini noſtro majus, meliuſve afferre poſſumus, quam ſi juventutem docemus, & erudimus, non de rebus nihili, ſed de ſuæ profeſſionis graviſſimo negotio: quam ſi ob illius oculos eorum geſta ſiſtamus, quorum zelo, induſtria, fortitudine, & ſapientia Religio noſtra aut parta, aut reparata eſt? His præſertim calamitoſis temporibus, perditiſque moribus, quibus omnia ad malorum extremum prolabi videntur. Habet enim unaquæque profeſſio ſuos Principes, ad quos, ne a ſcopo declinet, reſpicere debet. Romani, inquit Hieronymus, Duces imitentur Camillos, Cincinnates, Fabricios, Regulos, Scipiones: Philoſophi proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem: Poetæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium: Hiſtorici Thucydidem, Salluſtium, Herodotum, Livium: Oratores Lyſiam, Gracchos, Demoſthenem, Tullium: & ut ad Sacra aliquantulum declinemus, Epiſcopi, & Presbyteri habeant in exemplum Apoſtolos, Martyres, viroſque Apoſtolicos, quorum ſplendidum honorem poſſidentes, geſta heroica, ſapientiam, eorumque mundi contemptionem imitentur. Monachi ſui propoſiti Principes venerentur Paulos, Antonios, Julianos, Hilariones, Macarios, Baſilios, Benedictos. Et ut ad noſtra proximius accedamus, nos profeſſionis noſtræ Duces habeamus Dominicos, Petros Martyres, Aquinates, Raymundos, Vincentios, Antoninos, Ludovicos. Ad has petras, ex quibus ſumus exciſi, ad hæc exemplaria, quæ nobis Deus oſtendit, oculorum aciem convertamus oportet. Iſthuc animum ſuum inten-

Digitized by Google

intendebat, ut ceteros omittam, piiſſimus Pater Albertus Clavarus Decimus Ordinis noſtri Magiſter Generalis. & in ſingulis fere ſermonibus, quibus fratres ſuos imbuebat, banc illis ſententiam ferventi animo inculcabat: Mementote quomodo Patres noſtri ſalvi facti ſunt. *Quandoquidem ſi exempla omnia magna ad permovendos, defigendoſque animos virtute pollent, validiore profecto virtute & vi ea pollere debent, quæ Patres filiis & plurima, & pulcberrima reliquere. Ego, inquit Nazianzenus, cum Martyrum encomia lego, corpus aſpernor, & cum iis, qui laudibus efferuntur verſor, atque ad certamen excitor. Una ex præcipuis cauſſis relaxationis noſtræ eſt, quod ad eorum mores, & ſegnitiem, quibus cum vivimus vitam noſtram componimus; nibilque curamus ſcire, utrum viæ iſtorum, viæ ſint majorum noſtrorum. Cum tamen omnes graviſſima obſtringimur obligatione profeſſionis noſtræ debita, leges, & mandata tota mentis indagine inveſtigare; & non quo itur, ſed quo eundum eſt perpendere. Et tamen, quod nec verbis exprimi, nec lacrymis lugeri ſatis poteſt, tanta eſt quorundam cœcitas, ut obfirmato animo reſpuant, quæ ſint proprii ſtatus munia, quæve onera, inquirere, & edoceri. Qua de cauſſa non me fugit, quibuſdam regularis obſervantiæ oſoribus biſtoriolam banc moleſtam fore, ut ægris oculis infeſta lux eſt. Ceterum animum meum mirum in modum erigit, & omni me invidia liberat ipſemet Beatus Raymundus Generalis Magiſter primus collapſæ diſciplinæ noſtræ inſtaurator celeberrimus. Is namque omnes cavillos, ſopbiſmata, & vana commenta, quæ adverſus & reformationem, & reformationis auctores opponi ſolent, jam inde uſque ab anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo fuſo calamo in nibilum redegit, ut legentibus ejuſdem Apologeticum tractatum manifeſtum erit. Attamen neque ob id omnium cenſuras me evaſurum fore confido; illorum potiſſimum, qui ordinis decori minime arbitrantur conſentaneum, ſi illius diſciplinam alicubi collapſam, alibi reformatam, non omnes eadem ardere caritate, ſed aliquos a recta aberrare ſemita evulgetur. Ab iſtis quærendum cur Deus ſacris codicibus (quos imitari, quem pudeat) tot crimina vel ipſorum Propbetarum, & Apoſtolorum conſignari voluerit? In iſtos apte quadrare videtur ſententia Auguſtini enarratione in pſalmum undecenteſimum.* Falluntur homines, ut vel non ſuſcipiant meliorem vitam, vel temere aggrediantur: quia, & cum laudare volunt, ſic laudant, ut non ibi dicant mala, quæ mixta ſunt: ut & qui vituperare volunt, tam invido animo, & perverſo vituperant, ut claudant oculos adverſus bona: & ſola mala quæ ibi vel ſunt, vel putantur, exaggerant.

rant. Inde fit, ut unaquæque profeſſio male laudata, ideſt non caute laudata, cum invitaverit homines laude ſua, inveniant illi, qui illuc veniunt, aliquos, quales ibi eſſe non credebant, & offenſi a malis, reſiliant a bonis . . . Et iſte vituperator cœco animo tacet bonos, & ille laudator incauto animo tacet malos. Si autem ſic laudamus in hoc tempore Eccleſiam Dei, quomodo laudant Scripturæ Dei? Ecce quomodo nunc dixit: *Sicut lilium in medio ſpinarum, ſic proxima mea in medio filiarum*. Laudatores Clericorum intendunt ibi bonos miniſtros . . . . laudant hæc; obliviſcuntur quia mixti ſunt malis . . . Tu invide vituperas, & tu incaute laudas. Tu qui laudas, dic mixtos malos. Tu qui vituperas, vide ibi & bonos. *Illud itaque ſerio animo reputare debemus, nullam in Eccleſia Dei eſſe profeſſionem, quæ ſuos non habeat fictos alumnos, & omni in gradu, & ordine bona eſſe malis permixta. Propterea vehementer errant, & pernicioſiſſime fallunt æque illi, qui tantum bona, ac illi, qui tantum mala prædicant. Illud dumtaxat viro bono magnopere enitendum eſt, ut vitiorum commemoratio, fiat vitiorum remedium. Virtutes læto ac libero animo, crimina mœſto, & coacto indicare debemus. Ea ſilentio obvolvenda, ex quibus nulla ſolida capitur utilitas, ea vero, licet delicta ſint, deſcribenda, quæ magnum pariunt lectoribus commodum. Quorſum Beatus Raymundus Capuanus in ſuo laudato de reformatione tractatu adeo diſtincte vexationes, adverſitates, perſequutiones, quas in reparanda collapſæ diſciplinæ obſervantia pertulit; obſtacula, & adverſantium machinationes, quas profligavit, deſcribit, & Cardinali Oſtienſi exponit? Non profecto alio fine, quam, ut hinc nos poſteri patientiam perdiſcamus, ut exempla habeamus & nos promovendi invicta pectoris fortitudine diſciplinæ reformationem, & invidentium auſus, & fraudes propulſandi; ut ſciamus quid Conſilii capiendum, cui viæ inſiſtendum, quoties ſimilia occurrunt peragenda negotia; ut denique quid reſpuendum, quidve amplectendum ſit, innoteſcat. Non enim minus proponenda ſunt vitanda, quam imitanda exempla ait Livius in procemio ad librum primum*. Hoc illud eſt præcipue in cognitione rerum ſalubre, ac frugiferum: omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri; unde tibi, tuæque Reipublicæ, quod imitere, capias: Unde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. *Alterum, quod mihi ad hanc adornandam diſſertationem incitamentum injecit, illud fuit, quod hiſtoriæ diſciplinæ paupertatis, non parum accedit lucis ex univerſæ diſciplinæ reparatæ cogni-*

tio-

tione. Eo vel maxime, quod collapſæ diſciplinæ reformatio ab ipſa priſtinæ paupertatis renovatione initium duxit. Ex quibus palam fiet, Divum Patriarcham Dominicum, ut ſublimis ſuæ paupertatis perenni temporum ſucceſſione ſibi reliquiſſe hæredes; ita ſimiliter ſuarum omnium inſtitutionum exactos ſemper habuiſſe obſervatores. Illud unum admonere lectorem ſupereſt, me nunc de ſola reformationis origine ab Anno MCCCLXXXIX., *ad Annum uſque* MCCCXCIX., *quo obiit*, B. *Raymundus, verba facturum fore. Quin nec iſtius decennii plenam, cumulatamque notitiam adpromitto; quoniam plura documenta præſto non ſunt, quæ tamen, Deo favente, in hiſtoria Congregationum dabimus. Tu interim, humaniſſime Lector, hunc meum conatum, qualiſcumque ſit, benigno ſuſcipe vultu, atque ut eum æqui bonique conſulere non dedigneris, etiam, atque etiam oro. Vale.*

CA-

CAPUT PRIMUM.

Collapſæ in Ordine Prædicatorum diſciplinæ cauſſæ, & reformationis Origo.

I. UT rem a ſuo repetamus principio, Ordo Prædicatorum, quemadmodum ceteri Ordines omnes, Regna, & Imperia, ſua habuit incrementa, & decrementa. Primum Religionis noſtræ ſæculum cum dimidio in quatuor ætates tribuit Sebaſtianus Olmeda diligens rerum noſtrarum ſcriptor, in ſuo Magiſtrorum Generalium Chronico. Primam auream appellat, quam a Divo Patriarcha Dominico ad Joannem uſque Vercellenſem ſextum Ordinis noſtri Magiſtrum Generalem perducit. Auream eam vocat, propterea quod ſublimis diſciplinæ Sanctitas, quam Divus Patriarcha Dominicus præſcripſit, quamve verbo, & opere docuit, abſque ullius detrimenti veſtigio reſplenduit. Secundam argenteam vocat, quæ illud temporis claudit intervallum, quod ab Joanne Vercellenſi ad Albertum uſque Clavarum decimum Ordinis Magiſtrum Generalem fluxit. Tertiam æream fuiſſe aſſerit, quæ in Guarino de Giacco decimo nono Magiſtro Generali deſiit. Quartam tandem ferream compellat, quæ ſub hocce Generali Magiſtro incœpit, & longum in tempus perduravit. Non abs re erit, eorum, quæ in iſtius Generalis Magiſtri actis Olmeda habet, pauca iſthuc tranſcribere.
„ Verumtamen, inquit, quamdiu Curia in Galliis manſit, tam-
„ diu videbis Magiſtros cum Pontifice Gallos, Barnaba dem-
„ pto .... ſub iſto (Guarino) declinavit Ordo. Siquidem dira
„ peſtis per totum occidentem evagata multos e medio ſuſtulit
„ viros, qui in Ordine doctrina, & virtutibus pollebant. Re-
„ laxato quoque rigore in cibo, & aliis, ceſſante peſte, rigor
„ ille reparari non valuit ex ſupervenientium tepiditate, tem-
„ poris malitia, & humanæ conditionis fragilitate, qua etiam

„ non

„ non diu omnia in eodem ſtatu permanent, & per hunc modum omnes Religiones claudicaverunt a ſemitis ſuis; adeo ut „ adhuc ex toto prima ruina reparari minime potuerit. Creſcente quoque quæſtuantium numero, & refrigeſcente charitate „ multorum *in tantum Communitas ubique perierat, quod de* „ *communi non poterat Fratribus ſubveniri*. Et quamquam multoties in Capitulis injunctum fuerit Prioribus Provincialibus, „ & Definitoribus, ut adverſus hanc peſtem remedium opportunum excogitarent, & ad Capitulum ſequens traſmitterent: nullum adductum eſt adeo efficax, ut tantæ neceſſitati „ ordinis ſubveniri poſſet. Cœpit ergo *ætas ferrea*, dura, frigida, & vilis, quaque incude, & malleo opus erat. „

II. Sæviente itaque teterrima peſte anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octavo, quam jam inde uſque ab anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo quinto prædixerat Robertus Avenionenſis Ordinis Prædicatorum miraculis clarus, & Priſcorum Vatum ſpiritu afflatus, inquit Leander Albertus libro quinto de Viris illuſtribus, diſciplina tam Eccleſiaſtica, quam monaſtica ſummum detrimentum, ac ultimam pene jacturam paſſa eſt. Abſumpta enim Rligioſorum maxima multitudine, & potiſſimum ſenibus, optimiſque fratribus denatis, ne deſerta cœnobia incolis vacua remanerent, juvenes pietate, & litteris deſtituti, nullo delectu, recipiebantur. Porro ne juvenes indutam veſtem exuerent, Novitiorum Magiſtri remiſſa illos diſciplina inſtruebant. Eo autem animo, conſilioque imbecilli impuberum ætati carnium cibum, lineorum ad carnes uſum, a nocturnis laudibus Deo in choro perſolvendis diſpenſationem, privata peculia, aliaque multa permittebant, ut poſtmodum eoſdem provectiorem attingentes ætatem ad primævam vivendi diſciplinam revocarent, ſed ſua illos opinio fefellit; nimiſque ſero didicere ex epulis, otio, deliciis, laxaque juvenum inſtitutione, non niſi ſegnitiem, diſſolutionem, pravoſque alios fructus colligi poſſe. Nec enim adultam ingreſſos ætatem ab incœpto abducere potuerunt, licet oraverint, obſecraverint, & conſtitutiones majorum, & mandata patefecerint. Igitur, ſenibus illis vita functis, in iſtorum infidas manus ſacrarum legum, & cæremoniarum depoſita devenere. Heinc originem traxerunt *clauſtra & Conventualitas*, ut ajunt, eoquod nihil religionis præter clauſtrum, & Conventum emicaret, ut ait Pater Modeſtus Bilioctus in ſuo Chronico MSS. inſignis Cœnobii Florentini Sanctæ Mariæ Novellæ. En ejus verba ex capite 44. deſumpta. „ Defunctis itaque omnibus fere illis

„ integerrimis Patribus, ſucceſſerunt illi laxioris vitæ amatores,
„ qui, amiſſa obſervantia, nomenclatura Conventuales deinceps
„ appellati ſunt: ea fortaſſe de cauſſa, quod ſolummodo habi-
„ tum geſtent, & Conventum faciant; ſed vota, jejunia, vi-
„ gilias, abſtinentias, ſilentium, ceteraque, quæ majores noſtri
„ ſtatuerunt efficienda minime faciunt. Quocirca cum geſtarent
„ habitum appellati ſunt Fratres; ſed cum nihil Religionis,
„ præter Conventus habitationem præſtarent, amiſſa obſervan-
„ tium appellatione, & nomine, inhabitato Conventu, Con-
„ ventualium ſortiti ſunt nomen, quod utique licentiam, &
„ relaxationem ſonat „.

III. Accedit quod, præter peſtem majorem Europæ hominum partem devorantem, alia infeſtior calamitas Chriſtianum populum exagitaret, truculentiſſimum nempe ſchiſma, quod longo temporis ſpatio Romanam Eccleſiam in duas ſejunxit partes. Duo ſiquidem in Eccleſia Pontifices, & duo in Ordine noſtro Generales Magiſtri. Sub tot calamitatum, & miſeriarum graviſſimo pondere languente Eccleſia, languentibus omnibus ſacris Ordinibus, anno milleſimo treceteſimo octogeſimo, quo res noſtræ ad ultimum malorum fere devenerant, in Magiſtrum Generalem ordinis noſtri a Provinciis Italiæ, Germaniæ, Angliæ, Portugalliæ, Hyberniæ, Datiæ, Poloniæ, Boemiæ, atque Ungariæ, quæ Urbano VI. parebant, in comitiis Bononiæ celebratis electus eſt anno MCCCLXXX. Beatus Raymundus de Vineis, vulgo de Capua, eo quod in ejuſdem Civitatis Cœnobio veſtem religionis induerit, ut affirmant Magiſter Paulus Minerva in actis MSS. Virorum illuſtrium, Teodorus Valle ſecunda parte Virorum illuſtrium Provinciæ Regni, Jacobus Echard Tomo primo de ſcriptoribus Ordinis. Quare falluntur Ferdinandus Caſtilius ſecunda parte capite 62., & Michael Pius parte ſecunda, libro ſecundo, eundem aſſerentes Filium Conventus Bononienſis. Ut enim obiter dicam, quin ab inſtituto multum declinem, ſatis probabile eſt, tunc temporis affiliationum legem invectam minime fuiſſe in Ordinem. Primo ſiquidem Religionis noſtræ ſæculo, nullam iſtius legis fieri mentionem neque in conſtitutionibus, neque in Capitulis Generalibus exploratum eſt. Periodus vero illa: *Conventus autem ſuus ille dicitur, cujus eſt filius*, quæ legitur in Textu ſecundo *Diſt. 1. cap. 7. Conſt.* inſerta fuit, non ante annum præter propter MCCCCXX. In antiquo enim codice Toloſano, quem penes me habeo, periodus hæc omnino deſideratur. Affirmat quoque P. Vincentius Fontana

tana

tana in laudato Tomo Conſtitutionum verbo de *Epiſcopis pag.* 259. ſub initium Religionis noſtræ legem affiliationum non fuiſſe conditam. *Quia tunc temporis*, inquit (nempe anno MCCLXVIII.) *non erant in Ordine noſtro inſtitutæ affiliationes*. Lex itaque iſta originem duxit ex ipſius Ordinis relaxatione. Deſolatis namque Cœnobiis, & bonorum communitate penitus pulſa, ut ait Sebaſtianus Olmeda, cum ipſo peculio domorum quoque proprietas prodiit. Quoniam ex bellorum, peſtis, & ſchiſmatis cladibus ruentibus cœnobiis, ut vitæ ſuæ conſulerent fratres, alio ſe ſe recipiebant. Quapropter Patres in Comitiis Generalibus congregati, ut majus malum evitarent, decreverunt ſingulis fratribus ſuam peculiarem domum aſſignare, ejuſdemque filios conſtituere, ut hoc privilegio devincti eam incolerent. Gnari, quod non raro validius pro focis, quam pro aris pugnatur. Sed quorſum alio nolentes abrepti ſumus? ad rem noſtram ergo redeamus.

IV. Capitulum Generale Bononienſe, renunciato in Magiſtrum Generalem Beato Raymundo Capuano, confeſtim alium Magiſtrum Generalem Eliam Toloſanum, cui parebant Provinciæ Hiſpaniæ, Franciæ, Scotiæ, Aragoniæ, & Regni, tamquam ſchiſmaticum, licet virum pietate, & ſapientia clarum, declaravit, & a ſua præfectura deturbavit. Is nihilo ſecius in ſuo perſtitit regimine ad annum uſque MCCCLXXXIX, quo vitam ſimul & officium cum morte commutavit. Eo demortuo, in ejus ſucceſſorem laudatæ Provinciæ elegerunt Patrem Nicolaum de Troja, cui poſt tres annos defuncto, ſucceſſit Nicolaus de Valliſoleto Provincialis Hiſpaniæ, qui, quadriennio regiminis expleto, extremum clauſit diem. In ejus locum ſubſtitutus fuit Pater Joannes de Podio, qui pluribus annis eaſdem Provincias rexit. Ad priſtinam tandem tranquillitatem, ſupremo favente Numine, reſtituta Romana Eccleſia, Martini quinti in Summum Pontificem felici electione, & in Epiſcopum Catanenſem dato laudato Joanne de Podio, quemadmodum Chriſti Eccleſia, ſumma Dei Miſericordia, unico Paſtore donata fuit; ſic Ordo noſter univerſus uni Magiſtro Generali Leonardo Dato Florentino obedientiam, & obſequium præſtitit. Si iſtarum omnium calamitatum iliadem: ſi immaniſſimam peſtem ſuper univerſam Europam effuſam, ac ex decem, novem viventium partes, ut inquit Divus Antoninus, ceterique hiſtorici, abſorbentem, Vicos, Pagos, Urbes, Provincias, & Regna depopulantem: ſi bellorum incendia, ſi luctuoſiſſimi ſchiſmatis diſſidia

Digitized by Google

evangelicum gregem in contrarias, invicemque adverſantes, factiones abſtrahentia: Si Cœnobia partim deſerta, partim juvenibus laxa imbutis diſciplina, deſidibus, illitteratis, ad diſſolutionem, & vitia pronis, repleta: Si, inquam, malorum iſtorum illuviem animo reputaverimus, nulla nos ſubibit admiratio, quod Monaſticæ diſciplinæ obſervantia defecerit, quod ſanctitatis ſplendor tenebris obductus fuerit: Sed e contrario Infinitam Dei clementiam humili, gratoque animo revereri nos convenit, quod Evangelica Navis tot ventorum impetu, tot tempeſtatibus, procellisque conflictata, ſubmerſa non fuerit. Et quod magis, magiſque in Divinæ Bonitatis admirationem rapere nos debet, eſt, tot inter denſiſſimas tenebras, non modo Ordo noſter non occidiſſe, ſed veluti ſol exoriens priſtinos radios ſin minus in totum, ſaltem in partes effudiſſe.

CAPUT II.

B. Raymundus reformationis fundamenta primum in Germania ponit. Legem in Comitiis Generalibus condi jubet, qua ſingulis in Provinciis unum, vel plura cœnobia pro regulari obſervantia deſignari præcipitur. Statutum iſtud ſuis litteris, Pontificio diplomate firmatis, univerſo Ordini indicit.

I. SImulatque Ordinis clavum tenuit B. Raymundus Generalis Magiſter, ejuſdem inſtaurationem, ſeraphica Catharina Senenſi, cui erat a Sacris confeſſionibus, conſulente, ingenteſque animos, cœleſtium auxiliorum ſponſione faciente, aggreſſus eſt. Arduum, ac præſtantiſſimum facinus a Conventuum viſitatione cœptavit. Haud eſt facile dictu, quot ſub hoc Generali Magiſtro viri Sanctitate, zelo, fortitudine, & ſapientia clariſſimi in medium invicto pectoris robore erupperint, & manus, ſuppetiaſque obtulerint ad reformationis graviſſimum negotium promovendum. In Hiſpania Thaumaturgus Vincentius Ferrerius, ejuſque Diſcipuli Petrus Cerdanus, Michael Pages. In Germania Conradus de Pruſſia, Franciſcus Retza; in Italia Catharina Senenſis, Joannes Dominici, Marcolinus, Robertus Neapolitanus, Thomas Ajutami Criſto, Thomas Senenſis, Nicolaus Ravennatenſis, Antonius Forоju-

Digitized by Google

rojulienſis, aliique plurimi pietate, & miraculorum patratione ſplendidiſſimi. Illos in diverſas Provincias diſtribuit Raymundus, ut Domum Dei, omni ex parte, quoad fieri poterat, repararet. Ex plurimis, qui ſub Magiſtro Raymundo Ordini noſtro reformando ſedulam navarunt operam, primum ſibi vendicat locum Beatus Conradus de Groſſis Prutenus inſignis mirabilium prodigiorum patrator, de quo ut oculatus teſtis hæc ſcribit Raymundus ipſe in ſuo de reformatione tractatu. *Reperi Fratrem nomine Conradum de Pruſſia hominem nimis laudabilis vitæ, ac maximæ famæ in tota Alemannia, qui majorem fructum animarum fecit ſolus, quam omnes alii Religioſi cujuſcumque Religionis ſimul.*

II. Porro præfatus Conradus a Generali Magiſtro Germaniam viſitanti licentiam impetravit Cœnobium Columbarienſe, Baſileenſis diœceſis, reformandi. Non modo votis annuit ſupplicantis piiſſimus Generalis, ſed adjutrices manus porrexit, illumque in hoc reformationis negotio Præfectum omni ſua poteſtate ornatum inſtituit. Is triginta commilitonum, qui eodem regularis diſciplinæ ardore flagrabant, ſtipatus caterva, laudatum cœnobium ad priſtinam vivendi formam revocavit felici eventu. Thomas Antonii Senenſis in ſuo codice de Reformationis origine tempus, quo Conradus obſervantiæ regularis primordia in Cœnobio Columbarienſi poſuit, illigat anno MCCCLXXXIX. *Sit notum*, inquit, *omnibus*, *& maxime Venetis hujuſmodi infraſcripta legentibus, ſeu audientibus qualiter circa Annum Domini MCCCLXXXIX. incœpta eſt aliqualis Ordinis Prædicatorum reformatio in partibus Alemanniæ per quemdam Reverendum Patrem Fratrem Conradum Teutonicum de voluntate, & ordinatione Reverendiſſimi Patris, tunc Magiſtri Raymundi de Capua dicti Ordinis Prædicatorum Generalis*. Idem adfirmat Leander Albertus libro primo de Viris illuſtribus pag. 44. Ut autem incœptam reformationem felicius promoveret, & propagaret Raymundus, legem in Comitiis Generalibus edi curavit, ſeu ſibi eam ferendi poteſtatem dari obtinuit, qua ſingulis in Provinciis unum vel plura Cœnobia, in quibus refloreat Regulæ, & conſtitutionum obſervantia, deſtinari præcipitur. Statutum ſuis litteris per univerſum ordinem promulgavit; atque, ut roboris firmitatem adjiceret, diploma Pontificium a Boniſatio IX. Summo Pontifice anno 1391. cui ſuæ litteræ inſertæ ſunt, impetravit. Ut res tota claro in lumine ponatur, Apoſtolicam conſtitutionem deſcribere lubet.

BO-

BONIFATIUS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei.

III. IIs, quæ Religionis conſervationem, & augmentum concernunt, libenter intendimus, & eis Apoſtolicæ ſedis munimen impertimur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti Filii Raymundi, Magiſtri Or-
„ dinis Fratrum Prædicatorum, petitio continebat, quod, cum
„ dudum ipſe ſuum Ordinem viſitaret, reperiit inter cetera mul-
„ tos Fratres ejuſdem Ordinis devotionis fervore accenſos, deſi-
„ derantes regularem obſervantiam per Beatum Dominicum, &
„ alios antiquos Fratres ejuſdem Ordinis ordinatam ſervare ad
„ unguem; qui conſiderans quod dictorum Fratrum deſide-
„ rium, ſalva conſcientia, impedire non poterat, nec debebat,
„ immo firmiter putans, ſe reum coram Deo, niſi eos juvaret,
„ & promoveret ad perfectionem hujuſmodi eorum deſiderii tam
„ laudabilis, per dilectum Filium Conradum de Pruſſia ejuſdem
„ Ordinis profeſſorem, virum utique vitæ commendabilis, ac fa-
„ mæ laudabilis, in partibus Alemanniæ incepit, prædictos Fra-
„ tres, ut præfertur, ſic deſiderantes, in Provincia Teutoniæ
„ ſecundum conſuetudinem dicti Ordinis congregare, & jam in
„ loco dicti Ordinis ſito in Columbria, Baſilien. Diœceſis, cir-
„ ca triginta Fratres congregavit, quibus idem Magiſter dictum
„ Conradum præpoſuit, qui Conſtitutiones dicti Ordinis inte-
„ graliter obſervant cum effectu, & adeo Prædicationi Verbi
„ Dei exemplo dicti Beati Dominici virtuoſe inſiſtunt, quod de
„ tota patria circumſtante concurrunt homines ad audiendum
„ doctrinam eorum, quam factis etiam virtuoſe confirmant.
„ Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prædictus
„ Raymundus, qui, ut aſſerit, per decem annos, & ultra,
„ dictum Ordinem gubernavit, propoſuerit hoc idem facere,
„ ſeu ordinare in qualibet Provincia dicti Ordinis, videlicet, quod
„ in qualibet ex dictis Provinciis ſit pro Regulari obſervantia
„ unus locus dicti Ordinis, in quo regularis obſervantia ejuſdem
„ Ordinis ſecundum inſtituta B. Dominici prædicti ſervetur ad
„ unguem, juxta tenorem prædictarum Conſtitutionum, de mul-
„ torum Fratrum ejuſdem Ordinis conſilio, & aſſenſu, tam au-
„ ctoritate officii ſui, quam generalis Capituli ejuſdem Ordinis
„ulti-

„ ultimo celebrati, ſibi commiſſa, per ſuas certi tenoris litteras „ ordinavit, ſtatuit, & decrevit, ac mandavit, quod infra an„num a notitia litterarum ſuarum hujuſmodi Priores Provincia„les, ſeu Præſidentes in ſua Provincia ordinent, & taliter fa„ciant, quod in ſua Provincia ſit unus locus deputatus ad hu„juſmodi obſervantiam regularem, in quo poſſint ad minus vi„vere duodecim Fratres Ordinis prælibati, qui dictas Conſtitu„tiones ad unguem, prout in dictis litteris plenius continetur, „ ſervent, pro parte ipſius Raymundi nobis extitit humiliter „ ſupplicatum, ut ordinationem, ſtatutum, & decretum, ac „ mandatum hujuſmodi, & quæcumque inde ſecuta, rata habe„re, & grata, illaque auctoritate Apoſtolica confirmare de be„nignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſup„plicationibus inclinati, ordinationem, ſtatutum, decretum, & „ mandatum prædicta, ac omnia, & ſingula in prædictis litte„ris contenta, quarum tenorem de verbo ad verbum præſenti„bus inſeri fecimus, rata habentes, & grata, illa auctoritate „ Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio com„munimus. Tenor autem dictarum litterarum talis eſt. *Uni„verſis, & ſingulis Prioribus, Provincialibus, ſeu Præſidentibus, „ in quibuſcumque Provinciis, tam præſentibus, quam futuris, „ Ordinis Fratrum Prædicatorum, Frater Raymundus ejuſdem „ Ordinis humilis Magiſter, & ſervus, ſalutem, & Chriſtum „ Dominum efficaciter imitari*. Quanto inſufficientiorem ad re„gimen tanti Ordinis me conſpicio, tanto magis neceſſitatem „ video ad laborandum ſollicite pro ipſius Ordinis reformatione, „ & augmento. Sane, cum reformationis vocabulum proprie „ dicat primæ formæ reaſſumptionem, nullam viam invenio me„liorem, ipſum Ordinem reformandi, quam ſi mentis oculis „ reſpicimus ad Petram, unde exciſi ſumus, & ad Cavernam „ laci, de qua præciſi ſumus, ad Abraham ſcilicet multarum „ gentium Patrem, Beatum Dominicum, qui virtute Spiritus „ genuit nos, & ad Saram, videlicet Sacram Religionem, per „ Sanctos Patres ordinatam, quæ peperit nos. Iis diligenter „ attentis juxta gratiam mihi datam, & dum Ordinem viſita„rem inventis quampluribus Fratribus, qui ferventer deſide„rant reduci ad primam formam obſervantiæ regularis, per „ Beatiſſimum Patrem noſtrum Dominicum inchoatam, & per „ Sanctos ſucceſſores ejus poſtmodum conſummatam, poſt longi „ temporis deliberationem, & multiplicem habitam collationem „ cum Fratribus magis timentibus Deum, decrevi omnino,

„ tam

„ tam pro inceptione reformationis totalis, quam pro ſatisfa-
„ ctione ſancti deſiderii Fratrum Prædicatorum taliter ordina-
„ re, quod in qualibet Provincia ſæpe dicti Ordinis ſit ad mi-
„ nus unus Conventus, in quo regularis obſervantia teneatur ad
„ unguem juxta noſtrarum Conſtitutionum tenorem & formam.
„ Quam ob rem de multorum Fratrum, Deum timentium, &
„ Religionem noſtram ferventer diligentium, non tantum conſilio,
„ & aſſenſu, ſed etiam inſtantia, & ſupplicatione ferventi, omni
„ modo, & via, quibus melius poſſumus, tam auctoritate offici mei,
„ quam Capituli Generalis ultimo celebrati, mihi commiſſa, ordino,
„ ſtatuo, & decerno, ac nihilominus Vobis, ac cuilibet veſtrum præ-
„ cipio, in virtute obedientiæ promiſſæ, & Spiritus Sancti, per quem
„ filii Dei aguntur, & aggregantur, quatenus infra annum a
„ notitia præſentium, quilibet veſtrum ordinet, & taliter faciat
„ in Provincia ſua, quod ſit ibi unus Conventus deputatus ad
„ obſervantiam regularem, in quo poſſint vivere ad minus duo-
„ decim Fratres, & deinde Fratres voluntarios ad dictam ob-
„ ſervantiam ibidem aſſignet, uſque ad numerum prætaxatum,
„ vel amplius, ſi tot ſibi Deus dederit inveniri; ſin autem, il-
„ los, quos invenerit, aſſignet in dicto Conventu, in quo ſer-
„ vetur ad unguem, ut dictum eſt, tenor Conſtitutionum no-
„ ſtrarum, & obſervantia regularis, ſicut in ipſis Conſtitutioni-
„ bus eſt expreſſa. Fratres autem jam in quibuſdam Conventi-
„ bus Provinciarum noſtrarum per me ad hanc regularem ob-
„ ſervantiam congregatos, & eorum Præſidentes per me depu-
„ tatos, nullo modo moleſtare aut impedire quomodolibet præ-
„ ſumatis; immo ipſos adjuvetis, & foveatis, ac in ſancto pro-
„ poſito confirmetis, juxta gratiam vobis datam. Ceterum qui-
„ cumque veſtrum, quod abſit, ex notabili negligentia, vel,
„ quod deterius eſſet, ex propoſito, dicto meo præcepto ino-
„ bediens fuerit, poſt annum ſuperius taxatum, ſe noverit ab
„ officio Prioratus, ſi fuerit Prior Provincialis, aut Vicariatus,
„ ſi fuerit Vicarius Provinciæ, abſolutum in pœnam, & inha-
„ bilitatum per decem annos ad idem officium reaſſumendum,
„ quem, vel quos, dicti præcepti mei tranſgreſſorem, vel tranſ-
„ greſſores, ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex
„ nunc, modo, quo ſupra dictum eſt, abſolvo, & inhabilito
„ per præſentium tenorem. In quorum omnium teſtimonium
„ præſentes patentes litteras fieri feci & ſigillo Ordinis noſtri mu-
„ niri. Datum Romæ anno Domini milleſimo trecenteſimo no-
„ nageſimo, die primo Menſis Novembris. Nulli ergo &c. Da-
„ tum

Digitized by Google

„ tum Romæ apud S. Petrum v. Idus Januarii, Pontificatus „ noſtri anno ſecundo. „

IV. Quo autem anno celebratum ſit Capitulum Generale, a quo Raymundus poteſtatem obtinuit unum, vel plura in quaque Provincia Cœnobia pro regulari obſervantia inſtauranda deſignandi, non una eſt Auctorum ſententia. Quidam volunt id ſtatutum fuiſſe in Capitulo celebrato Viennæ Auſtriæ anno MCCCLXXXVIII. Thomas Senenſis expreſſe aſſerit Magiſtrum Generalem hanc facultatem accepiſſe a Capitulo Generali anno MCCCXC. En illius verba. *Magiſter Generalis anno Domini* 1390. *obtinuit a Capitulo Generali quod in qualibet Provincia Ordinis unus ſaltem Conventus ſtatueretur, in quo vigeret obſervantia Regularis. Propter quod ordinavit idem Magiſter hoc ipſum per patentes ſuas litteras eodem anno, concurrentibus etiam litteris Apoſtolicis Bonifatii Papæ noni, in quibus dicti Reverendiſſimi Ordinis litteræ extant inſertæ executioni debitæ demandandæ, collatione cum diſcretis Patribus tam intra, quam extra Ordinem, cum ceteris venerandis Eccleſiæ Prælatis, prius ſuper hæc habita diligenti*. Alii ſcribunt Capitulum Generale celebratum eſſe non anno 1390. ſed anno inſequenti nempe 1391. Utcumque res iſta ſe ſe habeat, non tanti eſt, ut longiorem de ea inſtituamus diſputationem.

CAPUT III.

Reformationis obſtacula, querelæ, & calumniæ adverſus Raymundum. Is prolixa Apologia omnia convellit.

I. REFORMATIONIS oſores, ut in ea vivendi libertate, laxaque diſciplina, qua educati fuerant, perſeverare valerent; ſimul ac per Ordinem promulgatum fuit Magiſtri Generalis ſtatutum, quanquam Apoſtolica Conſtitutione firmatum, nullum non moverunt lapidem, nulloque dolo pepercerunt, ut vanum illud redderent, & inane. Enim vero neque creditu, neque dictu facilia ſunt, quæ adverſus cum reformationem, tum Sanctum Reformatorem excogitarunt. In primis, ut validius, unaque impune odii, invidiæque tela jacerent, protectionem nanciſci curarunt Philippi de

Alenconio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Patriarchæ Aquilejenſis, cui Magiſter Generalis ſuas litteras, Pontificis conſtitutionem, omniaque ad hoc negotium pertinentia, communicaverat, tanquam ſingulari amico, & protectori, a quo, data occaſione, auxilium in tam arduo negotio accipere poſſet. Qua de cauſſa optime ſuæ deſperatæ cauſſæ verti exiſtimarunt invidi, ſi a Raymundi fœdere tantum virum ſejungerent. Quod, ut reipſa perficerent, præfato Cardinali exquiſita calliditate repræſentarunt incœptam reformationem univerſo Ordini infeſtam eſſe, atque exitialem: ſchiſma luctuoſiſſimum invehere, Fratres in diverſas factiones, & ſectas abſtrahere. Fieri enim nequit, effutiebant, ut totus Ordo ſimul ad priſtinum reſtituatur ſplendorem. Igitur ſi in aliquibus dumtaxat Cœnobiis diſciplina inſtauratur, Ordo erit partim reformatus, partim deformatus. Denique Reformationem diſciplinæ novum eſſe inventum antiquioribus Patribus incognitum, atque infirmæ mentis partum concludebant. Adverſus porro Raymundum Magiſtrum Generalem virum ſapientia, & pietate clariſſimum, rerum gerendarum dexteritate inſignem, Principibus, Regibus, ac ſummis Pontificibus percarum, & in maxima habitum veneratione, quæ dicteria, quæ commenta indigna non evulgarunt? Illum jejunia quotidie frangere, ſelectiores exquirere epulas, cæremonias & conſtitutiones Ordinis negligere, ſcandalaque in populis concitare, diſſeminabant. His falſis criminibus ad veri ſimilitudinem quam maxime confictis, aures nacti ſecundas, tantam in invidiam & odium, Dei ſervum adduxerant, ut jam res e ſententia fluere, & reformationis cauſſa deſperata videbatur. Deceptus ſiquidem Cardinalis tot adverſariorum machinationibus, ſiniſtram de Magiſtro Generali conceperat opinionem, atque diſciplinæ inſtaurationem impedire decreverat. Verum Raymundus fretus tum claro ſuæ conſcientiæ teſtimonio, tum cauſſæ ſuæ manifeſta juſtitia, totam perſequutionis procellam invito animo ſuſtinuit, omneſque inimicorum impetus confregit. Ut enim a ſe averſum perſenſit Cardinalem Oſtienſem prolixam ſcripſit Apologiam, quam illi in formam ſupplicis libelli porrexit. Hæc omnia narrat in ſuo codice Thomas Senenſis, & laudatam Apologiam integram refert, quamve iſthuc, licet edita reperiatur apud Fontanam, tranſcribere congruum judicavi. Eſt autem ſequentis tenoris.

Re-

Reverendiſſime Pater, & Domine.

„ II. QUIA Dominatio veſtra videtur eſſe informata, quod
„ illa ſupplicatio, quam porrexi pridie Dominationi
„ veſtræ, cedit in malum, vel in dedecus, aut diviſio-
„ nem Ordinis mei, ſupplico Dominationi veſtræ quod attende-
„ re dignetur ad infraſcripta. Primo autem ad majorem decla-
„ rationem narrabo motiva, quæ me moverunt: Poſtmodum
„ ad rationes reſpondebo, quæ fiunt in oppoſitum, & oſtendam
„ ex qua radice procedit contradictio, ſeu murmuratio Fratrum,
„ quibus non placet hoc ſanctum opus, qui etiam movent alios
„ ad loquendum, vel obloquendum.

„ Et primo noverit veſtra Paternitas veneranda, quod ſicut
„ in ſupplicatione prædicta breviter enarratur. Ego eundo per
„ Ordinem & viſitando, ut moris eſt, inveni in multis provin-
„ ciis per gratiam Dei Fratres quamplures Dei ſervitio perfecte
„ deditos, & charitatis zelo accenſos, qui deſiderabant toto cor-
„ de Deo ſervire in obſervantia regulari juxta inſtitutiones, ſeu
„ Conſtitutiones Ordinis noſtri, & ſecundum formam a Beato
„ Dominico, & aliis Sanctis Patribus tradita. Inter quos repe-
„ ri quendam Fratrem nomine Conradum de Pruſſia, hominem
„ nimis laudabilis vitæ, ac maximæ famæ in tota Alemannia:
„ Qui majorem fructum Animarum fecit ſolus, quam omnes alii
„ Religioſi, cujuſcumque Religionis ſimul. Hic habens multos
„ Fratres imitatores ſui, petivit a me, quod deberem aſſignare
„ aliquem Conventum, in quo poſſet cum talibus habitare, ubi
„ non impediretur ab aliquo tam in Dei ſervitio, quam in Ani-
„ marum fructu. Ego autem conſiderans, quod Frater, qui ju-
„ vatur a Fratre quaſi Civitas firma; & quod Congregatio Fi-
„ liorum Dei, fuit cauſa Paſſionis Salvatoris, teſte Joanne E-
„ vangeliſta: Item attendens quod pauca grana, vel ſemina ſi
„ bene colantur, multos, & magnos fructus faciunt, & quod iſto
„ exemplo multi alii attrahentur ad idem, non volens eis dene-
„ gare, quin commoditatem haberent ſervandi ea, quæ a San-
„ ctis Patribus ſunt inſtituta; conceſſi eis illud, quod petebant,
„ intendens inſuper illos eoſdem, poſtquam firmati eſſent in ob-
„ ſervantia regulari, diſpergere per diverſos Conventus, ut eſ-
„ ſent quaſi condimentum aliorum, & ſic Ordo totus firmare-
„ tur, atque reformaretur abſque coactione quacumque, ſubro-

„ gando illis, qui diſperſi eſſent, alios in eodem Conventu qui
„ interim ſtuderent perfectæ obſervantiæ, & poſt profectum ipſi
„ etiam diſpergerentur, ſicut ſui prædeceſſores. Et ſupplico Re-
„ verendiſſime Domine, quod in hoc videatis imaginationem
„ meam. Quælibet Provincia habet in Ordine meo Conventum,
„ in quo eſt aſſignatum ſtudium generale; & ſi volunt, & ſi no-
„ lunt, oportet ut proficiant in ſcientia, & poſtquam ibi profe-
„ cerunt ſiunt Lectores, & Baccalaurei per diverſos Conventus.
„ Et iterum alii mittuntur loco illorum & ſic efficiuntur Fratres
„ ſcientifici. Quare, obſecro, non poſſet ſic fieri de obſervantia
„ regulari, ſicut de ſcientia? maxime cum ſcientia inflet, obſer-
„ vantia vero regularis ædificet? Hoc etiam in iſtis temporibus
„ non eſt inconveniens; quia notorium facti, & juris eſt, quod
„ omnes Religiones ſunt relaxatæ nimis; laborare igitur ad ea-
„ rum reformationem non poterit eſſe, niſi laudabile; hæc eſt
„ enim ſcientia Sanctorum, alia vero eſt ſcientia communis, tam
„ ſanctorum, quam reproborum. Si ergo licet pro communi ſcien-
„ tia eligere Conventum, quare non licet pro illa, quæ eſſe non
„ poteſt, niſi ſanctorum de veriſimilitudine facti loquendo? Mul-
„ ta alia etiam circa hoc poſſunt dici, quæ non ſunt ſcripta, &
„ ſunt multum neceſſaria, quæ tamen judico ſilentio tranſeunda
„ pro meliori. Nunc autem iſtud ſufficiat pro motivo. Sed re-
„ ſtat reſpondere ad alia, & ad primum quod:

„ Objicitur quod ex hoc Ordo dividitur. Reſpondetur ad iſtud,
„ quod, ſalva ſemper reverentia dicentium, ipſi non videntur in-
„ telligere quid ſit diviſio, loquendo de illa diviſione, quæ ha-
„ bet deſtruere. Omnis enim congregatio multitudinis ſit ſemper
„ ad aliquod unum (alias non eſſet congregatio abſque unitate)
„ puta ad unum actum, ad unum propoſitum, ad unum locum,
„ ad unum hominem, ſicut multi ſcholares congregantur in una
„ ſchola ad audiendum unum Magiſtrum. Milites multi congre-
„ gantur in uno loco ſub uno vexillo, & uno Capitaneo ad fa-
„ ciendam unam victoriam. Et ſic de aliis. Religionum autem
„ congregatio (quæ ſecundum Beatum Auguſtinum ſit charitatis
„ unione, clamante prophetica illa voce: *Ecce quam bonum*,
„ *& quam jucundum habitare Fratres in unum &c.*) Semper ſit
„ ſub uno determinato modo vivendi, & ut in pluribus ſub uno
„ determinato duce, & Sancto, cujus actibus pariter, & do-
„ ctrina, ceteri inſtruuntur & informantur de vitæ regularis mo-
„ do, & forma. Sicut fuerunt primo Baſilius, poſtea Auguſti-
„ nus, demum Benedictus, & reliqui. Religio autem Prædica-

„ to-

Digitized by Google

„ torum, licet fuerit congregata ſub regularitate Regulæ Beati „ Auguſtini, habet tamen ſuum proprium determinatum modum vivendi, per quem differt a ceteris regulam tenentibus; „ & hic vivendi modus ſcriptus eſt in conſtitutionibus ipſius „ Ordinis, quarum primus inſtitutor, & ordinator exiſtit Beatus Dominicus; qui etiam ejuſdem Ordinis Dux fuit, & fundator. Quamobrem unitas, ſeu unum, ad quod, vel ad quam „ eadem Religio congregatur, conſiſtit præcipue in uno fundatore, ſcilicet Beato Dominico, & in uno modo vivendi, qui „ continetur in Conſtitutionibus ſæpe dictis. Dicere ergo quod „ Fratres, qui volunt ſervare dictum modum vivendi, & Beatum Dominicum imitari, dividunt Ordinem; eſt ſicut dicere, quod milites, qui ſequuntur vexillum, & obediunt Capitaneo, deſerunt, & dividunt Campum, vel exercitum; & „ ſicut dicere, quod ſcholares, qui libenter vadunt ad ſcholam, & audiunt magiſtrum, deſtruunt ſtudium, qui dividunt „ ſe ab illis, qui nolunt venire ad audiendum magiſtrum in „ ſcholis. Manifeſtum eſt enim cuilibet utenti ratione, quod „ accedentes ad unitatem, in qua, vel ad quam congregatio fit, „ non dividunt, ſed uniunt; non diſgregant, ſed congregant; „ non deſtruunt, ſed conſtruunt, quod jam erat deſtructum.

„ Verum contra reſponſionem iſtam replicant communiter; „ (& eſt ſecunda ratio contradicentium, qui ſapientes, aut „ prudentes volunt ab aliis reputari juxta exiſtimationem ipſorum.) Dicunt enim: Non eſt hodie tempus fervoris illius primæ inceptionis hujus Ordinis: nec poteſt totus ſimul ſic corrigi, vel reformari; ſed oportet, quod ſuſtineamus multorum „ defectum, & communis modus vivendi, qui modo eſt, non „ mutetur, potiſſime hujus ſciſmatis tempore, quo vix licet „ fide integra vivere: alias timendum eſt, ne volendo reformare, totaliter deformemus; & conatum noſtrum, quem ob ſalutem facimus, in perniciem convertatur. Item cum non ſit „ poſſibile, citra Deum, quod Ordo ſimul reformetur totus, „ alias ſemper inter iſtos erit diviſio, ſcilicet inter illos, qui „ ſervabunt quæ debent, & alios, qui non ſervant: & ſic „ vel erunt duo Ordines, vel uterque patietur confuſionem.

„ Reſpondetur ad iſtam rationem (quæ eſt Achilles eorum) „ breviter. Primo, quod primum motivum forte recte concluderet, ſi vellemus ad hanc obſervantiam aliquem cogere: „ cum igitur precipue faciamus hoc condeſcendendo precibus „ rogantium, & nullum arctando, ceſſat quidquid adducitur

„ de

„ de ſciſmate, vel de ſcandalo, nec in perniciem poteſt deve„ nire, quod voluntarie obtinetur: nam eſt manifeſtum in ſe „ quod hoc non poteſt juridice dici.

„ Secundum autem motivum, quod eſt totum fundamentum „ contradictionis in facto iſto, & procedit magis ex proprio „ zelo, quam ex communi, ut infra patebit, nullum fulcimen„ tum rationis habet, nec habere poteſt, ſi quis vult diligen„ ter advertere: ex ipſo enim formaliter ſequitur, quod nullus „ Rector iſtius Ordinis debet unquam attentare, nec etiam co„ gitare de reformatione ipſius Ordinis: nam arguo ſic: Impoſſi„ bile eſt, citra Deum, quod totus Ordo ſimul reformetur: ſi „ autem pars reformetur, erit diviſio inter reformatos, & non „ reformatos; ergo numquam cogitemus de hoc, niſi quod ex„ pectemus, quod Deus totum faciat ſimul. Alias non appona„ mus manum.

„ O ſi ſancti Apoſtoli timuiſſent hoc, ſcilicet ne pone„ rent, vel poſuiſſent diviſionem inter Chriſtianos, & Paga„ nos, profecto de cetero numquam aliquem convertiſſent, nec „ etiam inſtruxiſſent. O ſi ſancti Paſtores, & doctores hoc „ attendiſſent, numquam profecto aliquem inſtruxiſſent: quia „ vero intellexerant Verbum veritatis, quod non venerat pa„ cem mittere, ſed gladios inter bonos, & malos; ideo fa„ ciendo quod debebant, non curabant, ſi qua ex hoc di„ viſio ſequeretur. Nec ſequitur, ſalva eorum reverentia, quod „ fierent duo Ordines, & confunderentur ambo: imo ubi mo„ do ſunt centum, quorum quilibet facit quod ſibi placet, „ efficiuntur paulatim unum per unitatem obſervantiæ unius uni„ formiter ſcriptæ, ubi non ſequuntur proprias, & diverſas „ voluntates, ſed unam ſtatuentem, & ordinantem, & tunc „ erit unum ovile, & unus Paſtor. Nec putet aliquis quod „ velimus unum tantum Conventum reformare, quia cum uno „ incipitur, ſed ſperamus in authore omnis boni, quod poſt „ debile principium fortuna melior ſequatur.

„ Sicut fuit ſuperius ſufficienter explanatum: ſicut enim ſecun„ dum Gregorium, Nemo repente fit ſummus; ſic etiam nulla „ Congregatio bona repente perficitur; quod clare patet in con„ gregatione Filii Dei, quam fecit, quæ a principio fuit parva „ numero, & debilis in virtute, & poſtmodum taliter crevit, „ ita quod totum mundum convertendo mutavit. Beatiſſimus „ igitur Pater noſter Dominicus in principio habuit paucos Fra„ tres, & non multum ſufficientes, poſtea taliter creverunt, „ quod

„ quod totam Eccleſiam illuminaverunt, tam in Vita, quam
„ Doctrina. Cum igitur omnis congregatio bona fiat per tem-
„ pus, & tempora, fatuum eſt expectare quod Deus faciat
„ ſimul totum: & per conſequens vanum erit cuilibet de re-
„ formatione hujus Ordinis cogitare. Si autem dicatur per op-
„ poſitum ſentientes, quod erit confuſio nimis magna ceteris,
„ qui non erunt de talium obſervantium numero: nam per
„ ſæculares palam, & ad digitum oſtendentur illi, qui ob-
„ ſervabunt tamquam boni, & illi, qui non obſervabunt tam-
„ quam mali.

„ Reſpondendum eſt iſtis dupliciter: Primo quod raro ſunt
„ Civitates, in quibus ſunt duo Conventus, & ideo ubi erunt
„ obſervantes, nullus erit non obſervans, & in pluribus:
„ quia hoc eſt de noſtra intentione, ſcilicet, quod in Con-
„ ventu ubi erit hujuſmodi obſervantia, nullus alius Frater ha-
„ bitet; alias unus alium impediret, & tunc bene ſequeretur
„ illa diviſio, ſeu illa confuſio, de qua dicunt; ſed ut di-
„ ctum eſt, aliud eſt noſtrum intentum, ſcilicet quod obſer-
„ vantes ſint ſoli.

„ Reſpondetur etiam ſecundo: quod, ſalva reverentia eorum,
„ numquam propter hoc alii reputabuntur ribaldi, vel mali:
„ quia non ſequitur: Iſte eſt melior illo, ergo iſte eſt ma-
„ lus; nam tota die videmus, quod in diverſis locis, & Con-
„ ventibus ſunt aliqui excellentes Fratres, quidam in ſcientia,
„ quidam in ſanctitate Vitæ; & tamen non propter hoc alii
„ reputantur ignorantes, vel mali, imo ſanctitas, vel ſcientia
„ illorum cedit in honorem omnium Fratrum, & totius Ordi-
„ nis, & omnes alii gloriantur de eis: Unde & ſanctum Do-
„ ctorem vocamus in antiphona: laudem, & gloriam Prædica-
„ torum Ordinis.

„ Nec valet ſi dicatur, quod unus, duo, vel tres non faciunt
„ regulam, quia indubitanter quanto plures Sanctos haberemus,
„ tanto magis Ordo eſſet honoratus, & reputatus; nec eſſet ſi-
„ gnum, quod alii eſſent mali; imo magis eſſet ſignum bonita-
„ tis omnium, quanto plures invenirentur ibi boni. Nonne ſi
„ Ordo Prædicatorum haberet centum Sanctos Canonizatos, vel
„ ducentos, eſſet longe magis reputatus, quam nunc; & omnes
„ ſinguli Fratres Prædicatores reputarentur ex hoc meliores? A-
„ periant igitur oculos, & videant, quod quanto plura indivi-
„ dua inveniuntur perfecta in una ſpecie, tanto forma univerſa-
„ lis denotatur eſſe perfectior, quam tamen omnia individua par-
„ tici-

„ ticipant. Et ſic omnia individua inde ſpecificata reputantur „ meliora, & magis honorantur, ſeu caripenduntur. Sicut au- „ tem hæc eſt vere phiſice, ſic etiam eſt moraliter. Advertant „ etiam, quod ipſi debent gloriari de bona diſpoſitione Fratrum „ ſuorum, & gaudere, quia non poteſt de hoc eis reſultare ni- „ ſi bonum: alias ſi dolerent, vel inviderent, imitarentur, quod „ abſit, Caim, quia turbatus eſt præcipue quia Frater ſuus erat „ bonus, & Deo gratus, de quo debebat contra ſe rationabili- „ ter turbari, quia erat malus, & non contra bonum Fratrem; „ & ſi hoc feciſſet, perveniſſet ad bonum ſtatum Fratris ſui, nec „ commiſiſſet tantum ſcelus, quantum commiſit.

„ Attendant rurſus, quod Omnipotens Deus, qui ſolus dat ſpi- „ ritum bonum timentibus, & invocantibus ſe, ſua inæſtimabili, „ & ineffabili providentia creavit hominem naturaliter ſociabi- „ lem, quod unus juvat alium ad ea, quæ ſunt hujus vitæ, ſic „ providit, quod ſpiritualiter, quod alter juvatur ab altero, ut „ ſpiritus, qui datur uni proficit alteri, ſicut patuit de Sanctis „ Apoſtolis, qui tantam receperunt abundantiam Spiritus San- „ cti, quod ad impoſitionem manuum ipſorum dabatur Spiritus „ Sanctus aliis. Unde Sancta Mater Eccleſia confitetur Sancto- „ rum communionem inter articulos fidei. Et ſancti viri vellent „ ſemper, quod omnes alii haberent abundantiam gratiarum, „ ſicut patet Num. XI. Dixit Moyſes, ut omnis populus habe- „ ret Spiritum Sanctum, & prophetarent contra illos, qui vo- „ lebant, quod duo prophetantes ceſſarent, & compeſcerentur „ ut tacerent. Quod ſi omnino eſt aliquis, qui non vult gaude- „ re, ſed dolere de bono Fratrum ſuorum, quia honorantur „ magis ab hominibus, quam ipſe: Accedat & ipſe ad eos, & „ vivat cum eis, & honorabitur etiam cum eis. Hoc enim ge- „ rimus, ut exemplo ceteri moveantur ad idem, & ſic totus „ Ordo voluntarie reformetur. Sed non faciant ſicut Simon Ma- „ gus, qui volebat gratiam Apoſtolorum, ſed nolebat vivere ſi- „ cut Apoſtoli, & ideo volebat pecunia comparare donum Spi- „ ritus Sancti, quod potuiſſet habere, ſeu habuiſſet, ſi voluiſſet „ vitam Apoſtolicam imitari. His omnibus, ſi non nimium fal- „ lor, confutatis rationabiliter.

„ Una tamen eſt, quæ militat contra me præcipue. Non va- „ lentes enim quidam negotium impugnare, quia faciem habet „ ſanctitatis, & bonitatis, retorquent ſuum cuſpidem contra fa- „ ciem ferientis, dicentes:

„ Si

„ Si Magiſter vult Ordinem reformare, potius deberet ſeipſum
„ reformare, & ipſe per ſe conſtitutiones ſervare, & poſtmo-
„ dum aliis, ut ſervent mandare. Nam turpe eſt Doctori &c.
„ Si ergo ipſe circumeundo Ordinem exempla oſtenderet talis ob-
„ ſervantiæ, & poſtea mandaret, quod alii eum imitarentur, tunc
„ haberent colorem bonum talia ordinandi: ſed nunc videndo
„ quod ipſe comedit, & bibit ſicut ceteri, & de ceremoniis Or-
„ dinis modicum in ſe oſtendit exemplum, turpe videtur, & fi-
„ cticium, quod velit tales obſervantias ordinare, & tales refor-
„ mationes inchoare, cum ipſe non ſit melior prædeceſſoribus
„ ſuis, qui fuerunt temporibus noſtris, & attentatio novitatum vi-
„ detur eſſe præſumptionis filia per Doctores.

„ Ad hanc rationem procul dubio alius melius reſponderet,
„ quam ego, quidquid enim dicam erubeſcere me oportet. Si
„ enim concedam quod dicunt; culpa rubet vultus meus. Si
„ negem, aut opera mea ceteris nota, aut proprii oris laus ve-
„ recundiæ ruborem adminiſtrabit, vel adminiſtrabunt. Quamo-
„ brem libet dicere cum Bernardo in lib. de conſideratione, Par-
„ cendum verecundiæ meæ; ideoque potius ſilere deberem, &
„ flere, quam aliud dicere:

„ Verum ne te verecundia mea retrahat a tam pio negotio,
„ reſpondebo, ut potero: Defectuoſum me fateor, Peccatorem
„ me non nego, inſufficientem ad tantum regimen me appello;
„ ſed neque propter hoc in hujuſmodi boni operatione deſiſtam.
„ Eſto quod ſint omnia vera, quæ de me dicunt, ac etiam plu-
„ ra. An propter hoc debeo addere mala malis, ut qui per me
„ non ſervo, debeam alios impedire ſervare volentes? Nonne pro
„ peccato omiſſionis veritas ipſa in die judicii dicet hominibus
„ prædictis: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare &c.* Quid-
„ quid ergo mali peccator fecerit, non propter hoc debet o-
„ mittere, ut paſcat famelicum, potet ſitibundum &c. Alias ad-
„ det mala malis; Non eſt ergo mihi bonum conſilium dicen-
„ tium: Quod quia ego non facio, facientibus non debeo con-
„ ſentire. Non enim audeo me dicere, me hujus facti motorem,
„ ſed bene motui aliorum conſentientem, ſicut in ſupplicatione
„ mea dixi, reputarem me reum coram Deo niſi &c. Præterea,
„ qui etiam ſi bonus non ſum, numquid propter hoc bonos de-
„ beo impedire? Et quomodo poſſum negare ſubdito meo volen-
„ ti ſervare quæ ſcripta ſunt, conſilium, auxilium, & favorem?
„ Nonne Dominus in numero illorum me poneret, quibus dicit
„ in Evangelio: Væ vobis &c. qui nec vos intratis, nec alios in-

V „ tra-

„ trare permittit in regnum cœlorum. Ab hac ſententia caveant „ contradictores, ſi velint, quia ego volo caviſſe.

„ Ceterum dicunt quod comedo, & bibo ſicut ceteri.

„ Reſpondebo huic objectioni cum Domino Salvatore, qui Matthæo atteſtante dicebat: cui ſimilem exiſtimabo generationem „ iſtam: ſimilis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantibus „ coæqualibus dicunt, cecinimus vobis, & non ſaltaſtis, lamentavi- „ mus, & non planxiſtis: Venit enim Joannes neque mandu- „ cans, neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet. Venit Filius „ hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vo- „ rax, & potator vini. Veniunt hi Filii Sancti Dominici non „ manducantes, & dicunt, Dæmonium habent. Mihi manducanti „ detrahunt, illos qui volunt non manducare, ſeu jejunare quæ- „ runt impedire. Quos ergo volunt promovere? aut quid dicent „ illis, quos commendabunt? Audeo dicere, quod ſi ego non „ fuiſſem hucuſque non manducans cum eis, jam vocaſſent me „ fatuum, fantaſticum, & forſan arreptitium: non enim ſum „ Sanctus ſicut Chryſoſtomus, & tamen ipſe quia non manduca- „ bat cum clericis fuit bis depoſitus de Patriarchatu, non ab hæ- „ reticis, ſed a catholicis. Sed unum eſt quod admiror, quod „ jejunantes in nullo ſcandalizantur de manducatore: manducan- „ tes autem mecum detrahunt mihi: hoc genus non videtur „ prædixiſſe Apoſtolus, cum dixit: *Qui manducat, non man- „ ducantem non ſpernat, & qui non manducat, manducan- „ tem non judicet*. Nunc autem, qui manducat manducanti de- „ trahit.

„ Verum ut ſcandala puſillorum horum, qui ut non ſint de il- „ lis parvulis, quos occidit invidia, neceſſitatum me video ad „ detegendum defectus meos: Fateor, quod, peccatis meis exi- „ gentibus, omnipotens Deus me flagellat quotidie, licet non „ appareat deforis, cum corporis debilitate, itaut jejunium ſit „ mihi adeo contrarium, quod vel impoſſibile, vel ſit mihi ni- „ mis difficile jejunare; debilitate namque ſtomachi, & capitis „ vexor quaſi continue, & quandoque paſſus ſum ſincopin in ju- „ ventute mea, & quandoque febres ex jejunio, nec diffiteor, „ quin probaverim, & attentaverim multis vicibus contra infir- „ mitatem meam jejunare, & ſi de quingentis vicibus dicerem „ forſitan non de multo errarem, nec unquam habui notitiam „ alicujus perſonæ timentis Deum, quam non conſulerem ſuper „ hoc, & omnes una voce reſponderunt, quod amplius non de- „ beam conari. Novit etiam illa veritas, quæ nec fallit, nec

„ fal-

„ fallitur, quod hic dolor ineſt quaſi continue cordi meo, & „ quod non tantum ter ſicut dicit Apoſtolus, ſed innumeris vicibus tam per alios, quam per me Dominum rogavi, & tamen „ nec adhuc merui exaudiri, niſi quod quandoque Beatiſſima „ Virgo Maria in ſuis vigiliis mihi conceſſit gratiam jejunandi.

„ Hæc voluerunt ſcire detractores mei, & coegerunt me detegere turpitudinem meam, ut per hæc corrigantur: quia mihi dulce erit admodum, ſi confuſio mea eis fuerit medicina: „ Utinam ſatiati opprobrio meo reſipiſcant ab impedimento bonorum. Quis mihi det ut guloſitas mea fiat jejunantibus occaſio pacis; forſitan ſic ero particeps & ego manducans jejunii „ illorum, ſi manducationis meæ turpitudo quieſcere faciat detractores eorum.

„ Poſtremo dicunt, & bene, quod ego deberem circumeundo „ Ordinem bona exempla dare, & ſic Ordinem reformare.

„ Fateor: verum dicunt, nec eſt quod contradicere audeam „ virtuoſæ ſententiæ. Puto tamen ſi hoc ſolus facerem, ſociatus longe melius, & perfectius faciam. Si enim cum bono „ exemplo unus homo faceret, quanto magis ſi centum hoc faciant? Imo centum abſque uno facient hæc melius, quam unus abſque centum. Et hoc eſt quod dico, vel quæro ut habeam multos „ mecum dantes exemplum ad hoc. Sed ſi opponunt ſe illis centum, quid facerent contra unum? Forſitan experientia me docuit, quod unius exemplum non ſufficit. O me miſerum de quot „ bonis agendis, & de quot malis vitandis, ſeu fugiendis ſunt data a multis exempla bona, & non profecerunt! Coegerunt me „ ſupra detegere fœda mea, nunc cogunt me ut detegam inſipientiam meam. In quo quis eorum audet in inſipientia, audeo & ego. Exemplum honeſtatis dederunt, & ego. Et nedum abſceſſi a malo, licet velut inſipiens dicam, ſed ab omni „ ſpecie mali. Exemplum humilitatis dederunt, & ego. Exemplum obedientiæ dederunt, & ego; ut minus ſapiens dico, „ plus ego. Non recolo me dum parui, nedum rebelaſſe, ſed „ nec reſtitiſſe Prælato, me livide perſequenti, ſed potius elegiſſe honoris, & Perſonæ pericula, quam in obedientiæ malum, aut obedientiæ fugam. Propter quod forſitan omnipotens „ Deus ordinavit, ut mihi aliqui obedirent. Ecce ſtultus factus „ ſum, & inſipiens, fateor ipſi me coegerunt; ab aliis ſibi debuerunt hæc dici; ſed legem non habet neceſſitas, ipſi cogunt, „ & ipſi audiant: Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti „ ſicit, quod non mentior. Elegi potius quandoque intrare car-

„ cerem, quam fugere Prælatum tunc perſequentem, ut mihi re-
„ ferebatur, ſed mitigavit eum Dominus, nec tam acriter per-
„ ſequutus eſt, ſicut fueram informatus, vel ſicut forſitan pro-
„ poſuerat. Si ſtulte gloriari oportet non expedit quidem. Ve-
„ niam ad dilectionem, & charitatem Fratrum. Si non dedi eis
„ exempla, & documenta mutuæ charitatis, ipſe judicandus
„ ſum, nedum a Domino, non tantum a Prælatis, & Superio-
„ ribus, ſed a vilioribus Ordinis mei: Ipſos autem detractores
„ ad hoc voco in teſtes, ſi non ſuſcepi infirmos, ſi non conſo-
„ latus ſum puſillanimes, ſi diſcordantes non conatus ſum con-
„ cordare. Reſpondeat mihi cras, non juſtitia, ſed injuſti-
„ tia mea: plura enim poſſem addere; niſi enim eſſem inſipiens
„ veritatem etiam dicerem. Parco autem, ne quis exiſtimet, me
„ jactantiæ ſpiritu, aut ſuperbiæ faſtu loqui; nullatenus autem
„ aſſero ſupradicta, quin hæc, quæ pertuli juncta fuerint mul-
„ tis defectibus meis, & infinitis negligentiis meis. Sed ad hoc
„ oſtendendum adduxi, quod videlicet unius exemplum non adeo
„ eſt efficax, ut videntur aſſerere, quantumcumque ſit virtuoſus
„ ad trahendum unam multitudinem ita cito. Quod patuit cla-
„ re in Beato Paulo Apoſtolo, & Joanne Evangeliſta, & in ip-
„ ſo omnium Salvatore, qui conquerebatur Philippum alloquens
„ in Joanne. *Tanto*, inquit, *tempore vobiſcum ſum, & non co-
„ gnoviſtis me? &c.* Quod ſi hoc in tam viridi, & ſuperfructifero
„ ligno feciſtis, quid in aridiſſimo fiet? Permittant igitur Do-
„ minum operari virtutes ſuas, ſuoſque conjungi ſibi, quia du-
„ rum eſt eis contra ſtimulum calcitrare, nec poſſent impedire
„ quod divina Sapientia ordinavit. Magis autem diſponant ſe ad
„ ſequendum Sanctorum veſtigia, & recipiant gratiam Domini
„ non in vacuum, ſed in benedictione æterna. Amen.

C A-

CAPUT IV.

Raymundus diſciplinam in Italia reparat B. Joannis Dominici de Banchinis opera. Reformationis primordia in Cœnobio S. Dominici Venetiarum.

I. Cardinalis Oſtienſis, lecta magiſtri Generalis Apologia, confeſtim falſas inſidiatorum accuſationes, criminationeſque cognovit, & priſtino in Raymundum ſuccenſus amore, eidem ſuam opem, auxilium, protectionem ad præclarum reformationis facinus promovendum, ſpopondit, & reipſa præſtitit. Hac ratione machinamenta, quæ diabolus ad retardandam, atque adeo præfocandam in ſuo ortu reformationem artificioſe paraverat ea ipſa, rem Numine bene vertente, in ejus decus, & incrementa ceſſere. Nam Raymundus, & Pontificis, & Cardinalium præſidio roboratus, operiſque Sanctitate fretus, poſt ſtabilitam in Germania Reformationem, eamdem in Italia propagare aggreditur. Ut votis ſuis faceret ſatis, opuſque exequutioni facilius demandaret, ex variis Provinciis probatiſſimos fratres ſelegit, quorum præfectum inſtituit Beatum Joannem Dominici. Reformationem auſpicari mandavit in Urbe Venetiarum, ceteris Italiæ civitatibus poſthabitis, ſive quod ad pietatem pronior, ſive quod amplificandæ reformationi opportunior. Duo tunc ibidem ordinis Cœnobia: primum Sanctorum Joannis & Pauli, alterum Sancti Dominici de Caſtello, quod tamen in Conventum, quem vocant collegiatum, ſeu Prioralem nondum erectum erat; ſed titulo vicariatus hærebat Conventui primo Sanctorum Joannis, & Pauli. Parvulam hanc Domum Sancti Dominici de Caſtello in qua fundamenta regularis obſervantiæ jaceret, delegit Joannes Dominici, de quo hæc ſcribit Sanctus Antoninus 3. *p. hiſt. tit.* 23. *cap.* 12. *§.* 3. *Ingratitudinis argui poſſem ſi oblitus invenirer illius Magnifici, & per omnia laudabilis viri, qui me ſuæ Doctrina prædicationis ad Religionem, de qua ſermo extat, traxit, Dominum dico Fratrem Joannem Dominicum de Florentia Cardinalem Raguſinum ..... Hic Joannes fuit ille primus ſuſcitator obſervantiæ regularis in Italia, quæ jam collapſa erat in ordine Prædicatorum, eam incboans in Conventu Sancti* Domi-

Digitized by Google

Dominici Veneto cum quibuſdam in Sancto propoſito adhærentibus ; cujus odor vitæ adeo diffuſus eſt per orbem , ut in proceſſu temporis multiplicati ſint Conventus , & reformati ad vitam regularem complures in Provincia Romana & Longobardiæ ſuperioris , & inferioris , & in Regno Siciliæ .

II. Præfatum Cœnobium Sancti Dominici pro inchoanda reformatione delectum , dirutum fere erat , antequam ad complementum perductum fuiſſet . Ex relaxata ſiquidem diſciplina , non ſolum domus ſpiritualis ruina conſequitur , ſed ipſa materiata ædificia , & cetera omnia temporalia ad malorum extremum prolabuntur . Quare tum diſciplinam regularem , tum Cœnobii parietes proximam ruinam prodentes inſtaurare opus fuit . Quæ omnia perfecit B. Joannes Dominici una cum ſociis , atque Prioratus , ut ajunt , titulo præfatam domum donavit , eamque pro plurium Religioſorum inhabitatione amplificavit . Quandoquidem , effuſo per urbem obſervantiæ monaſticæ odore , & in dies latius manante , pii fideles erga quaſi renaſcentem ordinem miro obſequio ferebantur . Nam innumeri juvenes , vel ex inſignioribus Patritiæ Nobilitatis familiis Patriarchæ Dominico in dicto cœnobio nomina dabant ; ceteri vero fideles tantam eleemoſinarum copiam erogabant fratribus , ut illi ipſi potuerint , ut infra dicemus , plura florenorum millia majori Conventui Sanctorum Joannis , & Pauli ſuppeditare ad plura ædificia vel inſtauranda , vel amplificanda . Tempus , quo primum reformatio Venetiis floruit , illigant Auctores omnes menſi ſeptembris anni milleſimi trecenteſimi nonageſimi primi . Rem totam verbis ipſius Thomæ Senenſis oculati teſtis deſcribam . „ Quibus Litteris (inquit in ſuo codice) „ dictus Dominus [Cardinalis oſtienſis] reformatus taliter poſt- „ modum eſt ſequutum , quod dicti ordinis reformatio , ſe- „ quenti anno videlicet MCCCXCI., & de Menſe Septem- „ bris in Conventu Beati Dominici de Venetiis , qui tunc erat „ deſolatus, ex toto accepit exordium per Reverendum Patrem „ Fratrem Joannem Dominici de Florentia , cum quo ſe tunc in- „ venerunt infraſcripti Patres , & Fratres, videlicet quidam Re- „ verendus Pater Frater Robertus de Venoſa Nobilis parentelæ , „ & ſingularis ſanctitatis, & famæ : & Reverendus Pater frater „ Petrus de Aquila ambo de provincia Regni : Fratres Cle- „ mens , & Guido de Reggiolo, de Conventu Florentinæ, Pro- „ vinciæ Romanæ . Frater Hieronymus de Flagno de Provincia „ Dalmatiæ , & Frater Joannes de Camereno de Provincia tunc Lom-

„ Lombardiæ inferioris. Et alii communiter de Menſe Februa-
„ rii venerunt de Provincia Romana, Reverendus quidam
„ Pater Frater Thomas Ajutami Criſto de Piſis præcipuæ Re-
„ ligionis factus Prior in dicto Conventu Sancti Dominici per
„ Reverendum Magiſtrum eorum ſupradictum, & cum eo,
„ aliqui Fratres juvenes, videlicet: Frater Bartholomæus de
„ Piſa, Frater Benedictus, & Frater Baſilius de Florentia
„ eodem etiam anno, cum tamen intraſſet annus MCCCXCII.
„ non ſolum intravit Ordinem in dicto Conventu Sancti Domi-
„ nici quidam Nobilis dictus Frater Joannes Benedicto de Vene-
„ tiis, ſed adhuc duo ſæculares de ſtudio Bononienſi, quorum
„ unus dictus eſt Frater Nicolaus Magiſter Joannis Phiſici de
„ Ravenna, & alius Frater Angelus de Camareno; & quidam
„ alii de Venetiis, videlicet Frater Antonius Corario, Frater
„ Nicolaus Magiſter Jacobi & Frater juſtus. Venit etiam ibi-
„ dem quidam Reverendus Pater Joannes de Duratio de Provin-
„ cia Dalmatiæ, qui Epiſcopatui renunciavit odore obſervantiæ
„ regularis allectus. Et de Provincia Romana Reverendi Patres
„ Frater Paulus Ugolinus, & Frater Franciſcus de Urbe Veteri,
„ Frater Philipus de Apulia de Provincia Regni, & Frater An-
„ tonius de Civitato. Et poſtea ibi receptus eſt ad Ordinem Fra-
„ ter Hieronymus de Terviſio, & alii. Frater Bartolus de Ca-
„ tenis de Provincia Lombardiæ Superioris, Frater Antonius de Ve-
„ nuſio de Provincia Regni, & alii. „ Ex quibus evaneſcit du-
bitatio eorum, qui fluctuant utri Conventuum Venetorum,
an Sanctorum Joannis & Pauli, an Sancti Dominici accenſe-
ri jure profeſſionis debeat *Joannes Benedictus* electus Patriarcha
Gradenſis. Manifeſtum ſiquidem eſt ex Thoma Senenſi, illum
anno MCCCXCII. in præfato Sancti Dominici Cœnobio Or-
dini noſtro nomen dediſſe. Ad Conventum deinde Sanctorum
Joannis, & Pauli ſe contulit, ibique per aliquot annos moratus eſt,
ut collapſam diſciplinam ſimul cum aliis ſociis reformaret, de
quo capite ſequenti. Colligitur quoque non anno milleſimo nona-
geſimo primo præfatam Domum Sancti Dominici erectam fuiſſe
in Conventum Prioratus titulo inſignitum, ut ſcribit Auctor,
qui monumenta ejuſdem Cœnobii in lucem emiſit, ſed anno ſe-
quenti milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſecundo. Quippe Pa-
ter Thomas Ajutami-Criſto, qui primus Prior inſtitutus fuit,
menſe duntaxat Februario, poſt inchoatam Menſe Septembri re-
formationem, Venetias appulit.

CA-

CAPUT V.

Diſciplinæ Regularis inſtauratio in diſſita Italiæ Cœnobia, & in alterum Venetum SS. Joannis, & Pauli, propagatur.

I. CUM renaſcentis diſciplinæ regularis fama, bonuſque odor in dies latius permanaret, illius cultores variis Italiæ locis vehementer expetebantur. Et quoniam in ſolo Veneto Sancti Dominici Conventu adeo multiplicati erant, ut alio Colonias deſtinare poſſent, reipſa ad alia reformanda Cœnobia acceſſerunt. Primum quod reformare aggreſſi ſunt, fuit illud Foſſæclodiæ totum fere dirutum propter bellum Venetos inter, & Januenſes. Primi reformatores fuerunt Robertus de Venoſa ex Provincia Regni miraculis clarus, & Paulus Ugolinus de Urbe Veteri ex Provincia Romana præclaris pariter virtutibus eximius. Duo tantum ibidem Fratres morabantur ante reformationem, diſciplina regulari, & temporalibus bonis deſtituti. Reformato Cœnobio, primus præfuit Robertus, cui paulo poſt ſucceſſit Paulus Ugolinus, Prior ejuſdem Conventus inſtitutus. Ut autem invecta reformatio altiores ageret radices, neve Provinciales eam aliquo prætextu interturbare, aut impedire auderent, confeſtim Raymundus Magiſter Generalis Cœnobium illud ademit Provinciæ Langobardiæ, ſubjecitque Vicariæ præfecturæ, quam ſuis litteris patentibus delegavit Joanni Dominici, quemadmodum antea eidem ſubjecerat venetum Cœnobium Sancti Dominici. Litteras, quæ authenticæ adſervantur in archivo Conventus Sancti Dominici Venetiarum, quaſve edidit P. Dominicus Armanus iſthuc tranſcribo. „ *In Dei* „ *Filio ſibi cariſſimo Fratri Joanni Dominici de Florentia Vica-* „ *rio in Conventibus Venetis Ord. Prædicatorum Frater Raymun-* „ *dus ejuſdem Ordinis humilis Magiſter, & ſervus ſalutem &* „ *Chriſtum Dominum efficaciter imitari*. Quia ſumme mihi eſt „ cordi tentoria filiorum B. Dominici dilatare; & vos propter „ multitudinem Fratrum, quam habebatis in Conventu Sancti „ Dominici de Venetiis, cujus idem Conventus capax non erat, „ aliquos ex ipſis fratribus de licentia Provincialis Provinciæ „ Lombardiæ inferioris ad Conventum Clugienſem noviter tran-

„ ſtu-

„ ſtuliſtis ; ne dicti Fratres ſic translati poſſint quomodolibet „ moleſtari , aut a Divino ſervitio impediri, vos in dicto Conventu Clugienſi tenore præſentium inſtituo meum Vicarium „ ſpecialem : concedens vobis omnem auctoritatem in eo, quam „ vobis conceſſi , & commiſi per alias meas litteras in Conventu Sancti Dominici ſupradicto, cum omnibus clauſulis & poteſtatibus in litteris prædictis expreſſis . Nolens, quod aliquis „ me inferior vos valeat, ſeu audeat in executione dictarum auctoritatum quomodolibet impedire . In cujus rei teſtimonio „ præſentes patentes litteras fieri feci , & noſtri Ordinis ſigillo „ muniri . Datum Romæ die xv. Julii anno Domini MCCCXCII. „ Ex his collige ad reformationis progreſſum neceſſario Conventus reformatos ſubducendos eſſe a poteſtate Provincialium laxioris diſciplinæ , & peculiari præfecto ſeverioris diſciplinæ ardore flagranti ſubjiciendos , rem totam moderante Magiſtro Generali . Hac via reformationem promovit Beatus Raymundus primus diſciplinæ collapſæ inſtaurator. Sed de hoc infra.

II. Reformatis duobus Cœnobiis Veneto, & Clugienſi, Tifernum, ſeu Civitatem Caſtelli petiit, Magiſtro Generali Raymundo jubente, Joannes Dominici cum duodevigiuti fratribus, ejuſdemque Civitatis Conventum reformavit, plaudentibus Civibus, illique gratias maximas pro tanto beneficio rependentibus. Vertit enim tum in ſpirituale , tum in temporale Civitatum commodum ſummum obſervantia diſciplinæ regularis. Reſtituta ibidem ad priſtinum ſplendorem collapſa diſciplina, Venetias veſtigia relegit Joannes Dominici; ſummamque cepit lætitiam, quod reperiiſſet , non modo Fratres ſuos magnopere proficere in obſervantiæ Monaſticæ cultu ; ſed vel ipſos ſæculares, tam viros, quam mulieres plurimas ſeverioris diſciplinæ fervore ardere. Quare , ut piarum quoque mulierum votis faceret ſatis, Peruſium proficiſcitur ad Bonifacium IX. Summum Pontificem, a quo bullam obtinet, qua Monaſterium Corporis Chriſti, non ita pridem ſub Regula Sancti Benedicti erectum , poſſet ſub regula Divi Auguſtini, & Inſtitutiones Sororum Ordinis Prædicatorum redigere. Bulla data eſt anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio, die vigeſima Januarii. Eam tranſmitto, tum quod habetur in Bullario Ordinis Tomo II., tum quod eſt præter inſtitutum . Deſcribam potius litteras patentes, quibus Magiſter Generalis Raymundus eandem facultatem Joanni Dominici præfato impertitur; ne quidquam, quantum per me licet, eorum quæ tam celebris Generalis ſcripſit, perire ſinam. „ *In Dei filio ſibi*

„ *Reverendo Fratri Joanni Dominico de Florentia Vicario in Con-*
„ *ventibus Venetis & Clugienſi Provinciæ Lombardiæ inferioris ac*
„ *in Conventu Caſtellano Provinciæ Romanæ Ordinis Fratrum Præ-*
„ *dicatorum Fr. Raymundus ejuſdem Ordinis humilis Magiſter, &*
„ *ſervus ſalutem, & Chriſtum Dominum efficaciter imitari.* Quam-
„ vis per conſtitutiones noſtri Ordinis ſit expreſſe inhibitum, ne
„ aliquis Fratrum curam mulierum ipſi Ordini noſtro procuret
„ propter multiplicia ſcandala, quæ quandoque ſequuntur: quia
„ tamen ubi fructus animarum, & ſalus manifeſte apparet, non
„ debemus nos retrahere a labore, potiſſime cum Ordo noſter
„ ſecundum dictarum conſtitutionum tenorem noſcatur inſtitutus
„ pro animarum ſalute, vobis, de cujus zelo erga eandem ſalu-
„ tem animarum experimentaliter ſum longo tempore informatus,
„ nec eſt mihi dubium, quin prudenter, & diſcrete vos habea-
„ tis in omnibus, ſicut ſemper hactenus habuiſtis, præſentium
„ tenore committo plenarie vices meas omni modo, quo melius
„ poſſum, & valeo, quatenus vice mei poſſitis (præſuppoſita
„ ſemper Apoſtolicæ Sedis licentia) in inclita Civitate Venetia-
„ rum recipere unum locum, ſeu Monaſterium & ibidem con-
„ gregare Sorores, quæ regulam Sancti Auguſtini, ac conſtitu-
„ tiones aliarum Sororum noſtro Ordini commiſſarum juxta modum
„ conſuetum profitentes, obſervent, ſecundum gratiam a Domi-
„ no ſibi datam. Ceterum quia conſtat mihi, quod nuper ſu-
„ per dicto Monaſterio recipiendo Bullas Apoſtolicas impetraſtis,
„ quarum tenorem non vidi, ad habendam tamen cautelam, vo-
„ bis, & cunctis præſentes litteras inſpecturis, notifico earum-
„ dem tenore, quod nullatenus intendo, ſicut nec valeo ab Apo-
„ ſtolicæ conceſſionis, ſeu diſpoſitionis tenore, quomodolibet de-
„ viare. Quinimmo ipſis Apoſtolicis litteris, quantum poſſum, hu-
„ militer, me conformo, & vobis mando diſtrictius, quod eas
„ in omnibus obſervetis, & ſecundum illarum formam transfero
„ in vos, & vobis committo plenarie vices meas, ut abſque di-
„ minutione quacunque poſſitis omnia, & ſingula facere in re-
„ ceptione, ordinatione, & congregatione tam Monaſterii, quam
„ Sororum ſupradictarum, quæ ego facere poſſem, ſi præſens
„ eſſem; etiam ſi mandatum exigeret ſpeciale, prohibens cui-
„ cumque me inferiori, quod vos in prædictis non valeat impe-
„ dire quoquomodo: decernens & irritum, & inane quidquid
„ per quemcumque me inferiorem contra præſentem commiſſio-
„ nem, & conceſſionem fuerit attentatum. In quorum omnium te-
„ ſtimonium præſentes patentes litteras fieri feci, & noſtri Or-

„ di-

„ dinis ſigillo muniri. Datum Romæ die decima Menſis Maji „ anno 1393. „ Ex inſcriptione tum iſtarum, tum aliarum litterarum, quas ſupra deſcripſi colligi poſſe videtur, Joannem Dominici jam inde uſque ab anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo primo inſtitutum fuiſſe Vicarium utriuſque Cœnobii Veneti, ut ambo ad reformationem revocaret. Utraque enim Epiſtola ſic ſcribitur. *Joanni Dominico Vicario in Conventibus Venetis Ordinis Prædicatorum*.

III. Peruſio Venetias ſine mora repetiit B. Joannes Dominici, atque de reformando Cœnobio Sanctorum Joannis, & Pauli conſilium iniit. Paucis poſt menſibus ab ejus reditu celebratum eſt Capitulum Generale in præfato Conventu Sanctorum Joannis & Pauli, quod cetera inter, ejuſdem Cœnobii reformationem præſcripſit, Antonio Venerio Venetorum Duce erga Prædicatorum Ordinem ſummopere affecto, & univerſo Senatu id poſtulante, ob maximam dicti Cœnobii relaxationem. Diſſolutionem ſiquidem Religioſorum ſemper exiſtimarunt Principes veram politicam tum civilem, tum Chriſtianam callentes, ceu ſuorum Civium, & principatuum teterrimam peſtem ob populorum ſcandalum, & ipſius Religionis periculum maximum, quod inde conſequitur. Capituli Generalis ſtatutum menſe Auguſto ejuſdem anni milleſimi trecenteſimi nonageſimi tertii executioni demandatum fuit. Eo ſiquidem menſe, Joannes Dominici ex Conventu Sancti Dominici ejuſdem Civitatis, duodecim ſociis adſcitis, præfatum Cœnobium Sanctorum Joannis, & Pauli ad exactam regulæ & conſtitutionum obſervantiam revocavit. Pater Dominicus Armanus amiciſſimus noſter, atque de ſuo Cœnobio Sancti Dominici optime meritus præcipue, ut cetera omittam, quod ejuſdem Conventus monumenta ſelecta ſumma diligentia digeſta, & eruditis animadverſionibus illuſtrata in lucem emiſit, paragrapho quarto ſui libri falli contendit, Pium, & Fontanam aſſerentes Venetiis Magiſtrum Generalem Raymundum celebraſſe Capitulum Generale anno Domini MCCCXCIII. Corrigendos ſubinde inclamat propterea quod Laurentius Pignon illius ævi ſcriptor, referente Jacobo Echardo, Tomo primo de Scriptoribus Ordinis, diſerte aſſerat nullum Generale Capitulum celebratum eſſe a Magiſtro Raymundo annis MCCCXCII, & inſequente MCCCXCIII. Laurentius Pignon natione Gallus Eliæ Raymundi alterius Magiſtri Generalis ſectator, ſchiſmate ſub Papis Avenionenſibus irretitus, partiumque affectu abreptus aperte Raymundo Capuano detrahit, ejuſque negligentiæ vertit, quod plu-

plura Capitula Generalia non convocaverit, ut ex Jacobo Echardo animadvertit vel ipſe Armanus. Omnibus ſiquidem manifeſtum eſt Raymundum Capuanum Legationibus Pontificiis, aliiſque graviſſimis cauſſis impeditum plura non potuiſſe comitia generalia congregare. Fides ergo potius Pio, & Fontanæ, quam aperto Raymundi Capuani adverſario habenda erat, etiamſi alia defuiſſent argumenta. Diſplicet quoque Armano noſtro, quod Pius, & Codalius nimis confidenter ſcribant, Joannem Dominici, duodecim aliis Fratribus comitibus, Cœnobium Sanctorum Joannis & Pauli reformandum ſuſcepiſſe, nullo producto teſte. Quod præfati auctores ſuæ aſſertionis nullum allegaverint documentum, mea non intereſt diſcutere. Illud certum eſt, quod ſæpe vel diligentes hiſtorici, cum ea facta narrant, de quibus aut nulla eſt, tempore, quo ſcribunt, controverſia, aut levioris ſunt momenti, teſtes allegare negligunt brevitati ſtudentes, & documenta omittunt, quæ dubio procul efferrent, ſi narrationes ſuas in diſputationem revocandas fore præviderent. Utcumque tamen res iſta ſe ſe habeat, ad id quod caput eſt accedentes, dicimus, nec Pium, nec Fontanam, nec Codalium corrigendos eſſe, quod ſcribant, & Capitulum Generale celebratum eſſe Venetiis anno MCCCXCIII., & Cœnobium, eodem anno, Sanctorum Joannis, & Pauli reformatum eſſe Joannis Dominici, & duodecim ſociorum opera. Enimvero hæc omnia conceptis verbis enarrat Thomas Senenſis in ſuo Codice, cujus narrationem integram oculis ſubjicio.

„ IV. Sicque creſcente numero Fratrum bene vivere volen-
„ tium in dicto Conventu Sancti Dominici de Venetiis, exten-
„ dit ſe dicta regularis obſervantia ad Conventum Cluginum,
„ qui tum non ſolum quantum ad Religionem erat totaliter de-
„ ſolatus, reſidentibus ibidem duobus Fratribus, ſine libris, &
„ paramentis, & hujuſmodi, ſed etiam in magna parte mate-
„ rialiter deſtructus, propter guerram Venetorum cum Jannen-
„ ſibus, quæ annis multis præceſſerat. Unde tunc factus eſt ibi
„ Prior ſupradictus Frater Robertus, & modicum poſt factus eſt
„ ibi Prior Reverendus Pater Frater Paulus de Urbe Veteri ſu-
„ pradictus. Et ſubcreſcente numero Fratrum in dicto Conven-
„ tu Sancti Dominici de Venetiis extendit ſe reformatio præ-
„ fatæ Religionis ad Conventum Civitatis Caſtelli Romanæ Pro-
„ vinciæ, qui tunc erat multipliciter deſolatus: ubi acceſſit ſu-
„ pradictus Pater Frater Joannes Dominici de Florentia cum
„ duodeviginti Fratribus, auctoritate Reverendiſſimi Magiſtri

„ Or-

„ Ordinis, & gratia civium dictæ Civitatis intervenientibus. Et „ deinde rediens Venetias ad Conventum Sancti Dominici ſupradictum, cum ibidem invaleſceret devotio tam Fratrum, „ quam etiam ſæcularium, acceſſit ad Curiam, ubi obtinuit „ Bullas pro uno Monaſterio conſtruendo, & cum rediiſſet ad „ Conventum Sancti Dominici de Venetiis, inde ad aliquos „ menſes celebratum eſt Capitulum Generale in Conventu Sanctorum Joannis, & Pauli, poſtea de Menſe Auguſti immediate ſequenti extendit ſe communiter dicta reformatio, prout in „ dicto Capitulo extitit ordinatum, ad Conventum Sanctorum „ Joannis, & Pauli de Venetiis intervenientе auctoritate dicti „ Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis, ac Duce Venetiarum, videlicet Domino Antonio Venerio Ordinis Prædicatorum ſingulariter devoto, cum reliquo Dominio id ſpecialiter affectante, „ propter modicam religionem, quæ in dicto Conventu antea „ ſervabatur. Unde dictus Pater Frater Joannes Dominici cum „ duodecim Fratribus, de dicto Conventu Sancti Dominici ad „ dictum Conventum Sanctorum Joannis, & Pauli acceſſit, exiſtente ibidem tunc Priore, & ad eundem effectum, Reverendo „ Patre Magiſtro Georgio de Ceſena. Quod fuit anno Domini „ 1693. In quo anno, a ſupradicto Reverendiſſimo Magiſtro „ Ordinis factus eſt dictus Pater Frater Joannes Dominici in dictis eorum Conventibus ſuus Vicarius Generalis, ac etiam accepit dicti Magiſtri Ordinis litteras ſpeciales, quod poſſet recipere, ſeu fabricare unum Monaſterium Monialium in Venetiis, habita licentia Apoſtolica, & Bulla ad hoc aptis, quarum litterarum tenor talis eſt videlicet &c. „

Litteras iſtas ſupra dedimus.

CA-

CAPUT VI.

Joannes Dominici Vicarius Generalis Conventuum Reformatorum in Italia Inſtituitur. Initia celeberrimæ Congregationis Langobardiæ. Aberrationes Ludovici Meſplede corriguntur.

I. QUanquam Magiſter Raymundus, ſimul ac Cœnobium aliquod ad antiquam vivendi formam reſtitutum erat, Provinciæ ademptum, confeſtim illud delegatæ Juriſdictioni Joannis Dominici ſupponebat. Nihiloſecius ante annum milleſimum trecenteſimum nonageſimum tertium Cœnobia reformata in unam non erexerat Congregationem. Præfato autem anno ad majorem incœptæ reformationis amplificationem, ſolidioremque firmitatem, Joannem Dominici ſuum inſtituit Vicarium Generalem, & non modo eidem ſubjecit omnes Conventus jam reformatos, atque in unam erectos Congregationem, verum etiam ſuper omnes Conventus per univerſam Italiam in poſterum reformandos, plenam illi tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus poteſtatem conceſſit. Tempore, quo hæc nova præfectura inſtituta fuit, quatuor tantum erant Cœnobia reformata, ut etiam aſſerit Hieronymus Albertutius Burſellus in ſuo de Magiſtris Generalibus codice mſſ. qui adſervatur in inſigni Bibliotheca Cœnobii Bononienſis *n. CC. IV.* 62. *Hoc anno*, inquit, *MCCCXCIII factus fuit primus Vicarius Generalis Conventuum reformatorum F. Joannes Dominici, & habebat tantum quatuor Conventus*. Conventuum nomina non indicat hoc in codice, propterea quod id præſtitit in altero codice quem inſcripſit: *Annales Conventus Bononienſis a principio obſervantiæ uſque ad ſua tempora*. Codicem hunc ſumma diligentia expiſcatus ſum in laudata Bibliotheca Bononienſi, irrito tamen, vanoque eventu, & tamen noſtrates omnes adfirmant ibidem reperiri, ſed vel excidiſſe, vel ſecretius cuſtodiri, dicendum eſt. Deplorabilis ſane foret tanti codicis jactura; nec enim eſt ambigendum plura in eo contineri documenta ad hiſtoriam regularis obſervantiæ, præcipue inclitæ Congregationis Langobardiæ texendam apprime neceſſaria. Cœnobia quæ indicat Burſellus expreſſis nomi-

Digitized by Google

nominibus recenſet Leander Albertus *lib. 1. de viris illuſtribus pag. 43. Sicque in Italia*, inquit, *initium ſumpſit obſervantia [ut vulgus loquitur : obſervantiales dicti poſthac Patres , ex eo quod obſervare videantur Patrum ſuorum inſtituta & leges] primo Venetiis in Cœnobio Sancti Dominici de Caſtello , Brixiæ in Sancto Floriano* , [ſitum iſtud erat extra mœnia Civitatis : nunc dirutum eſt, & loco illius conceſſum fuit Patribus noſtris Cœnobium Sancti Clementis intra Civitatem] *& Feſulis , & Fabriani* . Falli hic Leandrum , virum alioqui in rebus noſtris verſatum, & diligentem , certum eſt cum inter prima reformationis Cœnobia annumerat Feſulanum , Brixienſe , & Fabrianenſe. Ad Feſulanum quod attinet ædificatum ſolummodo fuit anno MCCCV. , ut expreſſe aſſerit Joannes Maria de Toloſanis in Chronico MSS. ejuſdem Cœnobii ubi hæc ſcribit . *Primus fundator hujus Conventus fuit Venerandus Fr. Joannes Dominici de Banchinis .... hic relicto Conventu Sanctæ Mariæ Novellæ, qui jam ad relaxationem tendebat , cœpit ædificare hunc Conventum ad quorumdam Civium florentinorum petitionem , anno* 140·. *anno vero* 1406. *ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ* . Certum quoque eſt , Brixienſe & Fabrianenſe quatuor primis accenſeri non debere . Nam quatuor primi Reformationis Conventus fuerunt iſti. Primus Venetus Sancti Dominici, alter Clodienſis , tertius Tifernatenſis , ſeu Caſtellanus , quartus alter Venetus Sanctorum Joannis & Pauli . Hoc autem ex iis, quæ capite Superiore dicta ſunt , palam eſt.

II. In majorem tamen veritatis confirmationem deſcribendæ ſunt litteræ patentes , quibus Magiſter Generalis Raymundus in ſuum Vicarium Generalem inſtituit præfatum Joannem Dominici . Litteras iſtas refert Thomas Senenſis in ſuo codice , Sunt autem tenoris ſequentis.

„ *In Dei Filio ſibi Reverendo Fratri Joanni Dominici de* „ *Florentia nunc Provinciæ Lombardiæ Inferioris Priori Con-* „ *ventus Sancti Dominici in Venetiis , Frater Raymundus ejuſ-* „ *dem Ordinis Magiſter , & Servus Salutem , & Chriſtum* „ *Dominum efficaciter imitari* .

„ Quia noſtri Sanctiſſimi Ordinis famam celebrem , ac præ- „ claram ubique terrarum cordialiter eſſe deſidero , & ipſius „ reformationem , zelo Dei me aſtringente pariter , & cogen- „ te , hactenus concupivi , & in præſentiarum cupio totis præ- „ cordiis veraciter apparere , & augmentari . Hinc eſt, quod „ de multorum proborum Fratrum conſilio , & aſſenſu feci „ quaſ-

„ quaſdam reformationes circa obſervantiam regularem, &
„ conſtitutiones noſtras ad plene ſervandas ad hoc deputando
„ diverſos Conventus per univerſas Provincias, qui, Deo dan-
„ te incrementum, proficiunt, & augentur. Quamobrem ut
„ intentio mea magis ponatur in executione, & reformatio
„ luceat tanquam lucerna ſuper candelabrum poſita, ut Deus
„ honoretur, ac Sanctorum Patrum noſtrorum traditiones, &
„ ceremoniæ, proh dolor, nimium enervatæ ad priſtinum
„ redeant ſtatum, & feliciorem conſuetudinem Ordinis. Vos
„ de cujus ſingulari religione, ac morum gravitate, & Ordinis
„ zelo confido quamplurimum, per præſentes in dictis Con-
„ ventibus jam aſſumptis, & per vos aſſumendis per univer-
„ ſam Italiam, *meum facio Vicarium Generalem* cum plena-
„ ria, & totali poteſtate in ſpiritualibus, & temporalibus in
„ capitibus & in membris dans vobis auctoritatem viſitandi, re-
„ formandi, ordinandi, corrigendi, inquirendi, præcipien-
„ di, vocandi, revocandi, exigendi, expellendi, concluden-
„ di, ſententiandi, determinandi, promovendi, decernendi,
„ alienandi, & aſſignandi, ſilentium imponendi, ac omnia,
„ & ſingula alia faciendi, quæ ego ipſe facere poſſem, ſi in
„ ſupradictis Conventibus præſentialiter eſſem. Ut autem Con-
„ ventus præſatos agilius, liberius, & commodius gubernare,
„ & regere valeatis, pro ut velle me noſcis, nolo, quod ali-
„ quis me inferior, ſe de vobis vel eis quomodolibet intromit-
„ tere poſſit ſine mea licentia ſpeciali, non obſtante quacum-
„ que auctoritate, ſub quavis forma verborum cuicumque al-
„ teri data, vel conceſſa, excepto dumtaxat, quod Præſi-
„ dentes Provinciarum numerum Fratrum fideliter, & ſince-
„ riter teneantur augere, fovere, & nutrire, omni pallia-
„ tione, & ſophiſticatione remota. Si quis autem quæſtio-
„ nes, vel defectus emerſerit, nolo quod ſub aliquo colore
„ viſitationis, ſeu promotionis Præſidens Provinciæ, vel Præ-
„ ſidentes per ſe, vel per alios Fratres ipſos vexare, aut
„ perturbare, vel moleſtare, ſeu amovere valeant, vel poſſint
„ quovis modo ſine mea licentia ſpeciali, ſed omnem cauſam,
„ aut quæſtionem, & quidquid ſequitur ad ipſam mihi reſer-
„ vantes ſignificabunt. In quorum omnium teſtimonium præ-
„ ſentes patentes litteras fieri feci, & mei Ordinis Sigillo mu-
„ niri. Datum Romæ die 20. Menſis Novembris 1393.„ Poſt
quatuor laudata Cœnobia confeſtim plura alia eadem ſuſcepe-
runt reformationem. Quædam indicat Joannes de Toloſanis in
ſuo

ſuo citato Chronico Feſulano. „ Hic venerabilis Pater (in-
„ quit) cœpit reformare vitam regularem in Italia, & prius
„ Venetiis in Conventu Santi Dominici de Caſtello ſub Magi-
„ ſtro Raymundo de Capua Generali: reformavit etiam Con-
„ ventum SS. Joannis, & Pauli Venetiis, Conventum Cluſinum,
„ Conventum Civitatis Caſtellanæ, Conventum Cortonenſem at-
„ que Fabrianenſem. „ Joannes ipſe Dominici in ſuo codice,
cujus meminimus diſſertatione prima capite ſexto, alia indi-
cat cœnobia reformata. Ut enim falſam excuſationem repelle-
ret eorum, qui aſſerebant non poſſe Conventus ſine bonis ſta-
bilibus ſubſiſtere, opponit ille Conventus vitæ regularis ex ſo-
„ lis eleemoſinis vitam degentes. „ Talia enim privilegia (in-
„ quit pag. 35.) locum haberent, ſi fidelium eleemoſinæ in
„ tantum ceſſarent, quia fratres ſuum ordinem ſervare vo-
„ lentes ad vivendum ſufficientes non haberent; ſed hoc eſſe
„ falſum noſtris temporibus eſt demonſtratum. Fratres enim
„ aliqui, qui de ſuperioris mandato ſalubri, regularem vitam
„ ſervarunt, & ſervant, quibus tu pater, non parvo tempo-
„ re præfuiſti, in rebus temporalibus pro ſe, & pro pauperibus
„ abundant multis, non ſolum Venetiis in utroque Conventu,
„ ubi ſunt Cives ditiſſimi, ſed Cluſii Caſtelli, Cortonii, Lucæ,
„ atque Fabriani, ubi prius fratres pauciſſimi non videbantur
„ poſſe nutriri; & in multis aliis locis, quæ tranſcurrimus;
„ quoniam per experientiam non ſunt nobis nota, ſicut præfa-
„ ta in quibus providentiam Dei, & ſuorum pauperum cu-
„ ram prædicant ornamenta ad Divinum cultum ſpectantia mul-
„ tiplicata, aucti codices multi. „

III. Ex tam paucis parviſque granis originem ſuam traxit maxima illa, & utriuſque generis fructuum fœcunda planta, celeberrimam intelligo Congregationem Langobardiæ ſuper univerſam Italiam effuſam, quæ viris ſapientia, & Sanctitate præclariſſimis abundavit ſemper, abundatque in dies. Et quoniam de ea mentio incidit obiter dicam, ab hoc anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio, quo initium ſumpſit, illam ſub Congregationis titulo perduraſſe ad annum uſque milleſimum quingenteſimum trigeſimum primum. Hoc enim anno Clemens Papa VII. præfatam Congregationem, aliaſque plures in Provincias erexit, hac ratione; ut ſcilicet Patres regularis obſervantiæ Comitiis Generalibus adeſſe poſſent, ſuiſque ſuffragiis Magiſtrum Generalem ex reformatis eligere, & hac via univerſum Ordinem reformare. Provincias vero in relaxata diſcipli-

na obſurdeſcentes facultate ferendi Suffragia in Comitiis Generalibus privavit, easque in Vicarias præfecturas redegit. Lubet referre verba deſumpta ex ipſo Chronico conſtitutionibus noſtris inſerto editionis Romanæ anni MDCXC. ubi pag. 88. hæc habentur. *Eo tempore duæ Congregationes in Italia, Religionis opinione celebres, & vitæ regularis obſervantia conſpicuæ, in Provincias erectæ ſunt, ſuppreſſo nomine & titulo Congregationis. Hujus præcipua cauſa hæc affertur. Clemens VII. in ſuis, quas paſſus erat tribulationibus, inter cetera voviſſe fertur, ſi Deus illi quietem præſtitiſſet, ac libertatem, daturum ſe operam, ut Ordines mendicantium ad antiquam vivendi formam revocarentur. Perſuaſumque illi fuerat, id facile ſe conſequuturum, ſi Capita Ordinum, ex reformatis, ſeu (quod dicebant) ex obſervantibus aſſumerentur: Caput vero & Magiſtrum in Ordine Prædicatorum ſemper ejuſmodi futurum, ſi electores illius ex reformatis fuiſſent: quod tum futurum ſperabatur, ſi titulus Provinciæ illis Congregationibus datus fuiſſet. Propterea Summus Pontifex Congregationem utriuſque Lombardiæ in duas Provincias partitus eſt: Provinciæ Sancti Dominici, ſeu Lombardiæ inferioris, & Provinciæ Sancti Petri Martyris, ſeu Lombardiæ Superioris titulum conferens. Congregationem vero Tuſciæ, ſeu Sancti Marci in Provinciam Romanam reformatam erexit, atque his tribus Provinciis, tunc primum Priores Provinciales Apoſtolica poteſtate præfecit, hac lege, ut ſuos Conventus, ideſt Fratrum obſervantium per ſe immediate regerent, Conventus vero ceteros per Vicarios moderarentur, quoad reformationem, quam Pontifex intendebat, ipſi etiam apprehenderent. Alii aliam hujus Apoſtolicæ diſpoſitionis cauſſam aſſignabant; ſed mihi hæc maxime probatur vera.* Hoc ſane conſilio nihil validius, nihil ſapientius excogitari poterat pro regularis obſervantiæ incremento, pro mutua caritate fovenda, & pro omnium Provinciarum, Congregationumque unione, quæ maxime in Comitiis Generalibus pro communi totius Ordinis bono, & pro electione Generalis Magiſtri celebratis elucet. Si enim omnes uno & eodem Generali reguntur, congruum, juſtumque eſt, ut omnes in ejuſdem electione pares ſint. Quin pro reformatis peculiares, validæque rationes militant, quas nunc ſilentio premo. Et tamen ea eſt humanarum mentium infirmitas, ut alii hanc unionem, huncque reformatorum Fratrum interventum in laudatis Comitiis ſuis peculiaribus reſpectibus ducti deteſtentur; Alii eundem interventum reſpuunt ob contrarias rationes. Adeo frigidas, inanes, atque communi ſenſui repugnantes, ut pigeat eas recenſere.

re. Iſti omnes ſui Ordinis bonum, & incrementum propriis rationibus & figmentis poſthabent, & quaſi dixerim ſchiſmatis reos habendos eſſe. Verum de hoc alibi fuſior mihi ſermo erit.

IV. Aberrationes nunc corrigendæ ſunt Patris Magiſtri Ludovici Meſplede. Is Opuſculum inſcriptum *Commonitorium de recta, & neceſſaria reformatione, & renovatione Ordinis Fratrum Prædicatorum:* evulgavit anno 1644. In ejuſdem confutationem eodem anno doctiſſimus Pater Joannes Nicolai librum edidit, hunc præferentem titulum. *Commonitorii de Ordinis Prædicatorum renovatione a Provinciali Occitano nuper editi Analyſis, & ſucceſſiva diſcuſſio*. Magiſter Meſplede in ſuo Commonitorio præcipua, ac ſumma diſciplinæ noſtræ capita in diſcrimen adducit. Et quoniam nec ſtylo prorſus ineleganti, nec incallida oratione ſuas promit cogitationes, mirum haud eſſe debet, ſi imperitis, ſi laxioris diſciplinæ ſectatoribus fucum faciat, tenebras offundat. Quanquam ſive hiſtoriæ ſinceritatem, ſive conſtitutionum noſtrarum genuina ſenſa ſpectes, nihil eſt, quod conſiſtat, nihil quod ſua ſponte non corruat. Ne limites, quos mihi circumdedi, tranſiliam, ea duntaxat breviſſime expendam, quæ ille adverſus Congregationum inſtitutionem congerit. Et primum omnium ejus verba deſcribam. „ Nota eſt (inquit monito XX.) „ in Ordine noſtro Provinciarum, & Congregationum differen„ tia. Provinciæ cum ipſo Ordine natæ, atque a B. P. N. Do„ minico inſtitutæ. Congregationes, reformationum occaſiones „ diverſæ progenerarunt. Harum nulla *per Dei gratiam*, in Con„ ſtitutionibus noſtris mentio. Gratum Patribus Generalibus in„ ventum, quod ſingulari quodam jure illis initio ſubjectæ: ubi „ vero adoleverunt, & prævalidæ factæ ſunt gratia Principum „ vallatæ, atque privilegiis Summorum Pontificum communi„ tæ, illorum authoritati ac deinde *toti Ordini fatales* . . . . . „ Non ſunt neceſſariæ ad propagationem vitæ regularis. Nam „ *B. Raymundus de Capua brevi admodum tempore reformavit* „ *totum Ordinem, ut eſt in Chronico Ordinis, abſque ulla ſepara*„ *tione Conventuum a Provinciis*. „ Non multis opus eſt, ut oſtendamus Meſplede animo nimium præjudicato in vitæ Regularis Congregationes, in ipſos Magiſtros Generales, qui eas inſtituerunt, ſummoſque Pontifices, & Principes, qui eaſdem pluribus privilegiis ornarunt, & munierunt, calamum acuiſſe. In primis, vel ipſum innocens Congregationum nomen vellicat, grateſque Deo rependendas ſcribit, quod nulla earum mentio in Conſtitutionibus noſtris habeatur. Familiare omnibus eſt, qui-

bus veritas non ſapit, ſillabas, voceſque venari, ut inde ſaltem quampiam carpendi occaſionem nanciſcantur. Quid refert, antiquas Conſtitutiones Congregationum vocem non prodere, ſi rem ipſam, ad quam ſignificandam ſunt inſtitutæ, ubique recordentur, ubique præcipiant. Quemadmodum nec in Evangelio habentur voces Cœnobiorum, & Monaſteriorum, ſed perfectio, & virtutes, quæ in præfatis locis excoluntur, deſcriptæ ſunt. Quid aliud hocce Congregationis nomen præfert, quam ſocietatem Religioſorum, qui regulam, & leges ſuæ profeſſionis obſervare ſtudent; quive ab aliis, qui ſimilem obſervantiam reſpuunt, ſeparantur juxta evangelicum mandatum; ac ſub uno, & proprio cœtu, per Magiſtrum Generalem, inſtituto Præſide, congregantur? Quid iſthic adeo exitiale, quod maximo Dei beneficio vertendum ſit, quod Conſtitutiones noſtræ ſilentio obvolverint? Tempore, quo antiquæ Conſtitutiones conditæ fuere, omnes Religioſi eamdem obſervantiam regularem profitebantur, unamque quodammodo efficiebant Congregationem. Collapſa diſciplina regulari, cum non potuerit ubique reparari, & univerſus Ordo ad priſtinum ſplendorem reſtitui. Religioſi illi, qui promiſſas Deo leges ſervare cupiebant in peculiares Congregationes, uni Magiſtro Generali ſubjectas, diſtribuebantur. Quod ſi Congregationis vox Meſpledianis auribus non arridet, haud admodum contendemus, ſi Religioſorum Cœtum Regulæ, & Conſtitutionum obſervatorem Provinciam, ejuſque Vicarium, Provincialem appellare velit. Nec enim voces, aut nomina, ſed res nos ſollicitos habent. Porro cenſor noſter vellicato Congregationum nomine, rem ipſam aggreditur. Addit enim Congregationes Conventuum reformatorum Ordini noſtro fatales eſſe, & Regulari obſervantiæ pernicioſiſſimas. Meum non eſt in præſentia impoſturas iſtas convellere; quia & inſtituti mei ratio longius me evagari non ſinit, & commenta adeo inepta ſunt, ut vix impugnatione egeant, & quia in hiſtoria Congregationum ex profeſſo omnia, quæ Meſplede adverſus Congregationes evomuit, diſpellemus. Illam ſolummodo nunc craſſiſſimam falſitatem explodo, qua imperitis rerum noſtrarum imponit, ſub reformationis initium conventus reformatos haudquaquam a Provincialium juriſdictione ſeparatos fuiſſe. Ut igitur lector ſcire valeat, quanta ſit Magiſtro Meſplede fides adhibenda, conferat quæ de B. Raymundo Capuano ſcribit, cum litteris ejuſdem Capuani. Meſplede de B. Raymmndo hæc evulgat: *B. Raymundus de Capua brevi admodum tempore reformavit totum Ordinem . . . abſque ulla ſepa-*

ſeparatione Conventuum a Provinciis. Lege nunc litteras patentes, hoc in capite deſcriptas quibus B. Raymundus Joannem Dominici ſuum Vicarium Generalem iuſtituit ſuper omnes Conventus tum reformatos, tum reformandos eoſque a Provincialibus eximit, cum præcipit, quod nullus ſe inferior, audeat quocumque modo, aut prætextu in eoſdem Conventus quidquam juriſdictionis exercere, præter Vicarium ſuum Generalem Joannem Dominici. Si ſcommata, & improperia, quibus Magiſtros Generales, & collapſæ diſciplinæ inſtauratores, alioſque Religioſos viros ſpectatæ virtutis traducit, maxime P. Antonium Culvæum plurium Conventuum ad antiquæ diſciplinæ formam fundatorem, & ab univerſa Gallia in maxima Sanctitatis veneratione habitum referre vellem, nullus eſſet ſcribendi finis. Addam dumtaxat, non modo ab ipſo Raymundo, ſed a ceteris pariter ſucceſſoribus Conventus reformatos Provinciis ademptos in Congregationes erectos fuiſſe, ſub proprii Vicarii Generalis præfectura. Factum hoc manifeſtum eſt omnibus iis, qui vel extremis labiis noſtram deguſtarunt hiſtoriam. Brevitatis gratia producam ſolum Teſtimonium inſignis Patris Joannis ex Curia, qui anno MCCCCXXX. Ordini noſtro nomen dedit, & anno MCCCCLXXXIX. e vivis deceſſit. Porro de Congregationum inſtitutione hæc ille ſcribit in ſuo laudato tractatu ad Ducem Burgundiæ *3. p. ar. 3.* „ Pro tertio ſcilicet de laudabili practi„ ca, qua uti ſolent Magiſtri Generales Ordinis in reformandis „ Conventibus, & in reformatione manutenendis, advertendum „ eſt, quod omnes Congregationes reformatorum, ac exemptio„ nes a Provincialibus, a Generalibus Magiſtris habuerunt ini„ tium, & uſque ad hunc Modernum Magiſtrum incluſive con„ tinue praticatum, qui ſupra ſuos prædeceſſores, per hunc „ modum, Ordinis Reformationem in magnum jam provexit „ incrementum: habuitque hic modus a Capitulis Generalibus „ firmamentum, quæ Capitula, cunctas ordinationes, gratias, „ & exemptiones, ceteraſque Conventuum, & Fratrum diſpo„ ſitiones per præfatum Magiſtrum Martialem factas, plures ge„ neraliter conſummaverunt, & in ſpeciali Capitulum Generale „ Romanum Vicariatum Reformatorum Congregationis Theu„ toniæ approbavit, & corroboravit; voluitque Vicarium Con„ gregationis Olandriæ in ſuo officio permanere. Item Capitu„ lum Avenionenſe, quod fuit ultimum Generale per totius Or„ dinis Provinciales, & omnium Provinciarum Definitores de „ diſpoſitione Conventuum Reformatorum Congregationis Lom-

„ bar-

„ bardiæ, ſeu Bononienſium tractans, ſic ait: *Ne illa Sancta*
„ *ſocietas remaneat acephala, damus ei in Vicarium Fratrem*
„ *Franciſcum de Mediolano &c.* Ecce ubi totus ordo providet
„ de regimine Reformatorum per Vicarium. Item prædictum
„ Capitulum Generale Romanum inhibuit Fratribus Reforma-
„ tis de obedientia Vicariorum, ne ſine licentia ſuorum Vica-
„ riorum tranſirent ad obedientiam Provincialium. Subjecti vero
„ Provincialibus poſſunt, de obedientia Provincialium, ad obe-
„ dientiam tranſire Vicariorum, niſi in fraudem fugiendo cor-
„ rectionem in materia delicti. Item Magiſter Ordinis conformi-
„ ter in Capitulo Avenionenſi adjunxit Conventum Natanenſem
„ in Britannia Congregationi Reformatorum Olaudriæ, & exi-
„ mens a Provinciali ſubmiſit Vicario illius Congregationis.

„ Advertendum tamen eſt hic, quod Conventus exempti a
„ ſubjectione Provincialium non ſunt a Provinciis ſuis diviſi, vel
„ præciſi. Poſſunt enim intereſſe Capitulis Provincialibus; ibi-
„ que per omnia cum ceteris Patribus ad omnia diffinienda &
„ tractanda concurrere. Quo fit, ut creſcente paulatim nume-
„ ro reformatorum, & tandem excreſcente, facile erit, ut
„ Provinciæ, & totus ordo Reformetur. Reformati etiam te-
„ nentur ad expenſas cæteraque onera Provinciæ comportare....
„ Per hunc igitur modum ſolent procedere majores noſtri Ordi-
„ nis Patres in Reformatione totaliter ejuſdem ordinis, quam
„ prætendunt, ut per jam reformatos alios reforment, regan-
„ turque a reformatis & non econtra. „ Hactenus Excuria
ad manifeſtandam ſui ſæculi conſuetudinem in argumento,
quo de agimus.

V. Pergit nihilominus Meſplede aures obtundere, & ad nau-
ſeam uſque iterare ſequentes propoſitiones laudato monito Vige-
ſimo. *Congregationes non ſunt neceſſariæ ad propagationem vi-
tæ Regularis .... Neque valent hujuſmodi ſeparationes ad con-
ſervationem obſervantiæ Regularis ....* Hæc Meſplede Doctrina
repugnat legi naturali, Divinæ, & ipſi communi ſenſui, ut
ſuo loco evincam. Quid frequentius e ſuggeſtu: & ubique in-
culcatur, quam relaxatorum contubernium vitandum? Aliter
ne in cauſſa propria diſcurrendum? At, inquit, ex ſeparatione
Congregationum a Provinciis dividitur Ordo. Hoc ineptiſſimum
ſophiſma, adeo validis rationum momentis, adeo perſpicuis
exemplis convulſit, & profligavit Beatus Raymundus in ſuo
tractatu huic diſſertationi inſerto, ut quemque rationis com-
potem pudere deberet eamdem recudere fabam.. Illud unum
ani-

Digitized by Google

animadvertendum objicio ; candido lapillo ſignandum , poſt quinque ſæculorum intervallum nunquam reformationis cauſſa, vel minimæ diviſionis veſtigio obnoxium fuiſſe Ordinem noſtrum : quin nec unum reperire licet, qui tantum attentaverit ſcelus. Sed omnes, & potiſſimum collapſæ diſciplinæ reparatores pro virili parte hanc ordinis unionem fovere, roborare, & munire ſtuduerunt. Quoniam primum obſervantiæ regularis fundamentum eſt Jeſu Chriſti Caritas, quæ ſeparationem odit, &, ut omnes Criſtianos ſub uno capite Chriſto, ejuſque Vicario Romano Pontifice, ita omnes Prædicatores ſub uno Magiſtro Generali congregat, unitque ſub unius profeſſionis communis voto ; unit ſub eadem Regulæ, & Conſtitutionum obſervantia. Quiſque ergo ſibi caveat, ne moribus profeſſionis unitati adverſis, ne vivendi diſciplina Regulæ & Conſtitutionibus contraria hoc ſanctæ unionis vinculum infringat. Illi ſanæ huic unioni inſidias parant, qui ad unitatem profeſſionis, & obſervantiæ reformari impediunt commentitiæ diviſionis ſpectro tot Cœnobia relaxata partim diruta, partim ruinam minantia ; in quibus nullum litterarum ſtudium, nullus monaſticæ diſciplinæ cultus, nulla de proximorum ſalute cura ; ubi ordo langueſcit, & templa deſerta ſunt, Divinuſque cultus neglectus. Prompti forent plures viri Dei, qui ejuſmodi Cœnobia ad præfatam unionem reſtituerent, qui collabentia ædificia inſtaurarent, qui templorum cultum, ſacramentorum frequentiam, litterarum ſtudium inveherent ; qui populum ædificarent, qui Ordinis famam, & ſplendorem amplificarent. Hæc omnia ut experientia compertum, exploratumque eſt, præſtiterunt olim. Quid obſtat, quo minus eadem nunc peragantur ? Non ne idem Deus ? non ne eadem miſericordia ? Quid ergo officit ? non revera aliud, niſi graviſſima noſtra peccata. Audiamus hac de re Beatum Raymundum Capuanum, qui in ſuo tractatu, ſeu epiſtola, quam, capite ſequenti, integram dabimus, hæc habet. *Dicere igitur, quod obſervantes Regulam, & inſtitutiones, dividunt ordinem, non eſt aliud dicere, niſi quod, qui Ordinem faciunt, & conſtituunt, illi deſtruunt, & dividunt eum, quod eſt clare contradicere ſibi ipſi : & miror, quod aliqui litterati, & intelligentes viri de hac contradictione non perpenderunt..... Diſcant ergo quid ſit ordo, & quid ſit dividere, & tunc diſputent de ordinis diviſione : Nam illi qui ſervant ordinem integraliter, non poſſunt dici dividentes, vel deſtruentes, ſed illi potius, qui non ſervant. Quomodo namque*

divi,

dividunt illi, qui omnia conſtituentia Ordinem uniunt obſervando? Et quomodo non dividunt illi, qui quædam ſervant, & quædam non? Aut (ut ex ſtomacho loquar) qui quodammodo nihil ſervant, & qui ſine cauſa ſunt in Ordine, etiamſi inde non projiciantur, ut dicit Beatiſſimus Pater Auguſtinus in Regula. Hi ſunt dividentes, & deſtruentes, qui perſequuntur bene viventes, & bene facientes impugnant.

CAPUT VII.

Raymundus Nuncius Apoſtolicus ad Regnum Trinacriæ inſtituitur. Plura adverſus Reformationem obſtacula Conſtitutione Pontificia removentur. Raymundus Panormi reformatos Fratres ſuis litteris conſolatur; Reformationis oſores compeſcit.

I. TANTO diſciplinæ regularis ardore flagrabat Raymundus, ut nihil antiquius haberet, quam Ordinem ſuum, qua viſitationibus, qua comitiorum convocatione; qua efficaciſſimis adhortationibus ad primævum ſplendorem reſtitueret. Et quamquam in hunc finem omnes conatus ſuos intendens, intra Cœnobiorum ſepta vitam ſuam agere magnopere ſtuderet. Nihilominus ea erat in rebus vel difficillimis tractandis, illius dexteritatis ſolertiæ, & amplæ capacitatis fama, ut Reſpublica Florentina, treſque Summi Pontifices Gregorius XI. Urbanus VI. & Bonifatius IX. ſæpius legatum ſuum ad Reges & Principes deſtinaverint. Hoc anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio a Bonifatio IX. Romano Pontifice Nuncius inſtituitur ad Regnum Trinacriæ ſua conſtitutione, cujus initium eſt. *Cum te ad Regnum Trinacriæ pro nonnullis noſtris, & Romanæ Eccleſiæ negotiis duximus deſtinandum &c.* Data eſt anno MCCCXCIII. die 17. Novembris. Antequam vero ad hoc obeundum munus iter arriperet, reformationis negotium, quod altius ejus inſidebat animo, in tuto collocare curavit. Perſenſit plures fraudes, & machinationes opponi adverſus inceptum inſtauratæ diſciplinæ opus, callidiſque inventis eludi quæ ipſe ſanciverat pro ejuſdem diſciplinæ reparatione. Quare, ut obloquentium ora obſtrueret, & ſtatuta, quæ pro Regulæ, & conſtitutionum obſervantia ediderat, validius muniret,

ret, eadem confirmari fecit Pontificia conſtitutione, cujus iſte eſt tenor. „ Apoſtolicæ Sedis Benignitas perſonas ſub Religionis
„ obſervantia aſſiduo ſtudio piæ vitæ vacantes, & eorum, ac a-
„ liorum animas Deo lucri facere cupientes, congruo favore pro-
„ ſequitur, ac his, quæ ad eorum pium deſiderium conſequen-
„ dum provide facta ſunt, ut illibata permaneant, libenter ad-
„ hibere ſollicitudinis ſuæ partes. Dudum ſiquidem pro parte
„ dilecti filii Raymundi Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Præ-
„ dicatorum nobis expoſuit quod dudum cum ipſe ſuum Ordi-
„ nem viſitaret, reperit inter cetera multos Fratres ejuſdem Or-
„ dinis devotionis fervore accenſos, & deſiderantes Regularem
„ obſervantiam per Beatum Dominicum, & alios antiquos Fra-
„ tres ejuſdem Ordinis ordinatam ſervare. Et quod ipſe conſide-
„ rans, quod dictorum Fratrum deſiderium ſalva conſcientia im-
„ pediri non poterat, nec debebat; imo firmiter putaret ſe reum
„ coram Deo, niſi eos adjuvaret, & promoveret ad perfectio-
„ nem hujuſmodi eorum deſiderii tam laudabilis per dilectum Fi-
„ lium Fratrem Conradum de Pruſſia ejuſdem Ordinis Profeſſorem,
„ virum utique vitæ commendabilis, ac famæ laudabilis in par-
„ tibus Alemanniæ receptum, qui prædictos Fratres, ut præfer-
„ tur, ſic deſiderantes in Provincia Theutoniæ ſecundum conſue-
„ tudinem dicti Ordinis inceperat congregare. Et jam in loco di-
„ cti Ordinis ſito in Columbria Baſilienſis diœceſis circiter trigin-
„ ta Fratres congregaverat, quibus dictus Magiſter dictum Fra-
„ trem Conradum præpoſuerat, qui Conſtitutiones dicti Ordinis
„ integraliter obſervabant cum effectu, & adeo prædicationi Verbi
„ Dei exemplo Beati Dominici virtuoſe inſiſtebant, quod de tota
„ Patria circumſtante concurrebant homines ad audiendam doctri-
„ nam eorum, quam factis etiam virtuoſe informabant: quodque
„ ipſe Raymundus, qui (ut aſſerebat) ipſum Ordinem per de-
„ cem annos, & ultra gubernaverat, proponens hoc idem facere,
„ ſeu ordinare in qualibet provincia dicti Ordinis, videlicet, quod
„ in qualibet ex dictis Provinciis eſſet unus locus dicti Ordinis in
„ quo regularis obſervantia dicti Ordinis ſecundum ſtatuta Beati
„ Dominici prædicti ſervaretur, juxta tenorem prædictarum Conſti-
„ tutionum: de multorum Fratrum ejuſdem Ordinis conſilio, &
„ aſſenſu, tam auctoritate officii ſui, quam Generalis Capituli di-
„ cti Ordinis tunc ultimo celebrati ſibi commiſſa per ſuas certi teno-
„ ris litteras ordinaverat, decreverat, & mandaverat, quod infra
„ annum a notitia litterarum ſuarum hujuſmodi Priores Provin-
„ ciales, ſeu Præſidentes, & eorum quilibet in ſua Provincia or-

„ dinarent, & taliter facerent, quod in ſua Provincia eſſet unus „ locus deputatus ad hujuſmodi obſervantiam regularem, in quo „ poſſent ad minus vivere duodecim Fratres Ordinis præfati : „ qui dictas Conſtitutiones ſervarent : prout in dictis litteris con- „ tinetur. Et pro parte ipſius nobis ſupplicatum, ut ordinatio- „ nem, ſtatutum, decretum, & mandatum hujuſmodi, & quæ- „ cumque inde ſecuta rata habere, & grata, illaque auctoritate „ Apoſtolica confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur. „ Nos ipſius Magiſtri in hac parte ſupplicationibus inclinati or- „ dinationem, ſtatutum, decretum, & mandatum prædicta, ac „ omnia, & ſingula in prædictis litteris contenta, quorum te- „ norem noſtris litteris, & præſentibus inſeri fecimus, rata, & „ grata habentes, illa per noſtras litteras eaſdem confirmavimus, „ & ipſarum litterarum patrocinio communivimus, prout in „ noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, „ ut nuper accepimus, nonnulli Fratres ejuſdem Ordinis ſalutis „ æternæ immemores, ac timore poſtpoſito, nolentes intellige- „ re, ut bene agant, & ſecum alios trahere in præcipitium ſa- „ tagentes, quamvis ordinationem, ſtatutum, decretum, & man- „ datum hujuſmodi per ſe obſervare deſidia, & inertia non ve- „ lint, neque curent, & neque tamen eam ab aliis obſervari non „ permittant, & nonnullos Fratres ipſius Ordinis devotos volen- „ tes prædictam obſervantiam debite obſervare, multis frivolis, „ & exquiſitis coloribus ab laudabili propoſito damnabiliter re- „ trahant, & paſſim removere conantur, & impediunt (quate- „ nus in eis eſt) quominus ordinatio, ſtatutum, decretum, & „ mandatum prædictum debitum ſortiantur effectum ; & nihilo- „ minus ſe jactant, quod utique ordinabunt, & procurabunt, „ pro poſſe, ordinationem, ſtatutum, decretum, & mandatum „ prædicta, etiam in Generali ipſius Ordinis Capitulo in feſto „ Pentecoſtes proxime futuro celebrando per Definitores ipſius „ Capituli juxta dicti Ordinis morem facere revocari in ſuarum „ animarum periculum, ac in contemptum Sedis Apoſtolicæ, & „ ſcandalum plurimorum. Nos quorum intereſt hujuſmodi pra- „ vis conatibus evidenter ad perniciem tendentibus, ſalubriter „ congruis remediis obviare cupientes, ne morbus factus croni- „ cus fomenta poſtremo deſpiciat medicinæ : omnibus, & ſin- „ gulis Definitoribus juxta hujuſmodi morem Ordinis præfati „ tam præſentibus, quam futuris, & etiam quibuslibet Fratri- „ bus ipſius Ordinis, & aliis cujuſcumque ſtatus, gradus, Ordi- „ nis, vel conditionis exiſtant, diſtricte, & ſub excommunica-

„ tio-

„ tionis pœna, quam contrarium facientes auctoritate Apoſtoli-
„ ca incurrere volumus ipſo facto, inhibemus expreſſe, ne ali-
„ quem Profeſſorem ipſius Ordinis ob frugem melioris vitæ hujuſ-
„ modi obſervantiam regularem ſupradictam, ut præmittitur, ſic
„ provide, ſic ſalutifere ordinatam, obſervare volentes, perpe-
„ tuis futuris temporibus aliquatenus publice, vel occulte, dire-
„ cte, vel indirecte, ac quovis quæſito colore impediant per ſe,
„ vel alium, ſeu alios, ut ab hujuſmodi propoſito, ſcilicet ob-
„ ſervantiæ hujuſmodi retrahant, ſeu impediri, vel retrahi fa-
„ ciant, vel procurent quoviſmodo, nec ordinationem, ſtatutum,
„ & mandatum prædicta, maxime cum id ad eos non pertineat,
„ auſu temerario revocent, ſeu etiam contra eam aliquid atten-
„ tent, aut attentare præſumant; ſed ea potius, & quæcum-
„ que, alias augmentum plurium Conventuum, in quibus hujuſ-
„ modi obſervantia ſervetur per ipſum Magiſtrum forſan ordi-
„ nanda concernentia, ſi non virtutis amore per ſe ad obſervan-
„ tiam hujuſmodi forſitan inclinentur, nec ſint apti, ſaltim per-
„ mittant æquanimiter, ut expedit, per Fratres dicti Ordinis
„ obſervari: ac ipſos Fratres eandem obſervantiam obſervantes,
„ & obſervare volentes, juxta illud, quod in poteſtate homi-
„ num non ſunt, qui ſpiritu Dei aguntur, in hujuſmodi eorum
„ laudabili propoſito confoveant potius, & confirment. Si divi-
„ nam, & noſtram gravem offenſam deſiderant evitare. Nos et-
„ iam ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his
„ a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attenta-
„ tum forſan hactenus, vel impoſterum contigerit attentari. Ni-
„ hilominus contra tranſgreſſores inhibitionis noſtræ hujuſmodi,
„ ſi expedierit, gravius proceſſuri. Tenor vero ipſarum littera-
„ rum ipſius Magiſtri ſequitur, & eſt talis &c." Vide quæ di-
cta ſunt capite ſecundo.

II. Rebus ad Ordinem ſuum maxime ad Reformationem opti-
me, ſecundoque curſu, diſpoſitis, in Siciliam conceſſit Raymun-
dus. Quo præciſo tempore viam hanc inſtituerit colligere haud
potui. Illud certum eſt, quod anno MCCCXCV. Panormi mo-
rabatur. Hoc ſiquidem anno illic litteras ſcripſit partim adhorta-
tionibus, partim increpationibus plenas. Fratres ad meliorem ob-
ſervantiæ frugem redactos, ad perſeverantiam piis, validiſque ra-
tionibus hortatur: Reformationis vero inſectatores vehementi
confutatione compeſcit. Litteras iſtas inſcripſit Reverendo Patri
Magiſtro Bartolomæo Dominici de Senis tum Priori Provincia-
li Romanæ Provinciæ, & in univerſa Italia ejuſdem Beati Ray-

mundi Vicario Generali. Eidem inſuper Provinciali mandavit, ut eaſdem litteras tranſmitteret Priori Provinciali Provinciæ Langobardiæ inferioris, qui tunc erat Pater Magiſter Nicolaus Forojulienſis, ſeu Conventus Civitatis Auſtriæ, (vulgo de Civitato) Alumnus, quem Moimaci ortum fuiſſe ferunt. Litteras tum Provincialis Romani, tum Magiſtri Generalis Raymundi ex Thoma Senenſi iſthuc tranſcribo: ſuntque tenoris ſequentis. *In Chriſto ſibi Reverendo Fratri Nicolao de Civitato Sacræ Theologiæ Magiſtro Provinciali Lombardiæ inferioris, Ordinis Fratrum Prædicatorum, cœteriſque Fratribus Univerſis dictæ Provinciæ Frater Bartolomæus Romanæ Provinciæ ejuſdem Ordinis Prior Provincialis indignus, ac Reverendiſſimi Patris Magiſtri Ordinis noviter Vicarius Generalis ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.*

Epiſtolam prædicti Reverendiſſimi Magiſtri me noveris ſuſcepiſſe die 28. Menſis Aprilis, quorum tenor ſequitur in hæc verba. „ In „ Dei filio ſibi Reverendis, & dilectis univerſis Fratribus tam „ Præſidentibus, quam ſubditis, ſive in Provinciis, ſive in Con„ ventibus cujuſcumque gradus, ſtatus, dignitatis, ac conditio„ nis exiſtant Ordinis Fratrum Prædicatorum Fr. Raymundus „ ejuſdem Ordinis Magiſter, ſalutem, & Chriſtum Dominum „ efficaciter imitari. Urget neceſſitas multiplici ratione, dilectiſ„ ſimi Fratres mei, quod univerſitati veſtræ inpræſentiarum ali„ quid ſcribam, ut qui, cogente obedientia Sanctæ Matris Ec„ cleſiæ, ac Vicarii Chriſti juſſu, vobiſcum permanere non poſ„ ſum, ſaltem per epiſtolam, & ſcripturam vobiſcum valeam „ converſari. Sane antequam ad exhortationem veſtram deſcen„ dam, tendo conſilium Sapientis, qui dicit: Quod juſtus in „ principio ſermonis accuſator eſt ſui. Primo, & ante omnia, „ me reum vobis proclamabo, quia a quatuor, vel quinque an„ nis citra non diſcurri per Ordinem, ut ſolebam, nec hortum „ plantationis B. Dominici, ut videtur aliquibus, ſicut hortula„ nus diligens viſitavi, nec ſervitio veſtro, ut teneor, & aliqui „ ex vobis forte deſiderant, operam dando vacavi: Verum licet „ in his, & in aliis me defectuoſum noverim, incunctanter ve„ ritatem tamen fateor coram vobis, & eſt teſtis ille a quo cun„ cta creata veritas derivatur, quod nulla res in hac vita „ data, vel dabilis eſt quæ ad hanc negligentiam me induxiſſet, „ ut exiſtimo, niſi amor univerſalis matris fidelium, videlicet „ Eccleſiæ Sanctæ, & Catholicæ, que nunc, proh dolor, tot „ turbines patitur, totque tempeſtatum procellas cogitur ſuſtine„ re. Sed & diviſiones rebellionum, nec non Guerrarum mala

ipſam

„ ipſam aſſidue vexare ubique non ceſſant. Quomobrem non puto aliquod cor eſſe fidele, quod tam excellenti matri non compatiatur ex intimis, & non conetur ad ipſam juxta ſuum modulum adjuvandam. Hoc ego recogitans memor, me legiſſe Sanctos Patres antiquos ſemper idem feciſſe: Hoc tam Beatiſſimum Papam Gregorium, dum eſſet Monachus de quiete Monaſterii ſui traxit, & uſque Conſtantinopolim eum tranſmiſit pro negotiis Sanctæ Eccleſiæ prælibatæ. Hæc eadem cauſa Beatum Bernardum de Monaſterio ſuo Clarevallenſi exire coegit tempore, quo fuit ſciſma in Eccleſia; & contra Innocentium Papam quidam Antipapa inſurrexit per decem annos infeſtando Eccleſiam, nec deſtitit a labore S. Pater, & Abbas tot Monachorum, quouſque ſciſma illud ſedatum eſt. Sed ut magis loquar ad propoſitum noſtrum, & de propriis producamus in medium. Quid movit Beatum Dominicum Patrem noſtrum Sanctiſſimum ad egrediendum de quiete Religionis canonicæ, in qua lucebat ſicut lucerna ſuper candelabrum, & ad partes Tholoſanas ſe transferendum, nec non & tantum Ordinem producendum, niſi zelus Catholicæ Fidei, ac Eccleſiæ Sanctæ Dei, necnon & ſalus animarum, pro quibus omnibus totus ardebat; propter quod virtus ſibi conceſſa ex alto ita eſt inſerta viſceribus filiorum ſuorum, quod ex illo zelo, multi ſuſcepere martyrium, quorum Petrus inclitus ſignifer eſt inventus? Multi denique, ac quam multi ſe Sapientiæ Catholicæ, ac Doctrinæ totos dedicarunt, inter quos Thomas tamquam lucifer ignorans occaſum, & ut ſtella matutina reſplenduit. Porro ſi tanti, & tales Patres, ac glorioſi Doctores pro illa præfulgida Matre Eccleſia Univerſali ſe tantum expoſuerunt laboribus, propria quiete ad tempus neglecta. Nullus veſtrum obſecro mihi iraſcatur, aut ſcandalizetur in me, qui nec ſum dignus tantorum Patrum aſpectibus præſentari, nec etiam poſt ipſos inter eorum ſequaces connumerari, ſi ejuſdem univerſalis Matris amore ſaltem aliqualiter trahor ad ſequendum Sanctorum Patrum veſtigia virtuoſa. Nec hinc vos deſero dilectiſſimi Fratres mei, ſed potius pro vobis continue certo, & pugno, ut poſſitis quietius, & devotius Domino deſervire pacificata, ſi conceſſerit Deus, ſicut ſpero, Eccleſia Sancta ſua. Ceterum his præmiſſis, ad accuſationem, & excuſationem, mei ſuperdilecti obſecro vos per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut ambuletis digne Deo per omnia placen-

„ tes

„ tes in charitate radicati, & fundati, & ſicut viri pacis æter-
„ næ præcones ſitis pacifici, ut merito vocemur filii Dei, &
„ Patris noſtri Dominici ſemper tenaces hæreditatis virtuoſæ,
„ quam nobis in teſtamento ſuo ſancto reliquit idem Athleta
„ mirificus Beatus Dominicus dicens: *Charitatem habete, humilitatem ſervate, paupertatem voluntariam poſſidete*. Ubi
„ Sanctus Pater Regina virtutum, & forma præmiſſa, Charitate videlicet, cuſtodem ejus humilitatem ſubjunxit, & pro
„ ipſius humilitatis cuſtodia, & perſeverantia, ſubjunxit voluntariam paupertatem. Cuncta nociva vitia ſic pauciſſimis
„ verbis extinguens, ut ſanctos nos redderet, & Deo placentes, excludenſque per humilitatem ſuperbiam, & per voluntariam paupertatem, tam avaritiam, quam hujus ſæculi,
„ & carnis oblectamenta, per charitatis fervorem cuncta ſpiritualia ſimul abſcidit. Pudeat igitur unumquemque veſtrum
„ tanta hæreditate, & tam grata Deo privari; nec pigeat per
„ ejus acquiſitionem, laborando, vigilando, legendo, orando, & ſacris meditationibus animam muniendo, nec non
„ regularibus obſervantiis, quibus in hac vita dirigimur verſus
„ Cœlum, abſque tædio, inſiſtendo. Et quia in qualibet Congregatione ſunt gradus diviſi, ſicut Providentia Divina diſpoſuit, ſi qui inter vos ſunt debiles, & infirmi, qui difficiliores obſervantias aut non attingunt, aut attingendo nimis laborant, non propter hoc invideant Fratribus ſuis, quos
„ ſancta vident obſervantia delectari, imo potius ipſos honorent, & revereantur, & quantum eſt eis poſſibile imitentur;
„ non enim æqualiter unicuique data eſt gratia virtutum ab illo
„ ſpiritu, qui dividit ſingulis prout vult, ſed unuſquiſque gratiam in juſtificationem propriæ mentis poſſideat, & quantum
„ conceditur ſibi augmentare contendat, ut ad bravium a Deo
„ deſtinatum poſſit finaliter pervenire, ac ſerto perpetuo coronari. Hoc pro tanto dixerim Fratres mei, quia iſtis temporibus meritis, & precibus B. Dominici Patris noſtri vobis,
„ & mihi conceſſa eſt gratia non modica, ſi voluerimus intelligere donum Dei, dum plures ex Fratribus veſtris, & meis,
„ per diverſas mundi partes, abſque coactione quacunque inſtinctu Sancti Spiritus moti pariter, & promoti perfectionis apicem, & virtutis celſitudinem contendunt attingere,
„ tam per integram obſervantiam regularem, quam etiam per
„ zelum ſalutis animarum, & doctrinam veridicam, juxta
„ exempla SS. Patrum noſtrorum, qui ſanctum iſtum Ordinem
„ fun-

„ fundaverunt ſimul, & ordinaverunt. Quantum igitur crudelis eſſet ille, quantaque pœna mulctandus, aut puniendus, qui tam ſalubre propoſitum, tam virtuoſum progreſſum, tamque laudabilia opera impediret! profecto infideli eſſet deterior, & Fidei hoſte perverſior, qui pugiles ejuſdem Fidei invidiæ, aut odii ſtimulo impugnaret; hoc enim fecerunt perfidi Judæi hactenus contra SS. Apoſtolos: hoc & infideles principes paganorum operati ſunt cum ſuis ſequacibus, antiqui Hereſiarchæ, hi fuerunt etiam actus crudelium tyrannorum, videlicet contra ſervos Dei, & Sanctos inſurgere, virtuoſos pro viribus perſequi, & juſtos in ſuis operibus impedire. Ah dilectiſſimi Fratres mei abſit, abſit tam a me, quam a vobis, quod inter tales perfidos numeremur, quod opera tam crudelium hominum operemur, aut ipſos quomodolibet in noſtris actibus imitemur. Sequamur potius conſilium Sapientis Prov. 30. Qui docet benefacientes non prohibere; & inde ſubjungit, Si potes, & ipſe benefac. Verum quia novi omnem Congregationem habere triticum, & zizaniam, nec magis privilegiatam eſſe ſcholam B. Dominici ſchola Chriſti, quæ cum undecim judicibus ſæculi unum habuit diabolum eis adjunctum. Si quis, quod nunc abſit, inter nos inventus fuerit impeditor, aut perſequutor operum tam piorum, & Fratrum ſuorum recte viventium, non putet me ſecum habere, niſi ſicut hoſtem ſuum in capite, & perſequutorem aſſiduum, & indefeſſum uſque in finem: ſufficit enim zizaniæ ſi dimittitur uſque ad meſſem, ut habeat ſpatium ſe convertendi in triticum. Sed ſi ziaania vult triticum eradicare, per pias manus eradicabitur ipſa prius. Abſit namque a me non ſolum quod inter perſequutores ſanctorum inveniar, ſed quod etiam talibus perſequutoribus non reſiſtam, aut etiam pro viribus non expugnem, nec aſſumat ſibi aliquis talis ſuæ iniquitatis colorem, ſicut olim faciebant hæretici, qui ſub pietatis ſpecie lupinam rabiem occultabant, dicendo videlicet, quod iſtud videtur noſtri Ordinis eſſe diviſio, dum quidam dicuntur obſervantes, & quidam non.

„ Quia faciliter reſpondetur primo, quod in quolibet Ordine ſemper fuit iſta diviſio, videlicet quod quidam fuerant perfectiores, & quidam minus perfecti, quidam ſanctiores, & quidam non ita ſancti, nec propter hoc dicitur, quod minus perfecti, aut minus ſancti ſint mali, nec de bonitate

„ tate aliorum, eis in aliquo derogatur, imo potius meri-
„ tum augmentatur ſecundum illum articulum Fidei, qui do-
„ cet eſſe communionem ſanctorum. Propter hoc, & ſanctus
„ Doctor noſter determinat, quod Religioſus in his, quæ non
„ ſunt contra votum ſuæ Religionis, ſi offendat, minus offen-
„ dat, quam ſæcularis propter merita ſanctorum virorum, in-
„ ter quos vivit, quæ ſibi communicantur indubie. Secundo
„ clarius talibus reſpondetur, quod ſi intelligerent propriam
„ vocem, quam exprimunt, numquam dicerent tales poſſe
„ dividere ordinem. Videant quid ſignificet hoc vocabulum Or-
„ do, & quid hoc verbum dividere. Ordo enim ſane intelli-
„ gendo ſignificat Congregationem Fidelium, regula, & aliis
„ ordinationibus, ſeu inſtitutionibus ordinata; ex quo ſequi-
„ tur, quod illi conſtituunt, & ſtatuunt ordinem qui ſecundum
„ regulam, & inſtitutiones ſunt ordinati. Dicere igitur quod
„ obſervantes Regulam, & inſtitutiones, dividunt Ordinem,
„ non eſt aliud dicere, niſi quod, qui Ordinem faciunt, &
„ conſtituunt, illi deſtruunt, & dividunt eum, quod eſt cla-
„ re contradicere ſibi ipſi. Et miror, quod aliqui litterati,
„ & intelligentes viri de hac contradictione non perpenderunt,
„ quod & claro exemplo intelligentibus demonſtratur. Si enim
„ ſancta Eccleſia, quæ nihil aliud eſt quam congregatio Fi-
„ delium, quando aliqui ex fidelibus ſe voluerint ultra alios vo-
„ to religionis aſtringere, & ab aliis communiter viventibus
„ ſeparari, putaſſet per hanc ſeparationem talium eſſe dividen-
„ dam, numquam Religionem aliquam confirmaſſet, aut eſſe
„ quomodolibet permiſiſſet. Et licet iſtud exemplum exce-
„ dat noſtrum propoſitum, quia in caſu noſtro nullus pro-
„ mittit plus quam alius, ſed ſola differentia eſt inter per-
„ fectionem, & imperfectionem actus obſervandi, nihilominus
„ ex illo arguitur a majori: quod ſi per illam ſeparationem,
„ quæ fuit major quam iſta, non fuit diviſa Sancta mater Ec-
„ cleſia, imo potius confirmata, ac roborata, ac etiam exal-
„ tata; multo minus per hanc ſeparationem Ordo noſter divi-
„ ditur. Diſcant ergo quid ſit Ordo, & quid ſit dividere, &
„ tunc diſputent de ordinis diviſione: nam illi, qui ſervant
„ Ordinem integraliter, non poſſunt dici dividentes, vel deſtruen-
„ tes; ſed illi potius, qui non ſervant. *Quomodo namque di-*
„ *vidunt illi, qui omnia conſtituentia Ordinem uniunt obſervan-*
„ *do? & quomodo non dividunt illi, qui quædam ſervant, &*
„ *quædam non? Aut (ut ex ſtomacho loquar) qui quodammodo*

„ *nihil*

„ *nihil ſervant, & qui ſine cauſa ſunt in ordine, etiamſi inde „ non projiciantur, ut dicit Beatiſſimus Pater Auguſtinus in „ regula? Hi ſunt dividentes, & deſtruentes, qui perſequuntur „ bene viventes, & bene facientes impugnant.*

„ Porro ad hanc diviſionem quidam adducunt, quod ii, qui „ hac obſervantia delectantur, in eodem Conventu cum aliis „ ſtare nolunt, & etiam per me petitur unus Conventus tan- „ tum in qualibet Provincia pro Fratribus talibus, ut patet „ in littera mea. Unde apparet quod ex iis diviſio ſubſequa- „ tur, & adducunt, quod ſequitur quædam confuſio, & po- „ tiſſime in locis, ubi habemus duos Conventus, quia Unus „ Conventus aliter vivit, quam alius, & adducunt quædam „ ſimilia contra hoc ſanctum opus.

„ Ad iſta autem omnia reſpondetur per quamdam interroga- „ tionem cum disjunctione prolatam; & interrogo ego unum „ obloquentes hujuſmodi. An ego, ſeu quicumque Rector „ unius Religionis debeam ſive debeat operam efficacem da- „ re, quod ſubditi ſervent ſuam Regulam, vel non? ſi non: „ ad nihilum valet officium noſtrum; ſi autem dicunt, quod „ ſic, ergo non eſſem reprehendendus, etſi omnes cogerem „ ad ſervandum ea, quæ ſcripta ſunt tam in regula, quam „ in conſtitutionibus noſtris, ipſique indubitanter ex voto ſuæ „ profeſſionis mihi tenentur effectualiter obedire; & ſi non fa- „ cerent, venirent contra votum ſolemne ſuæ Profeſſionis. Sic „ enim omnes, & ſinguli ſunt profeſſi, obedire videlicet magiſtro „ Ordinis Fratrum Prædicatorum, & ſucceſſoribus ejus ſecun- „ dum regulam Beati Auguſtini, & Conſtitutiones uſque ad „ mortem. Et quamvis Conſtitutiones de per ſe non obligent „ ad culpam, ſed ad pœnam, ubi tamen adderetur præce- „ ptum Prælati, qui poteſt præcipere, per non ſervantem „ committeretur culpa mortalis, & pœna æterna proveniret „ ei ex culpa. Nunc autem quia fragilitati communi, & „ generali compatior, & nolo ſuper Animas mihi commiſ- „ ſas onus grave adjicere, ne more indiſcreti medici occidam, „ quem volo a morbo curare. Numquid debeo eos ex toto ne- „ gligere, aut non per omnem viam poſſibilem quærere, ut ſer- „ vent quod ſcriptum eſt? Quæ autem via melior, quam per „ ipſorum voluntatem a Spiritu Dei motam? Profecto hic mo- „ tus & perfectior, & diuturnior eſſe debet. Tum quia ſic „ primo motore ſpecialiter agente, tum quia non violente, ſed „ libere procedit in actum. Quod ſi Dei gratia me juvante

„; hoc in aliquibus reperio , quid obſecro ſum acturus ? Num-
„ quid tales impediturus ? aut promoturus ? Nonne me reum
„ mortis conſtituo coram Judice cuncta cernente , ſi hanc gra-
„ tiam in vanum inveniar recepiſſe ? propter hoc enim periit
„ Jeruſalem cum judaico populo , quia non cognoverunt tem-
„ pus Viſitationis ſuæ , & gratiam ſibi factam . Si autem ta-
„ les de neceſſitate ſalutis debeo promovere , juvare , atque fo-
„ vere juxta gratiam ; numquid non debeo removere omnia
„ impedimenta removentia ipſos a ſancto propoſito ? Conſtat
„ vero , quod ſicut virtus unita fortior eſt ſe ipſa diſperſa , ſic
„ ſervi Dei ſimul uniti perfectius agunt de ſe ad invicem ver-
„ bo , & exemplo ad bene agendum hortantur uniformiter
„ omnes agendo .

„ Impedimentum autem hujuſmodi eſſet deformitas actio-
„ num . Ut ergo iſtud removeatur , ordinavi ſaltem de uno
„ Conventu , non quin plures haberem libentius , & libentiſ-
„ ſime omnes , ſed ſequens illum Verſum .

„ Debile principium melior fortuna ſequetur .

„ Nunc fui contentus de uno , ut decentius , & diſcrete pro-
„ cederem ad alios attrahendum . Quis enim eſt , Fratres mei ,
„ meæ intentionis in hoc opere finis , niſi omnes Fratres ad
„ idem attrahere , & ſic totum ordinem promovere in bonum .
„ Hoc eſt quod opto , hoc eſt quod votis omnibus concupiſco ,
„ ut mediante gratia Salvatoris , cum coram ipſo fuero præ-
„ ſentatus dicere valeam : Domine quinque talenta tradidiſti
„ mihi , ecce alia quinque ſuperlucratus ſum . Quod nam-
„ que agere non valeo per præceptum , & coactionem propter
„ communem , & generalem fragilitatem , agere ſatago per
„ iſtorum exemplum , & attractivam charitatem , ut ſic omnes
„ perficiamur , per deiformem ſanctitatem . Quicumque autem
„ ſit ille , qui more Phariſæorum , nec ipſe vult intrare , nec
„ alios ingredi permittit ad bonum , ad nihilum valet ultra ,
„ niſi ut mittatur foras , & tam a dæmonibus , quam ab ho-
„ minibus conculcetur . Verum ſi adhuc ex abundantia miſeri-
„ cordiæ non foras ejiciatur , reducendus eſt ad id , quod ſo-
„ lemni voto promiſit . Et poſt hæc arctandus eſt per præ-
„ ceptum , ut ſervet ea , quæ ſcripta ſunt , nec poteſt ab iſto
„ præcepto quomodolibet reclamare , quia nihil de novo in-
„ jungitur ei , ſed tantum ea , quæ ſcripta erant , quando ipſe
„ fecit profeſſionem .

„ Quod ſi dicat indiſcretum eſſe præceptum , & indiſcretum
præ-

„ præcipientem ; petatur ab eo, quis magis ſit indiſcretus ? An „ præfatus præcipiens, ut ſervet ea, quæ ſua Religio dicta- „ vit, & ſcripſit ; An ipſe, qui non contentus de propria „ tranſgreſſione, alios qui volunt ſervare, quantum in ſe eſt, „ cogit ad tranſgrediendum ? quaſi arena maris apud intelligen- „ tem gravior apparet (ſi non fallor) indiſcretio tua. Quamob- „ rem ſic me oportebit agere cum quibuſdam, qui ſemper „ murmurant de actibus virtuoſis, & nituntur contra præfa- „ tum, ut videlicet arceam eos, vel ad dimittendum Fratres „ ſuos bene agere in pace, vel ad ſervandum omnia, quæ „ illi ſervant. Nullam enim excuſationem habere poſſunt, qua- „ re non poſſint ſervare illa, quæ ſervant illi, niſi propriam „ voluntatem, cui abſque dubio in profeſſione renunciaverunt. „ His itaque pro declaratione præmiſſis.

„ Reſpondetur ad illa, quæ ſuperfuerunt objecta. Primo quod „ propter difformitatem vitandam, & obſervantiam Religionis „ in melius provocandam, melius eſt maxime in hoc principio, „ quod tales habeant Conventus pro ſe. Secundo quod ego non „ peto unum Conventum præciſe, quia libentius haberem plu- „ res, & libentiſſime omnes, ſed ſic incipio ex pura diſcre- „ tione, ut pedetentim in melius procedatur ; & non niſi ex „ Fratrum libera voluntate. Tertio quod in locis ubi ſunt duo „ Conventus, hoc opus perfectius proſperatur, nec attendunt „ ſæculares, quod illi ſervant, & illi non, ſed dicunt quod „ Ordo Prædicatorum habet multos ſanctos viros, & bonos : „ faciamus eis bonum. Sic apparet in Conventibus Venetis, „ ubi occaſione Fratrum, qui erant in Conventu minori ſuam „ Religionem ſervantium procurata ſunt circiter xx. milia flo- „ renorum, & ultra pro Conventu majori, & amore iſtorum „ alii conſequuti ſunt non parvum emolumentum. Poſtmodum „ concludo poſt omnia, quod ſitis pacifici, & quieti, ſicuti „ veri Filii Patris veſtri Beati Dominici. Et Deus pacis, & „ dilectionis erit vobiſcum, quem obſecro pro me orare aſſi- „ due, ſicut ego indefeſſe oro pro vobis, cum quo, & in „ quo ſemper valete. Datum Panormi anno Domini 1395. „ die 16. Menſis Martii „ *Volens ego* (inquit P. Bartholo- mæus Provincialis Romanus) *ſicut & teneor mandato ipſius Reverendiſſimi mihi per litteram de manu ſua propria ſcriptam obedire, prædictam epiſtolam tranſmitto ſub ſigillo officii mei legendam in veſtro Provinciali Capitulo Fratribus capitulariter congregatis, charitatem veſtram exhortans in Domino, ut at-*

tendentes ad ſalutaria monita Patris noſtri, illa executioni mandare curetis, pro viribus. Valete in Domino, & orate pro me. Datum Romæ die 4. *Maji anno Domini* 1395.

CAPUT VIII.

Ex deſcriptis Raymundi litteris ejuſdem pro reparanda diſciplina Conſilium plenius explicatur. Erronea quorumdam intelligentia.

I. ANtequam ultra provehor a ſemita declinare paullulum libet, & Raymundi conſilium in reformationis negotio clarius explicare. Nec mihi crimini vertatur, quod filum abrumpo narrationis. Quoniam cum conatus hic meus eo unice ſpectet, ut in diſciplinæ regularis cultu juventutem erudiam, imperitoſque quodnam fuerit Parentum noſtrum in promovenda collapſæ diſciplinæ reformatione ſtudium, & zelus, doceam, cenſura notari minime debeo, ſi hæc paulo fuſius explicavero. Igitur duobus ſequentibus capitibus ad majorem eorum quæ Beatus Raymundus pro reformatione ſtatuit, illuſtrationem, non pauca adjicere conſentaneum cenſui. Et in primis hoc in capite quinam ſit illius legis, quæ in quaque Provincia unum pro reformatione deſignat cœnobium, genuinus ſenſus, quiſve finis, palam faciam, & non paucorum hac de re illuſiones corrigam.

II. Et ad primum, quod attinet, cum legem ſuam Raymundus edidit, in votis, ac animo habuit univerſum Ordinem reformare; ſed tam vaſtam Provinciam ſub initium non eſt aggreſſus, proterea quod citra miraculum id fieri minime poſſe prævidit. Imitatus eſt ſtrenuus, ac prudentiſſimus Generalis naturæ ordinem, quæ a minimis incipiens maxima molitur, & proceſſum gratiæ, quæ ab imperfectis ad perfectiora gradum facit. Divinus Mundi Reformator Chriſtus omnes quidem homines in admirabilem lucem ſuam advocavit; ſed paucos e tenebris reipſa eduxit, nec univerſum Judeæ Regnum reformavit. Divus Dominicus, ut ceteri Patriarchæ, totum ſuum Ordinem ſimul non fundavit, ſed modo unum, modo alterum erexit Conventum. Hanc inſtituit viam Beatus Raymundus Capuanus in ſui collapſi Ordinis

nis reparatione. In unaquaque Provincia antiquæ diſciplinæ ſemen ſparſit, hac ductus ſpe, ut, Deo irrigante, per univerſam Dominici vineam propagari deberet, copioſamque parere meſſem. Hocce fuiſſe ſuum conſilium ampliſſimis verbis ipſe teſtatur. *Ordinavi* (inquit in ſua Apologia) *ſaltem de uno Conventu, non quin plures haberem libentius & libentiſſime omnes; ſed tamen ſequens illum verſum: debile principium melior fortuna ſequetur: Tunc fui contentus de uno, ut decentius, & diſcrete procederem ad alios attrahendum. Quis eſt etiam Fratres mei meæ intentionis in hoc opere finis, niſi omnes Fratres ad idem attrahere, & ſic totum Ordinem promovere in bonum? Hoc eſt quod opto, hoc eſt quod votis omnibus concupiſco, ut mediante gratia Salvatoris, cum coram eo fuero præſentatus, dicere valeam: Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Quod namque agere non valeo per præceptum, & coactionem, propter communem, & generalem fragilitatem, agere ſatago per iſtorum exemplum, & attractivam charitatem, & ſic omnes perficiamur per Deiformem Sanctitatem. Quicumque autem ſit ille, qui more Phariſæorum, nec ipſe vult intrare, nec alios ingredi permittit ad bonum, ad nihilum valet ultra niſi ut mittatur foras, & tam a Dæmonibus, quam ab hominibus conculcetur.* Nec eum ſua fefellit ſpes, ſed votis ſuis optimus reſpondit eventus. Siquidem infra quinquaginta circiter annos Ducenti Conventus diſciplinæ reformationem amplexati fuerunt in diverſis Provinciis. Audiamus inſignem Congregationis Ollandiæ Vicarium Generalem Joannem Excuria in ſua ad Ducem Burgundiæ epiſtola ſeu tractatu de reformatione 3. *p. art.* 2. ubi hæc ſcribit. „ Ordinis quoque noſtri in Provinciis Romanæ, Lombardiæ, Hiſpaniæ, Aragoniæ, Theutoniæ, & Saxoniæ 200. vel circiter Conventus ſunt jam, Deo donante, reformati. Et reformatio, quæ jam in Terris veſtris Olandriæ, & Flandriæ firmata eſt uſque ad Civitatem Madeburgenſem, & Rooſtorgenſem, & parte una in Alemannia & uſque Nantas in Britannia dilatata eſt. „

III. Heinc palam fit, quam ſit fallax non paucorum hac de re perſuaſio. Putant namque non aliud voluiſſe Raymundum, ceteroſque Generales Magiſtros, ac Generalia Comitia, quæ præfatam legem, data occaſione, ſeveriſſime obſervari mandant; niſi quod in ſingulis Provinciis unum reipſa reperiatur Cœnobium reformatum, tametſi nulla ſit cura de propaganda in alios Conventus reformatione. Deceptionis ea eſt cauſſa, quod exiſtiment Reformationem conſilii eſſe, non præcepti; libertatis, non neceſ-

ceſſitatis : ut ſcilicet ſi aliqui Religioſi ferventiore charitate ardentes ad unguem Regulam & Conſtitutiones ſervare velint, conventum habeant, in quo deſideria ſua implere poſſint : inſuper ut Novitii in eodem educari, & imbui valeant. Quæ ſane interpretatio erronea eſt. Quamvis enim B. Raymundus ſolos voluntarios Fratres in reformatis Cœnobiis collocari præſcribat; non idcirco tamen excuſantur refractarii, ut infra palam fiet. Quandoquidem obſervantia votorum, Regulæ, & Conſtitutionum, non conſilii opus eſt, ſed propriæ ſolemnis profeſſionis altiſſimum debitum. Senſus itaque, & finis præfatæ legis eſt ut, uno reformato Cœnobio, in aliud reformatio propagetur, donec univerſa Provincia ad antiquam vivendi rationem revocata fuerit. Quid ſi pluribus in Provinciis nec hoc unicum reformatum Cœnobium reperiretur? Illis relinquo, quorum ex graviſſimo officii debito intereſt, inquirere, an in univerſa Italia extra Congregationes ſint in ſingulis Provinciis Conventus iſti, in quibus revera vigeant abſtinentia a carnibus, & a lineis induſiis, cuſtodia ſilentii, nocturnæ vigiliæ, & quod præcipuum eſt exacta bonorum omnium Communitas, cujuſque privati peculii expers. Quam Communitatem potiſſimum in Conventibus pro Novitiorum educatione deputatis Concilia, & Pontifices, nedum regula, & Conſtitutiones ſervari præcipiunt. Obiter indicabo quæ ſtatuit Alexander Papa VII. pro regulari obſervantia amplificanda in Ordine Prædicatorum in ſuo decreto emanato anno Domini 165-. die 11. Maji, cujus initium eſt. *Ad propagandam in Ordine Prædicatorum regularem obſervantiam . . . . Quibus peractis, mox, qui ſub prædicta forma fuerit examinatus, tranſmittatur in habitu ſæculari ad Conventum Novitiatus ſibi deputatum, ut in eo habitum Religionis recipiat; & elapſo anno poſt ſuſceptum habitum ad profeſſionem admittatur ſub exacta VITA COMMUNI ad præſcriptum Regulæ, cum ſolita proteſtatione quod PROFESSIO SUA EUNDEM OBLIGABIT AD TRIA VOTA SECUNDUM REGULAM SANCTI AUGUSTINI, ET CONSTITUTIONES ORDINIS, ET NON SECUNDUM QUOD HIC, AUT IBI SERUATUR, nec non ſervata forma Sacrorum Canonum, Concilii Tridentini, Conſtitutionum Apoſtolicarum, & præcipue Decretum Sanctæ memoriæ Clementis VIII., ac ſtatutorum prædicti Ordinis. In ipſis autem Conventibus non collocentur, niſi Religioſi graves, devoti, & exemplares, & regularis obſervantiæ, & puritatis Regulæ ſtudioſi. Præcipue vero caveatur, ne ibi ponatur aliquis, qui non conſentiat ſervare VITAM COMMUNEM, quæ in*

Digitized by Google

in prædictis Conventibus exacte cuſtodiatur, indeque amoveantur, qui tam Sanctæ Ordinationi contradicere, aut quoquo modo ſe ſe opponere auſi fuerint. Omnes Religioſi, qui nunc vitam degunt, ad præfati decreti, & aliarum Apoſtolicarum Conſtitutionum, propriæque Regulæ præſcriptum ſolemnem emiſerunt profeſſionem; ergo omnes iiſdem devincti ſunt obligationibus.

CAPUT IX.

Beatus Raymundus prudentiſſime ſtatuit ſolos voluntarios Fratres in Cœnobiis reformatis collocare. Non ob id excuſantur nolentes ingredi. Qui ingreſſi ſunt ad Conventus relaxatos, ſi tranſeunt, peccant mortaliter, & in extremum damnationis periculum ſe ſe conjiciunt.

I. DIVINUM plane concepit conſilium Beatus Raymundus, cum, ut collapſam Ordinis diſciplinam inſtauraret, ſolos religioſos ad jugum ſublimis perfectionis portandum delegit, qui, gratia libertatis ſponte ad id vocatos, ſe ſe exhiberent. Potuiſſet utique præceptorum, pœnarumque ſeveritate omnes perurgere ſubditos, ut quod Deo ſolemni voto ſpoponderant, opere complerent. Verum nec præcepta, nec ſupplicia ſatis ſunt ad immutanda hominum corda. Dexteræ Excelſi eſt mutatio iſthæc. Sapientum Legiſlatorum eſt plura permittere, quæ impedire nequeunt. Quoties omnibus inſpectis, & expenſis, ſpem concipiunt prudentem optati eventus, non modo debent, ſed graviſſime obſtricti ſunt Superiores omnes, ſubditos ſuos pœnis, & mandatis ad proprium perſolvendum penſum adigere. Contra vero, cum probabiliter prævident, plura mala, & ſcandala ex juſtitia cogente conſequutura, gladius poteſtatis in ſuſpenſo hæreat; Deoque ſupremo rerum omnium moderatori cauſſam committant. Cum Raymundus Ordinis reparationem aggreſſus eſt, pauci erant, qui arctam Monaſticæ obſervantiæ ſemitam percurrere vellent, maxima vero multitudo eorum, qui latam, & ſpatioſam relaxationis viam inambulabant. Prudentiſſime ergo eos ſolos ſubditos ad inſtaurandam diſciplinam delegit, qui propriæ profeſſionis memores, & Divinæ charitatis ardore flagrantes, ſponte, & libere vota labiis ſuis Deo diſtincta reddere vellent. Si invitos coegiſſet, oleum, & operam per-

perdidiſſet; quoniam major pars meliorem deſtruxiſſet. Idcirco liberos ab invitis ſecrevit, ne iſtorum malitia illorum Sanctitatem inquinaret.

II. Ex hoc autem, quod B. Raymundus Fratres dumtaxat libere reformari aventes in unum congregaverit; inferre quiſquam minime jure valet, a graviſſimo amplectendæ reformationis debito refractarios excuſari. Quoniam Raymundus ipſe teſtatur ſe a præcepto abſtinuiſſe, propter univerſalem fragilitatem, & propter ſcandala, & ſchiſmata, quæ futura prævidebat, ſi omnes ad id coegiſſet. *Quod namque* (inquit loco laudato) *agere non valeo per præceptum, & coactionem propter communem, & generalem fragilitatem; agere ſatago per iſtorum exemplum, & attractivam charitatem*. Quod ut evidenter id palam faciam ſincera notio reformationis, de qua mihi eſt ſermo, promenda eſt. Hæc autem tota elucet in ſola obſervantia Regulæ, & Conſtitutionum, ad quarum præſcriptum omnes Prædicatores mores ſuos componere, Deo, Sacro ritu, ſpoponderunt. Reformatio iſthæc nihil omnino ad jugum ſolemnis profeſſionis noſtræ ſuperaddit. Si ergo omnes eandem emittunt profeſſionem, omnes quoque ad ejuſdem profeſſionis inſtauratam obſervantiam ſuſcipiendam adſtricti ſunt. Et quamvis nulla ſingularis conſtitutio ad culpam, ex genere, ut ajunt, ſuo, obliget, omnium tamen collectio, quæ Ordinem noſtrum ab alio diſtinguit, gravis culpæ damnat tranſgreſſores. Qui ex fragilitate hanc, vel illam conſtitutionem infringit, a criminis reatu excuſari poteſt. Ii vero omnes qui animo deliberato reparatam, vel reparandam ſuæ profeſſionis obſervantiam reſpuunt, in omnium Caſuiſtarum ſententia, peccant mortaliter, non vacat omnes recenſere. Unius Doctiſſimi Theologi Joannis Excuria ſententiam ex ſuo tractatu de reformatione 3. *p. ar.* 3. tranſcribo. *Religioſi, quorum voluntas renuit ſubjici ordinationibus regulæ & Conſtitutionum: ſed deliberate magis volunt extra obſervantiam vivere regularem nolentes reformari, ſive reſiſtant ut tertii, ſive non reſiſtant, ut ſecundi, ſi ſic perdurant uſque in finem, non poſſunt niſi damnabiliter mori, niſi Deus faciat miraculum; quoniam vixerunt, & mortui ſunt formaliter contemnentes: & per conſequens in peccato mortali. Dicit enim Magiſter Umbertus ſuper regulam B. Auguſtini, quod contemnere remedia contra delicta tranſgredientium, pejus eſt omni alio contemptu*.

III. Qui in Cœnobiis, ſeu Congregationibus reformatis profeſſionem emiſerunt, & ad Conventus, ſeu Provincias relaxatæ diſciplinæ tranſmigrant, non modo peccant mortaliter, ſed in graviſſimum æternæ damnationis periculum ſemetipſos detrudunt.

Ut

Ut autem vel minimæ exaggerationis ſuſpicionem in anteceſſum diſpellam, Conventus ſeu Provincias relaxatæ diſciplinæ eas appello, in quibus obſervantia ſilentii, abſtinentiæ a carnibus, a lineis induſiis, aliarumque conſtitutionum uſus non viget: & potiſſimum in quibus votum paupertatis non eo modo ſervatur, ſicut in Regula, & Conſtitutionibus ſervari præcipitur; in quibus omnia de Communi pro victu, & veſtitu non ſuppeditantur, in quibus pro veſtitu præfinita pecuniæ quantitas Religioſis exhibetur; in quibus denique ſinguli Religioſi ſuum privatum peculium, ſeu ut vocant depoſitum habent. Quæ omnia regula & Conſtitutiones ſeveriſſime prohibent. Et ne ullus unquam aliquam præſcriptionis ſeu contrariæ conſuetudinis ſibi faventis larvam effingere poſſit; in ipſo profeſſionis momento omnibus denunciatur quod profeſſio emittenda illos obligabit, non ſecundum quod hic, vel alibi vivitur; ſed ſecundum Regulam Auguſtini & Conſtitutiones Fratrum Prædicatorum. Quibus poſitis, hanc conficio argumentationem. Quicumque in proximo periculo violandi propriam profeſſionem ſe libere conſtituit, peccat mortaliter. Fratres tranſeuntes a Congregationibus regularis obſervantiæ ad provincias jam deſcriptas in hocce periculum reipſa ſe conjiciunt; rei itaque læthalis culpæ ſunt, & ſi in hoc perſiſtunt ſtatu, in diſcrimine graviſſimo verſantur damnationis. Audio reponi, tranſitum hunc, haudquaquam inducere propriæ profeſſionis violandæ proximum periculum. Quoniam, inquiebat quidam, aliis tranſgredientibus legem, ipſe ſervabo profeſſionem meam. Communis ergo aliorum tranſgreſſio nulla tibi deficiendi occaſio erit? Nonne vel ipſi Caſuiſtæ omnes de occaſionis natura agentes, nonne vel ipſe communis ſenſus futilem hanc reſponſionem reprobant, eamque, ut audaciæ, temeritatis, atque ſuperbiæ plenam damnant? Cedo. Nonne & in corrupto ſæculo evangelium Chriſti obſervare poteras? Cur illud reliquiſti? Cur Cœnobium elegiſti? Niſi quia a multitudinis in malum prolabentis torrente abripi pertimuiſti? Nunc autem inter offendicula & innumeras occaſiones deliberato animo ipſe te detrudis, & naufragium ſponte quæris. Verum ne ullo modo elabi poſſis, neque illuſione aliqua tibi fucum facere, hanc inſtauro demonſtrationem. Quicumque deliberato animo, non modo in occaſionem, ſed etiam in evidentem neceſſitatem violandi aliquod præceptum ſe conjicit, peccat mortaliter; & donec in hac neceſſitate libere permanet, in periculo volutatur reprobationis æternæ. Atqui omnes illi, qui a Congregationibus re-

reformatis, ad provincias relaxatas, quas deſcripſimus tranſeunt, in manifeſta ſe conſtituunt neceſſitate violandi præceptum vitæ communis, & habendi proprium privatum peculium, ſeu ut vocant, depoſitum. Quamvis ergo jactare, per ſummam illuſionem, poſſis aliarum conſtitutionum obſervantiam, vel in ipſa occaſione; nullo tamen modo aſſerere auſeris, poſſe præceptum communis vitæ graviſſimum, in præfatis provinciis obſervare. Nec eſt, quod opponas heinc conſequi, omnes religioſos collapſæ diſciplinæ in ſtatu eſſe damnationis. Quandoquidem non omnes illi deliberato animo permanent in tali ſtatu. Illorum plures reformationem anhelant, eamque ſuſcipere animo ſincero parati ſunt. Eos ſolos, cum communi Theologorum conſenſu, dicimus non eſſe in ſtatu tuto, qui diſciplinæ ſuæ religionis reformationem, & propriæ profeſſionis obſervantiam reſpuunt, ejuſque introductioni vel reſiſtunt, vel propriam operam in id conferre recuſant. Porro, qui relicta regulari obſervantia, quæ in Congregationibus viget, ad Provincias relaxatas ſe conferunt, reipſa, & facto declarant, ſe nolle obſervantiam propriæ profeſſionis, quamvis ſibi mentientes, verbis eam oſtentare non erubeſcant: alioſque ſuo exemplo, quantum per ipſos eſt, & ab ingreſſu retardant, & ad egreſſum provocant. De his autem loquitur Beatus Raymundus. *Quicumque autem ſit ille, qui more phariſæorum nec ipſe vult intrare, nec alios ingredi permittit ad bonum; ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & tam a Dæmonibus, quam ab hominibus conculcetur*. Sed juvat rem totam explicare verbis piiſſimi Joannis Excuria, qui laudato tractatu articulo tertio hæc habet. „ Quanquam ſingulos religioſos extra obſervantiam vi„ ventes, quemlibet unum pro ſuo perſonali debeamus, velimuſ„ que de conditione eorum, qui primo, aut quinto loco poſiti „ ſunt intelligi; quia tamen modus ille vivendi, tam effuſus, ac „ laxatus eſt, ut in eo paſſim, & notorie in oculis videatur in„ differens uſus peculii, perſonalis, & propria ſollicitudo ſui. „ In cibo autem, & in omni victu, veſtitu quoque, & ſtatu, ac „ ceteris cæremoniis, quæ regularitatem continent, nihil auſte„ ritatis vel aſperitatis in hujuſmodi religioſis conſpicitur magis „ quam in laicis. Proinde modus ille, quantum in ſe eſt, in „ tantum eſt ab omni ſtrictura regularitatis ſolutus, ut non re„ ligio, ſed diſſolutio, non forma, vel norma; ſed enormis de„ formatio, quantum apparet exterius videatur. Quod viri do„ cti honeſtatis fama præclari, doctrina, & exemplari vita ful„ gentes in eodem interdum inveniantur; eſt ad ſolas gratias

„ per-

„ perſonales omnimode referendum; & ſoli Deo penitus tri-
„ buendum: non autem, quod modus ille vivendi quippiam ſa-
„ lutis ſuis afferat cultoribus, nec privilegium paucorum trahen-
„ dum eſt ad conſequentiam multitudinis . . . . . Modus ille vi-
„ vendi quorundam Religioſorum, in quo regula, & Patrum
„ ſtatuta, ſeu conſtitutiones raro vel numquam ſervantur, ſed
„ paſſim, & quaſi ſemper tranſgrediuntur, quantum eſt ex ſe
„ judicandus eſt damnabilis, quia ſuos amatores, & defenſores,
„ ſi ſic moriantur, inevitabiliter damnat. Alios vero in eo ſecun-
„ dum illius relaxationes in finem uſque viventes non ſine maxi-
„ mo periculo exponit tremendo Dei judicio . . . . Cum omnis
„ Religioſus non obſervans, ſed paſſim, & indifferenter Regu-
„ lam, & Patrum ſtatuta tranſgrediens, ſi ſic moriatur, ſit plan-
„ gendus, aut tanquam inevitabiliter, quantum eſt ex conditio-
„ ne modi vivendi perdendus, aut tanquam periculo extremæ
„ perditionis expoſitus, per omnem in hac parte habentem fa-
„ cultatem eſt ad frugem ſecurioris vitæ per reformationem quan-
„ tocius, & commodius fieri poteſt reducendus.„

IV. Illud unum addere liceat, Doctrinæ datæ ipſorum Fratrum a reformatis ad relaxatos tranſeuntium exitum, tremendum in modum reſpondere. Plurimos ejuſmodi deſertorum, quorum finis lacrimabilis fuit, ipſe agnovi; certoque ſcio, non ob aliam cauſſam ſtatum mutaſſe, niſi ut regularis obſervantiæ jugum excuterent, vivendique libertati habenas laxarent. Prætexere utique ſolent fucis, & coloribus ſuam diſciplinæ regularis deſertionem: illis ſtomachi carnibus indigentis debilitatem: Iſtis ad nocturnas vigilias frequentandas impotentiam, & ſimilia opponentibus, & non raro matrem propriam, ut iſtius furfuris homines ſolent, infamantibus. Quæ omnia putidiſſima ſunt mendacia ad excuſandas excuſationes in peccato excogitata. Nam revera alii exeunt, quod judex in eorum delicta inquirit, & ut juſtitiæ vindicantis pœnas evadant: alii quod judicis ſententiam, ex juris formulis, latam, in eorum manifeſta delicta exequi refugiunt, infamiamque publicam ſe perferre non poſſe ajunt: verbo dicam, ut liberius vivere valeant. Quid plura? Apud ipſas Provincias in proverbii conſuetudinem venit, neminem I xius vivere, præ iſtis qui regularis obſervantiæ ſemel Deo adpromiſſæ, & in ea educati, inſignia poſuere. Hac tamen manifeſta veritate minime impediente, Provinciæ ipſæ, data occaſione, deſertores iſtos in filios ſuos adoptare non deſiſtunt, recepta alicubi pro affiliationis beneficio non parva eleemoſinæ quantitate. Quod ſa-

ne ex ſingulari Numinis providentia evenit : ut ſcilicet abſciſſis putridis membris, totius corporis ſanitas integra, & robuſtior conſiſtat, &, foras emiſſa amurca, oleum nitidius ardeat ante Altare Domini. Hæc dum curſim ſcribo, audio eorum quæ dixi funeſtum exemplum, Religioſum ſcilicet in obſervantia regulari educatum fieri ſui ſancti propoſiti inverecundum, & ingratiſſimum deſertorem, & ad relaxatiſſimum tranſire Cœnobium, ut vacuum alterius ſimilis deſertoris locum occupet. Sunt enim & malorum ſedes implendæ. Eo cœcitatis prolapſurum fuiſſe virum hunc, nunquam credidiſſem; quoniam non aliquo prætextu vel fucato præcedente; ſed ſola liberius vivendi voluntate in neceſſitatem ſe conjicit manifeſtam ſuam violandi profeſſionem. Quæ omnia, non animo cuiquam detrahendi enarravi : abſit hoc a viro honeſto, nedum religioſo. Scio me quolibet momento in pejora prolabi poſſe Dei gratia, ſi deſit : ſcio maximum eſſe infinitæ clementiæ donum, quod hilari, & conſtanti animo obſervantiæ regularis ſuaviſſimum jugum portare valeam, illudque mihi leve ſit ; ſed hæc omnia eo dicta velim, ut vacillantes confirmem, ut imperitos erudiam, ut puſillos a ſcandali periculo eripiam, ut denique, qui in Arca regularis obſervantiæ, Deo miſerente, locati reperiuntur, cum timore, & tremore ſalutem ſuam operentur : & qui ſtant videant ne cadant. At hæc fuerit nobis tanquam levis armaturæ prima orationis excurſio : alibi cominus, & validius rem hanc pertractabimus.

CAPUT X.

E Sicilia Venetias B. Raymundus concedit. In Conventu Sanctorum Joannis, & Pauli moratur, plura in reformationis favorem decernit. Thomæ de Senis facultatem impertit recipiendi pias mulieres ad habitum de Pœnitentia Divi Dominici.

I. SATIS extra viam per diverticula evagati ſumus. Ut itaque eo, unde diſceſſit, ſermo regrediatur, hiſtoriam reformationis perſequamur. Exeunte anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto, Beatus Raymundus Generalis Magiſter, e Sicilia Venetias iter arripuit, hucque appulit, circiter Nativitatem Domini. Cœnobium Sanctorum Joannis

nis, & Pauli inhabitandum deliget, ibique ſex Menſes præter propter conſedit. Conciones in ejuſdem Cœnobii Eccleſia eloquentiſſimus ſui temporis Concionator Thomas Antonii Senenſis habebat ad populum, ac integra quadrageſima aliquod prodigium de Seraphica Catharina Virgine Senenſi Concionibus ſuis permiſcebat, ut erga tantam Virginem devotionis fervorem in populis accenderet. Hæc omnia enarrat ipſe Thomas Senenſis, exprimitque ſtylum partim latina, partim Italica lingua contextum, quo e ſuggeſtu verbi Dei Concionatores ad populum tum loquebantur. En ejus verba. „ Circa vero Nativitatem Domini (anno 1395) contigit ſupradictum Magiſtrum Ordinis, de Sicilia advenire Venetias ad Conventum Sanctorum Joannis, & Pauli, ubi in die præfato Sermonem devotum feci in latino coram populo, & juxta morem aliqualiter in vulgari proponendo: *Videamus hoc verbum quod factum eſt*, & de eodem verbo mirabilter proſequendo. In quadrageſima autem immediate ſequenti currente anno MCCCXCVI. alii ex noſtris fratribus hinc inde prædicaverunt; ego autem prædicavi in dicto Conventu Sanctorum Joannis & Pauli prædicando de Crucifiſſo, cui Beata Virgo Catharina de Senis ſingulariter extitit conformata, die qualibet dictæ quadrageſimæ, id ipſum deducens, & oſtendens de dicta Beata, habita prius dicta prædicationis materia, cum ſupradictis Domino Patriarcha, & Domino Presbytero Leonardo (Piſano) ſerioſa collatione.

II. E Sicilia ſecum detulerat Raymundus Legendam Sanctæ Catharinæ Senenſis a ſe conſcriptam, illamque exſcribi mandavit, & Apographum in bibliotheca ejuſdem Cœnobii reponi, aliaque exemplaria ad diverſas provincias tranſmitti curavit. In præfata quoque Eccleſia, jam tum Seraphicæ Verginis memoria recoli cœptum eſt. Quin ad majorem cultus dilatationem Magiſter Ordinis Raymundus brachium argenteum conſtrui fecit, ad Cœnobium Sanctæ Mariæ ſuper Minervam de Urbe transferendum. Quod brachium Feſtis Paſchalibus Thomas Senenſis e ſuggeſtu populo oſtendit. „ Oſtendi autem, (inquit laudatus auctor,) in feſtis paſchalibus dictæ quadrageſimæ unum brachium argenteum in reverentiam Virginis prædictæ per dictum Magiſtrum ordinatum ad Conventum Sanctæ Mariæ ſuper Minervam Ordinis Prædicatorum de Urbe, ubi corpus ejuſdem Virginis requieſcit, ſuo tempore deportari, ſicut & factum eſt. Cum autem ſupradictus Generalis Magiſter

„ giſter portaſſet ſecum de Sicilia legendam prolixam hujus Virginis per ipſum compoſitam, & completam, de mandato ſuo fecit copiare illam, & tandem copiata poſita eſt in libraria dicti Conventus Sanctorum Joannis & Pauli. Tunc datus eſt ordo, ut etiam copiarentur de aliis in reverentiam Virginis & pro dilatatione ſanctæ vitæ, & doctrinæ ejuſdem ad diverſas hinc inde Provincias, & ad loca diverſa, & cum principiatione annualis memoriæ dictæ Virginis in Eccleſia dicti Conventus.

III. Maximum percipiebar gaudium Raymundus intuens inſtauratam a ſe diſciplinam ceu fœcundam plantam in dies aſſurgere, ſuaviſſimoſque fructus edere. Ejus odore allecti tum viri, tum mulieres ſæculo valedicentes, illi in duobus Cœnobiis Sanctorum Joannis, & Pauli, & Sancti Dominici de Caſtello Religioni noſtræ nomina dabant: iſtæ vel Monaſterium Corporis Chriſti nuper erectum ingrediebantur, vel habitum ſororum de pœnitentia ſuſcipiebant, quem ſtatum profeſſa fuerat Virgo Senenſis. Nihil non agebat in reformationis incrementum Raymundus, ac veluti diligens agricola, arbuſta a ſe plantata quotidie irrigabat, totamque iſtam Venetam Vineam, quam ceu dilectiſſimam ſponſam deperibat, qua ſtatutis, qua adhortationibus qua objurgationibus excolebat, cuſtodeſque vigiles eidem præficiebat. Quoniam vero ſingulari devotionis fervore ferebatur erga Senenſem Virginem, quam ſuam Magiſtram ſemper appellabat, & in reformationis negotio, ut ſuam Conſiliatricem venerabatur, Thomæ Senenſi facultatem Virgines ad ejuſmodi ſtatum recipiendi impertitus eſt. Cum narrationem Thomæ Senenſis, tum litteras parentes ejuſdem Generalis deſcribo. *Poſtea vero* (inquit Senenſis) *cum aliquando interveniſſet ſermo, præſente ſupradicto Magiſtro de fructu animarum, qui fiebat in Venetiis mediantibus Prædicationibus, & obſervantia Regulari, & quomodo propter diverſitatem perſonarum utriuſque ſexus reformatarum, licet non omnes eſſent aptæ ad relinquendum mundum ex toto, multæ tamen poſſent habiliter aſſumere ſtatum, & habitum de pœnitentia Beati Dominici, de quo ſtatu ratione ſupradictæ Beatæ Catharinæ de Senis, quæ fuit ſoror dicti ſtatus, & ordinis, jam erat a me aliqualiter prædicatum: placuit præfato Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, mihi negotium de introductione dicti ſtatus in Venetiis committere una cum reverendo Patre Fratre Joanne Dominici. Unde mihi ſuper id ſuas litteras antequam diſcederet de Venetiis*

tiis de Menſe Julii ordinavit, quarum tenor eſt, videlicet. „ In
„ Dei Filio tibi dilecto Reverendo Fratri Thomæ Antonii de
„ Senis Ordinis Prædicatorum Frater Raymundus ejuſdem Or-
„ dinis humilis Magiſter, & ſervus, ſalutem & Chriſtum Do-
„ minum efficaciter imitari. Cupiens & affectans noſtrum Or-
„ dinem non ſolum quantum ad Fratres, & ſorores Sancti-
„ moniales, ſed etiam quantum ad Fratres, & ſorores de
„ pœnitentia Beati Dominici, non tantum quoad meritum,
„ & numerum, ſed etiam acquirendi loca ad hoc diſpoſita,
„ & ſignanter in Civitate famoſa Venetiarum ad Dei gloriam,
„ & animarum ſalutem, & quod Ordo noſter noſcitur prin-
„ cipaliter inſtitutus, continue de bono in melius creſcere &
„ dilatari. Idcirco vobis, de cujus ad cuncta præfata bono
„ zelo, & affectione plene confido, concedo auctoritatem
„ meam plenariam, quatenus poſſitis ſupradictam Religionem
„ ſingulariter ſororum de pœnitentia Beati Dominici inchoare,
„ dirigere, & gubernare, Dominas quaſque juxta diſcretionem
„ veſtram ad habitum dictarum ſororum recipiendo, Prioriſ-
„ ſas & ſupprioriſſas eis inſtituendo, capitula eiſdem tenen-
„ do, nec non & in abſentia veſtra Vicarium inſtituendo, &
„ omnia circa ipſas, quæ ego facere poſſem, ſi præſens eſſem,
„ faciendo, ſignificando omnibus præſentes litteras inſpecturis,
„ qualiter ultra omnia ſupra dicta, etiam ſingulari intuitu Bea-
„ tæ Catharinæ de Senis Matris, & Magiſtræ meæ, quæ fuit
„ de dictis Sororibus, de pœnitentia Beati Dominici, ego per-
„ optarem ubique, & ſignanter in Civitate præfata, ut præ-
„ fertur, congregationem ipſarum adeſſe, & tam merito quam
„ numero augeri. Quapropter confidens ad plenum ſuper hoc
„ de Fratre Thoma prælibato ſupraſcriptam authoritatem ei
„ plene concedo, nolens, quod aliquis me inferior eum in
„ aliquo impedire præſumat, ſeu quovis modo de ſupradicta
„ materia valeat; niſi quantum, & quomodo dictus Frater
„ Thomas una cum Fratre Joanne Dominici duxerit attentan-
„ dum. In quorum teſtimonio ſigilla noſtra duxi patentibus
„ apponenda. Anno Domini MCCCXCVI. die duodecima
„ Menſis Julii „.

CA-

CAPUT XI.

B. Raymundus in Germaniam proficiſcitur. Venetiis in Cœnobio Sanctorum Joannis & Pauli ſæviente peſte, plures ſanctitate celebres e vivis excedunt. Thomas de Senis Prior Provincialis Græciæ inſtituitur.

I. MEnſe Julio exeunte anni Milleſimi trecenteſimi nonageſimi ſexti Beatus Raymundus, relicta Venetiarum Civitate, quam ſummopere diligebat, ut locum primitiarum ſuæ in Italia Reformationis, in Germaniam viam inſtituit. Anno inſequente poſt ejus abitum, nempe MCCCXCVII, menſe auguſto, Venetias peſtis inficere cœpit. Plures tum Religioſi ſanctitate eximii in reformato Sanctorum Joannis, & Pauli Cœnobio florebant. Sæviente peſte, circiter ſexdecim alii Divinas concinentes laudes, alii mirabilia patrantes, alii inter ſanctorum amplexus, vitam cum morte commutarunt. Beatus Joannes Dominici Reformationis negotium, cui præſidebat, maximum pati detrimentum ex tot Religioſorum jactura pertimeſcens, non paucos fratres alio demigrare jubet. Parati ad obediendum Prælato cum eſſent; ut illis innotuit diſceſſus cauſſam aliam non eſſe, quam ut peſtilentiæ periculum evaderent, lacrimas ad Prælati pedes fundunt, & humiles, ferventeſque preces porrigunt, ut, ſuſpenſo mandato, ſecum commorandi licentiam faciat. Quemadmodum enim, quacumque alia ex cauſſa, libentiſſime Venetiis diſcederent, ita, ſumma ſe affici triſtitia, reponebant, cum animo reputarent, ſe ad portum ſecuritatis confugere, cariſſimis Fratribus ſuis mortis diſcrimini relictis obnoxiis; malleque & in morte, & in vita cum ſociis eſſe, eamdemque perferre ſortem, quam ſine illis lucis iſtius aura perfrui. Omnes itaque certatim ad proximorum cum ſpiritualem, tum corporalem ſalutem procurandam animum, ultimoſque conatus intendunt. Haud eſt facile dictu, quam ardens fuerit apoſtolicus iſtorum fratrum zelus. Non modo in Eccleſiis conciones habebant, crebraſque aures confitentibus præbebant: ſed civitatem univerſam circumeuntes, qua adhortationibus, qua eleemoſinis fame & penuria laborantibus opem & ani-

& animæ, & corpori ferebant. Joannes Benedictus inſigni patritia familia natus, pauperes extrema laborare fame, ſimul ac cognovit, Patrem ſuum carnalem adiit, a quo centum ducatos accepit, & ab alio Domino trecentos pauperibus diſtribuendos. Iis erogatis, Tarviſium, quo Nobiles viri non pauci, ut peſtis periculum declinarent, ſe ſe receperant, petiit, a quibus alios trecentos ducatos in pauperum ſuſtentationem accepit expendendos. Tandem oſtiatim per civitatem aliam pecuniæ ſummam corrogavit, qua & peſtis, & famis periculo expoſitis ſuppetias ferret. Iſtos inter commilitones, ſtrenuoſque Patriarchæ Dominici ſucceſſores mirum in modum emicabat poſt Joannem Dominici Thomas Antonii Senenſis. Illius ergo ſinceram narrationem deſcribere volo, quæ ejuſmodi eſt.

„ III. Contigit autem dicto anno (MCCCXCVII.) circa „ menſem Auguſti supervenire peſtem in Civitate Venetiarum: „ Dignatuſque eſt Dominus inter alios etiam nos Fratres de Con„ ventu Sanctorum Joannis, & Pauli viſitare de peſte in tan„ tum, ut quamplures de illa ex noſtris feliciter migrarunt ad „ Dominum; inter quos unus fuit Venerabilis Pater Frater Tho„ mas Ajutami Criſto de Piſis, tunc Prior dicti Conventus. Item „ Frater Hieronymus de Fulgino fervens Prædicator, & tunc „ Magiſter Novitiorum, nec non & aliqui alii Diaconi, Sub„ diaconi, Novitii, & Converſi. Quorum omnium, Fratre Jo„ anne Dominici, ac me, & aliis præſentibus, unus diſceſſit „ cum decantationibus laudum: Alius cum mirandis viſionibus: „ Alius præfatis omnibus ſimul; & ſic ſimiliter ipſorum cujuſ„ libet devotiſſima ſepultura fuit. Ex quibus omnibus, utpote „ tam charitativis viſitationibus, & mutuis ſubventionibus, quam „ devotis migrationibus, ac etiam ſepulturis, non erat aliquis „ ex noſtris, qui diſcedere vellet a nobis, & alibi accedere, ut „ peſtem evaderet. Et cum, me teſte, contigiſſet, Fratrem Jo„ annem Dominici, quoſdam velle mittere ad cautelam, & et„ iam hoc ipſum ordinaſſet; & illi ad implendam obedientiam „ prompti, & parati exiſterent, cum innotuiſſet eis de cauſſa, „ dicto Patri humiliter ſupplicarunt, quatenus eidem placeret ex „ hoc eos nolle emittere, quia longe amplius conſolati mane„ bant cum ſociis permanendo, quam pro tutela alibi acceden„ do. Fuerunt autem omnes ſupradicti 16. qui, in dicto tempo„ re, feliciter ad Dominum migrarunt. Nec exiſtimo ſilentio „ tranſeundum, quod, dicta peſte durante, & me in dicto Con„ ventu continue prædicante, mirabiliter mihi conceſſit Altiſſi-

„ mus in tantum populo advenienti ſolatia ſpiritualia tradere, ut
„ magna portio, ſe prompte diſponeret ad talem mortem ſuſcipien-
„ dam lætanter, & conſimiliter ad confortandum infirmatos de
„ morbo peſtifero, allegans inter alia hoc tempus fore ſimile quo-
„ dammodo tempori martyrum, in quo tam martyres, quam
„ martyrum confortatores pariter merebantur. Et licet multi
„ Venetorum, ſignanter Nobiles, propter peſtem de Venetiis di-
„ ſceſſiſſent, ac etiam aliqui, quod dictus Frater Joannes Domi-
„ nici, & ego, quod deberemus diſcedere, ſuaderent; attamen
„ publice prædicabam, qualiter ſupradictus Pater, & ego para-
„ ti eramus pariter ad vitam, & ad mortem cum eis immobili-
„ ter, ac viriliter permanere; ac omnes viſitare, omniaque no-
„ bis poſſibilia & principaliter ad ſalutem animarum pertinentia
„ executioni debitæ demandandum. Inter hæc autem inſonuit
„ vox de maxima penuria, & indigentia tam carnali, quam
„ ſpirituali, quamplurium infirmorum, & ſingulariter popula-
„ ris ſtatus, hinc inde per Civitatem commorantium; propter
„ quod quidam de noſtris, videlicet Frater Joannes Benedicto de
„ Venetiis tam in prædicatione, quam in aliis piis operibus to-
„ tus fervens, ſupradictis miſeriis ex corde compatiens, veluti
„ a Domino inſpiratus, & accepta licentia a prædicto Fratre
„ Joanne acceſſit ad ſuum Patrem Carnalem, & obtentis ab eo
„ centum ducatis, cœpit illos hinc inde diſpergere, tam vere-
„ cundis, quam omnis conditionis infirmis; eis non ſolum tota-
„ liter ſubveniendo, ſed etiam ipſos conſolando, & ad confeſ-
„ ſionem audiendo. Cum autem ſuccreſcerent indigentiæ ſupra-
„ dictæ, acceſſit etiam audacter ad Dominum, a quo Ducatos
„ trecentos obtinuit, quibus conſumptis verſus Triviſium iter
„ arripuit, ubi multi Nobiles declinaverant propter peſtem,
„ quos requirens ab eis trecentos Ducatos alios reportavit. De-
„ inde per Venetias hinc inde diſcurrens a diverſis ultra Duca-
„ tos quadringentos invenit, ut ſic aſcenderet præfata pecunia,
„ infirmis, per ipſum, hinc inde, diſperſa longe ultra mille
„ Ducatos, prout idem Frater Joannes perſonaliter affirmavit;
„ cum qua pecunia duplex opus miſericordiæ tam ſpirituale,
„ quam corporale longanimiter eſt proſequutus, quandiu videli-
„ cet a Prælatis ſuis fuit ſibi permiſſum; Nec eſt tunc reperta
„ memoria operis ſimilis, hoc ſibi concedente bonorum omnium
„ largitore. „

IV. Hoc eodem anno Thomas Senenſis Græciæ Provinciæ Prior Provincialis inſtituitur. Acceptis litteris patentibus, ſibi e Cœno-

bio

bio Colonienſi, a Magiſtro Ordinis tranſmiſſis die XXVI. Menſis Novembris anno MCCCXCVII., & conſilio cum B. Joanne Dominici inito, ambo decreverunt in aliud opportunum tempus iter iſtud differendum eſſe. Siquidem ſpoponderant Venetis, ſe non diſceſſuros, donec peſtilentiæ morbus ceſſaret. Quare religioni ſibi verterunt datæ fidei ſtandum. Interim in Græciam Vicarium Provincialem deſtinarunt. Verum Græciam ipſam invadente contagio, Thomas Senenſis Venetiis pedem fixit: & anno inſequente MCCCXCVIII. quadrageſimales conciones ad populum habuit in Eccleſia Sancti Moyſis *de Pater noſter & ave Maria* inquit ille. Ne quidquam eorum, quæ ad nos pervenerunt de Magiſtro Generali Raymundo, perire permittamus, litteras patentes præfatæ inſtitutionis ab eodem datas, tranſcribimus, una cum narratione ejuſdem Thomæ Senenſis. „ Item in ſequenti menſe „ Novembris, Magiſtro Ordinis exiſtente in Conventu Colonienſi, me fecit Provincialem Provinciæ Græciæ, tranſmittens mihi litteras dicti Provincialatus, quarum tenor talis eſt, videlicet.

„ In Dei filio ſibi Reverendo Fratri Thomas de Senis Provinciali Provinciæ Græciæ Fratrum Prædicatorum, Frater „ Raymundus ejuſdem Ordinis humilis Magiſter, & ſervus ſalutem, & Chriſtum Dominum efficaciter imitari.

„ Licet onus officii Paſtoralis, quieti propriæ vacare volentem, ac ſoli Conditori adhærere totis affectibus inhiantem, „ propter occupationem extrinſecam, videatur aliqualiter impedire, præmium tamen bene poſſidentibus repromiſſum debet „ devotum ſubditum animare ad ſupportandum dictum onus, „ cum injungitur. Si enim terreat labor regiminis, laborem tamen mitigat ſpes mercedis. Cum igitur Fratres ſupradictæ „ Provinciæ Græciæ per mortem Fratris Nicolai de Pruſio Magiſtri in Theologia quondam ibidem fuerint Patris, ac Paſtoris ſolatio deſtituti, volens eiſdem de Patre ac Capite providere convocato diſcretorum Fratrum, & Magiſtrorum Conſilio „ auctoritate Generalis Capituli mihi in hac parte ſpecialiter „ commiſſa, vos in Provincialem antedictæ Provinciæ Græciæ „ elegi, & de eorum Conſilio confirmavi, & tenore præſentium „ Vos in Provincialem ejuſdem Provinciæ Græciæ eligo, & confirmo, curam & regimen Fratrum, & Sororum Conventuum „ & Monaſteriorum ejuſdem Provinciæ tam in temporalibus, „ quam in ſpiritualibus in Capitibus, & in membris vobis eodem tenore committens, & nihilominus vobis in virtute San-

„ ctæ obedientiæ, & Spiritus Sancti, ac in remiſſionem peccatorum veſtrorum præcipio, quatenus viſis patentibus, vel auditis, dictum Provincialatus officium tamquam verus obedientiæ filius ſuſcipiatis humiliter, & rogo, ac injungo : quod exequamini diligenter taliter, tamque ſolicite recturus dictam Provinciam, ut ex veſtro regimine bono Deo, & Ordini fructus, ac fama Fratribus & Provinciæ, vobiſque præmium æternæ retributionis accreſcat. Ceterum ad majorem veſtræ conſcientiæ ſerenitatem indulgeo, ut, dum fueritis in dicti Provincialatus officio, poſſitis vobis eligere, qui vos a ſententiis, & peccatis abſolvere & vobiſcum ſuper irregularitatibus, ſi quas contraxeritis, valeant ſecundum noſtri Ordinis privilegia diſpenſare. Inſuper eadem auctoritate vobis concedo, quatenus executiones ultimarum quarumlibet voluntatum recipere valeatis, & ipſas executioni debitæ demandare coram illis, quorum intereſt, locis, & temporibus opportunis. In quorum omnium teſtimonium præſentes patentes litteras fieri feci, & noſtro ſigillo muniri. Datum Coloniæ Provinciæ Teutoniæ anno Domini 1397. die 26. menſis Novembris. „ Addit vero præfatus Thomas Senenſis loco ſui Vicarium Provincialem in Græciam, Joanne Dominici conſulente, ſe miſiſſe, ut vires ſuas præſtaret. „ Conſequenter autem, dictis litteris habitis, contigit de conſenſu Joannis Dominici, me illuc mittere quoſdam Fratres, & ibidem facere unum Vicarium Provinciæ pro tunc, cogitans illuc tempore ſuo perſonaliter accedere. Cum autem poſtmodum ibidem peſtis occurreret, illuc ire non fui permiſſus, unde remanens in Venetiis in quadrageſima immediate ſequenti MCCCXCVIII. prædicavi apud Sanctum Moyſem de Pater noſter, & Ave Maria. Quidam autem presbyter Dominus Leonardus (Piſanus) de quo ſupra facta eſt mentio, in Sancto Apoſtolo prædicavit Pater noſter. „

C A-

CAPUT XII.

Nova adverſus reformationem procella. Regularem obſervantiam litterarum ſtudio officere. Raymundus ſuis litteris obloquentes compeſcit.

I. NOVA non eſt ignorantiæ nota, quam ii, quibus obſervantia regularis non arridet, in vulgus ſpargunt adverſus inſtauratæ diſciplinæ profeſſores. Suam namque originem repetit ab ipſis ethnicis, qui, Hieronymo teſte, Chriſtianis primis ignorantiæ calumniam impingebant. Simul atque Beatus Raymundus præclarum reformationis facinus aggreſſus fuit, continuo non pauci, propriæ profeſſionis immemores, virus omne effuderunt, nullique pepercere conatui, ut pium Sanctumque opus invidiæ labe aſpergerent, atque in publicum deridendum traducerent, ut, ex ipſius Raymundi Apologeticis litteris, omnibus palam eſt. Ultimo tandem loco inſcientiæ, & ignorantiæ cenſuram reformatis religioſis inurebant. Morum ſiquidem integritas, animarum zelus, & omnium virtutum ſplendor adeo elucebat in viris ad præſcriptum regulæ, & inſtitutionum ſuarum reformatis, ut nec odium, nec invidia, quamvis ſagax, quidquam opponere auderet; idcirco eos, ut ignorantes traducebant. Quid enim facilius, quam homines humillimos, diſciplinæ inſtaurandæ, animabuſque lucrandis ſedulam navantes operam, in ceteris vero negotiis mundani commercii frequentiam devitantes, tanquam agreſtes, inurbanos, rudeſque traducere? Nil ſiquidem familiarius eſt Sanctitatis oſoribus, quam modeſtiam ruſticitatem, ſilentium ignorantiam, fortitudinem temeritatem, zelum livorem compellare. Ipſe inaudivi non paucos Grunnios, ut cum Hieronymo loquar, qui teſtudineo gradu incedentes, educto ſupercilio, contractis naribus, ac fronte rugata de Senatu Doctorum omnes deturbant, qui tabularum more, mediis in plateis loquaces non ſedent, aut qui in flatis buccis, tibiiſque divaricatis, inutilium diſputationum nugas, quiſquiliaſque non fundunt. Eorum, qui reformandæ diſciplinæ arduum, laborioſiſſimum, atque impeditiſſimum opus aggrediuntur, alii animum intendunt ad reparanda diruta Cœnobia; alii ad renovandam antiquatæ diſciplinæ obſervantiam; alii ad novos

vos erigendos Conventus Ordinemque amplificandum, omnes vero in illam veram ſapientiam impenſius incumbunt, quæ in peccatorum converſione, atque in excolendæ religionis ſtudio, tota occupatur. Et ut paucis concludam ſermonem meum, obſervantiæ regularis neglectus, ſeu relaxatio Monaſticæ diſciplinæ ignorantiam, & litterarum contemptionem ſibi ſemper conſociavit. E contrario vero propriæ profeſſionis ſtudium, ſeverioriſque diſciplinæ cultus quemadmodum virtutum, ita & ſcientiarum uberrimos fructus parit, & quod aliquando in paucis ſecus accidat, portentum eſt. Quæ omnia iis, qui vel a limine hiſtoriam ſalutarunt monaſticam, nota ſunt, & explorata.

II. In Cœnobio Colonienſi dum commoratur Beatus Raymundus, nuncium accipit contra gregem, quem Venetiis congregaverat, ad præſcriptum Regulæ, & inſtitutionum ſui Ordinis conformatum, inſidias parari, eumque variis fraudibus circumveniri. Enimvero quidam, quos B. Raymundus pſeudoprophetas appellat, ſerpentis, qui primos Parentes noſtros ſcientiæ adpromiſſione decepit, imitantes calliditatem, e congregatione reformatæ diſciplinæ, litteraturæ, eruditioniſque comparandæ fucato prætextu, educere juvenes adnitebantur: cui erroneæ perſuaſioni jam non pauci animum adjecerant. Quare, & ut ſeductis providus Generalis Magiſter opem, auxiliumque ſuppeditaret, & ut ſeductores compeſceret, ſequentem ſcripſit Epiſtolam, quam refert Thomas Senenſis in ſuo codice. „ *In Dei Filio ſibi Cariſſimis Fratribus univer-* „ *ſis, & ſingulis reſidentibus pro nunc, & qui futuro tempore* „ *reſidebunt, ſeu fuerint aſſignati per me, vel per fratrem* „ *Joannem Dominici Vicarium meum in Conventibus Sanctorum* „ *Joannis, & Pauli, & Sancti Dominici de Venetiis, ac Clu-* „ *ſienſis Provinciæ Lombardiæ inferioris, nec non in Caſtella-* „ *no Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum Frater Raymun-* „ *dus ejuſdem Ordinis humilis Magiſter, & ſervus ſalutem, &* „ *Chriſtum Dominum efficaciter imitari*. Quia ſacris ſcripturis „ teſtantibus, & doctrinis, & exemplis Sanctorum Patrum „ experimentaliter novimus, Apoſtatam Angelum humani ge- „ neris inimicum ſemper inſidiari, & innumerabilibus modis „ hominibus, qui ex ſe totaliter dederunt ad ſerviendum al- „ tiſſimo, ac inſuper humanæ malitiæ fiunt frequenter inſtru- „ menta ejuſdem hoſtis antiqui; Idcirco decrevi ſuper vos, & „ quemlibet veſtrum aperire quotidie magis ſollicitudinis ocu- „ lum,

„ lum, & contra tentationes, ſeu deceptiones vos ſtimulan-
„ tes apponere remedium opportunum. Sane ad aures meas
„ pervenit, quod quidam ex vobis ſub colore diſcendi ſcien-
„ tiam, ſapientiam veram, ad quam cœperunt per viam re-
„ giam currere, deſerere jam diſponunt, non attendentes,
„ quod Deus ſcientiarum eſt Doctor, nec quod ſcientia in-
„ flat, charitaſque ſola ædificat, nec intelligentes, quod un-
„ ctio ſancti Spiritus docet de omnibus: imo nec advertentes,
„ quod Sanctus Doctor noſter etiam plus oratione, quam hu-
„ mano ſtudio totam ſcientiam, imo ſapientiam acquiſivit.
„ Quamobrem ne quiſquam ex vobis materiam habeat conſen-
„ tiendi tali errori, tenore præſentium vobis omnibus, &
„ ſingulis tam præſidentibus, quam ſubditis præcipio in virtu-
„ te ſanctæ obedientiæ quod nullus audeat a Conventu, in
„ quo eſt, ad alium Conventum accedere, ſive ad quodcum-
„ que ſtudium, niſi fuerit aſſignatus per me, vel per Fra-
„ trem Joannem Dominici meum Vicarium Generalem, de-
„ clarans, quod nullus me inferior, præter dictum Vicarium,
„ poteſt vos, aut quemcumque veſtrum alteri Conventui aſſi-
„ gnare, ſive ſtudio cuicumque vos deputare. Poſtremo
„ dicto Fratri Joanni Vicario mando eodem tenore,
„ quod nullum ex vobis aſſignet aliis ſtudiis, niſi me prius
„ conſulto. Novi enim quod bene poteſtis ſtudere ſi vultis in
„ locis, ubi nunc reſidetis; ſicut & ego feci, qui nunquam
„ ivi nec Pariſius nec Angliam, nec ad quodcumque ſtudium
„ extra meam provinciam, & tamen fui, nec ſum, per gra-
„ tiam Dei, unus converſus, ſicut tentantes vos prophetant de
„ vobis in Baal, potius, quam in Domino. Verum ad remo-
„ vendum totaliter hanc tentationem a vobis, & refrenandos
„ ſeductores præfatos, & pſeudoprophetas, tenore præſen-
„ tium committo ſimiliter, & mando diſtricte dicto Fratri
„ Joanni Vicario meo, quod quandocunque ſenſerit veridice de
„ aliquo Fratre forenſi ſeu hoſpite veniente, aut tranſeunte;
„ ſive de aliquibus Fratribus, cujuſcunque ſtatus, dignitatis,
„ officii, aut conditionis exiſtant, quod talibus verbis ſeu
„ perſuaſionibus malis, unum vel plures ex vobis voluerint in-
„ ducere ad recedendum de *Congregatione*, in qua voluntarie po-
„ ſitus eſt, ſive ſub colore ſtudii, ſive ſub quacunque alia co-
„ lorata fallacia, ipſo facto illum, vel illos Fratres auctoritate
„ mea, quam ſibi, in hac parte, quam magis plene poſſum
„ concedo, privet quod amplius non poſſit venire, nec intrare
„ Civi-

„ Civitatem Venetiarum abſque mea licentia ſpeciali, præcipien„ do eidem, vel eiſdem in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub „ pœna gravioris culpæ, quam ipſo facto ſe noverit, vel no„ verint incurriſſe, oppoſitum faciendo, quod ad dictam Civita„ tem Venetiarum amplius non accedant, abſque licentia ſpecia„ li in ſcriptis obtenta. In quorum omnium teſtimonio, præſen„ tes patentes litteras fieri feci, & noſtro ſigillo muniri, quas man„ do legi in publico in dictis eorum Conventibus per præſidentes in „ Capitulo, Fratribus omnibus congregatis. Datum Coloniæ ſub „ anno Domini MCCCXCVIII. die 27. menſis Septembris.

CAPUT XIII.

B. Raymundus Fratres obſervantes ad perſequutionum tolerantiam inflammat, ſeveras minatur perſequutoribus pœnas. Diuturna infirmitate, & extrema penuria Coloniæ laborat, ſuppetias poſtulat. In Italiam meditatur regreſſum. Piſas adeundi, reformationis cauſſa, Joanni Dominici poteſtatem facit.

I. QUO excellentiora ſunt facinora, quæ Dei Servi aggrediuntur, & Satanas validiores exerit conatus, & callidiores machinatur fraudes. Religio quæque non nomine, ſed reipſa ad regulæ ſuæ præſcriptum conformata, omnium virtutum ſeminarium eſt, & æternæ ſalutis ſecuriſſimus portus. Quemadmodum contra Religio in votorum, & regulæ obſervantia vere relaxata vitiorum ſentina eſt, æternique naufragii ſcopulus omnino evitandus. Relaxatæ diſciplinæ Monaſticæ reformatio opus eſt adeo arduum ſimul & excellens, ut, communi omnium ſententia, laborioſius ſit, & longe difficilius Ordinem quempiam collapſum ad priſtinum ſplendorem revocare, quam novam aliquam Religionem inſtituere. Mirum itaque minime eſſe debet, ſi infernalis ſpiritus nulli parcat dolo, ut tantum facinus retardet, impediat, &, quoad fieri poteſt, in nihilum redigat. Qua de cauſſa animos deſpondere haudquaquam debent diſciplinæ regularis zelatores, ſi in ejuſdem promovenda obſervantia frequentes ſcopulos, graviſſimaque obſtacula offendunt, quoniam contra bonum malum eſt, & contra virum juſtum

ſtum peccator. Altius ſua repetit principia Beatus Raymundus Capuanus, quibus gregem nuper a ſe congregatum imbuat. Illi contemplandum ſiſtit altiſſima arcana Divinæ Providentiæ, quæ Animas Deo cariores miris modis tentari diſponit. Et quo electos ſuos ad altius Sanctitatis faſtigium evehit Deus eo plurium adverſitatum turbinibus concuti permittit. Et quamvis ſublimes rationes, ob quas ſupremum Numen id decernit, humanæ mentis aciem fugiant, unam tamen ex ſcripturis Sanctis erutam prodit Beatus Raymundus. Heroica geſta, quæ inter primas tenet regularis diſciplinæ inſtauratio, ſplendida cum ſint, gloriæ appetitionem accendunt, & nominis celebritatem excitant. Si tantorum operum authores ſecundis ſemper navigarent ventis, timendum foret, ne ad ſuperbiæ, ambitionis, & vanæ jactantiæ ſcopulos allid erent navim: quæ ut tot inter hujus procelloſi maris tempeſtates conſiſtat, humilitatis pondere & patientiæ, caritatiſque exercitio firmanda eſt, & munienda. In cujus rei exemplum adducit Sanctiſſimum Apoſtolum Paulum, cui datus fuit ſtimulus carnis, ne magnitudo revelationum illum extolleret.

II. His rationum momentis ad perferendas, invito animo, perſequutiones Fratribus ſuis incenſis, calamum ſuum diſtringit, ſtylumque acuit B. Raymundus in ipſos perſequutores & deceptores, ſeveriſſimaſque illis indicit pœnas, niſi a pravis deſiſtant machinationibus. Quare ille ipſe epiſtolam ſuam, & ſuavitatis, & ſeveritatis plenam eſſe declarat. Eam hic integram ex Thoma Senenſi deſcribo. „ In Chriſto Jeſu Domino noſtro Prædilecte Vicarie poſt ſalutem cordialem in ipſo, communem filium „ Fratrem Joannem, ſe mihi quodammodo fugitivum, iſtis diebus recepi lætus quidem .... quia libenter videt oculus, quem „ animus diligit; ſed ut vere fatear, & tremens eum aſpexi, „ metuens, ne aliquid novi adverſi Sancto gregi, quem diligo, „ accidiſſet. Sed ipſe me lætificavit imprimis ubi, quæ protulit „ aſſerens, ſe non adverſa, ſed bona nova, inquit, placita detuliſſe; quo percepto, quievit animus. Sed adhuc ſollicitus manſit inquirendi, & ſciendi quæ poſt meum diſceſſum particulariter evenerant. Perceptis ergo cunctis, quæ mihi retulit, primo te namque habeo admonere, ut non deficias in tribulationibus, & perſequutionibus, quas ſuſcitat inimicus. Nimis namque proculdubio exigeremus, & innatam quodammodo elationem ...., ſi, nobis agentibus, quæ Domino ſunt placita, „ cuncta ſuccederent proſpere, ut optamus. Quamobrem ipſa „ Dei Sapientia pro ſecuriore ſalute, tam mea, quam aliorum, „ ar-

„ arte mirabili procedit, ut etiam bene agentes ſæpius conturbemur. Habes in prima Apoſtoli hujus ſententiæ centuplicata „ exercitia, quomodo a Judæis incredulis, non tantum a gentilibus perfidis, non ſolum ab hujus ſæculi filiis, ſed a pſeudo- „ apoſtolis, a filiis, quin a pluribus Fratribus, & quandoque a „ propriis diſcipulis ſæpe patiebatur, & tamen cum omnibus „ his, ipſo teſtante, ne magnitudo revelationum ipſum extolleret, ſuperadditus fuit illi ſtimulus carnis ſuæ. Cernis ne dilecte Frater, quam periculoſa ſit excellentia iſta, etiam in Sanctis viris, quæ potuit in tam Sancto Apoſtolo, tanquam in „ charitate Dei confirmato excellentiæ periculum generare. Nos „ ergo quam querelæ habemus materiam, ſi pro noſtro remedio, „ & ut liberemur a noxa elationis ſtimulum patimur perſequutionis, etiam ab intimis noſtris. Et his non pro tuí mortificatione, qua, ut ſpero, non indiges, ſed pro rememoratione, „ ſeu ex abundantia cordis prolatis; venio ad practicam agendorum, ſicut ego verbo dixi dicto Fratri Joanni nullo modo mihi videtur, quod ipſe deſerat, per me, proprium Conventum, „ aut propriam Civitatem, quia mihi aliud eſſet, quam exemplum dare mortiferum ceteris, & ſanctum gregem collectum „ exterminii periculo totali exponere. Ducit me etiam ad hoc „ fructus animarum, quem per eum dignatur facere aſſidue Dominus. Verum de Supprioratus officio, ut cor meum aperiam „ compatior tibi potiſſime, quia impeditur per id officium a „ fructu animarum jam dicto. Sed rurſum etiam compatior tibi, „ quia novi, te non habere copiam talium, quibus confidenter „ proponas regimen aliorum. Nihil ergo reſtat, niſi quod relinquo te tibi, & quid ſit in hoc negotio agendo, tu videris, „ qui melius noſti particularia cuncta gregis tibi commiſſi, & „ zelas pro uniuſcujuſque bono. Mihi vero, quidquid inde feceris, erit gratiſſimum. Ceterum, ne adventus dicti Fratris „ Joannis vacuus eſſet a fructu, mitto tibi litteram unam medicinalem ungentem pariter, & pungentem pro remedio inſidiarum filiorum Fratrum, ut aliquid de furia perferamus, quia „ nec ipſi volunt intrare, nec alios permittunt per viam regiam „ ambulare, quam nullo modo timeas pandere, ſed mone ſubditos tuos, ne audeant cogitare, nedum agere contra tenorem „ litteræ ſupradictæ, ego autem quemcumque invenero oppoſitum facientem, indubitanter teneas quod taliter puniam quod „ erit toti Ordini in exemplum. Poſtremo multa tecum haberem „ conferre, de quibus non eſt modo ſcribendum per ſingula, ſed

„ Fra-

„ Frater Joannes ſuperius nominatus lator præſentium tibi oretenus aliqua declarabit cum ſocio, cui fidem præſtabis. Vale „ in Domino Jeſu quem orari facias, & orare non ceſſes, ut „ quod corde concepi ad perfectam operationem deducat. Da„ tum Coloniæ die 27. menſis Septembris. „ Altera epiſtola, cujus hic mentionem facit, ea eſt, quam deſcripſi capite præcedenti data eodem anno MCCCXCVIII. eodem menſe, & eodem die.

III. Hoc eodem anno MCCCXCVIII. Piſanæ Civitatis, tum Nobiles, tum cunctus populus ob Sanctitatis famam, atque maximam in dicendo ad populum eloquentiam Beati Joannis Dominici, & Beati Thomæ de Senis, eoſdem ad iterandas quadrageſima ſequenti conciones in ſua Civitate, invitarunt. In hunc quoque finem ſuam contulit operam Soror Clara de Gambacurtis ſanctimonialis, & Prioriſſa Sancti Dominici dictæ Civitatis; Hæc ſiquidem binas ad Magiſtrum Generalem dedit epiſtolas, quibus eum ſuppliciter rogabat, ut illuc præfatos Fratres Joannem Dominici, & Fratrem Thomam de Senis ad Sanctum Dei Verbum prædicandum mittere dignaretur. Addebat magnam ſpem fore, ut per eorum adventum, præter uberrimum animarum lucrum, Cœnobium Fratrum ſui Ordinis ad priſtinam diſciplinam reformaretur. Annuit piiſſimæ Virginis ſupplicationibus Generalis Magiſter, litteriſque ſuis confeſtim poteſtatem fecit eidem Joanni Dominici, ſuiſque ſociis Piſas contendendi. Gravi tum, & diuturno interceptus morbo premebatur Beatus Raymundus, & tanta laborabat penuria, ut neque debitis ex infirmitate contractis ſolvendo eſſet, neque remigrandi, ut meditabatur, in Italiam neceſſarium haberet viaticum, etiamſi convaleſceret. En quanta erat tanti Generalis paupertas? Extremam ſuam egeſtatem candida & familiari ſinceritate patefacit Joanni Dominici, quo curet aliquid ſubſidii ſibi ſuppeditari a piis Venetis, quos in erogandis eleemoſinis, omnibus Italiæ populis antecellere non ignorabat. Hæ ſunt illius litteræ. „ Vicarie Præclariſſime, ac dile„ cte poſt cordialem in Chriſto ſalutem. Recepi litteram tuam, „ plenam querelis, cui tarde reſpondeo, tum propter paſſiones „ corporis mei, tum etiam, quia videbatur mihi feciſſe quod „ principaliter poſtulabas. Remiſi autem eum ad te fugitivum „ illum filium, qui fugerat, non niſi facta intentione, neſcio ta„ men ſi plena diſcretione. Et forte ſic voluit Dominus pro mea „ conſolatione, quia poſtquam fui hac infirmitate detentus, non „ habui tam ſincerum gaudium de cujuſcumque Fratris viſione.

„ Verum quia hinc principaliter querelæ tuæ, faciliſſimo ſermo-
„ ne reſpondi, & per mercatores habeo nova, quod ſoſpes per-
„ venerit ad te, non me in hac materia amplius extendo. Ce-
„ terum novimus, quod Sanctimonialis fœmina ſoror ſcilicet
„ Clara de Gambacurtis jam per geminas litteras me rogavit,
„ quod tibi imponam omnino, ut in futura quadrageſima præ-
„ dices in Civitate illa Piſana. Dicit enim, quod magnus fru-
„ ctus factus eſt ex prædicationibus factis ibidem, tam per te,
„ quam per Provincialem Græciæ Fratrem Thomam, & firmi-
„ ter ſperat, quod major fructus, & ſalus animarum prove-
„ nient, ſi tu prædicabis ibidem in quadrageſima ſupradicta.
„ Ego autem ſibi reſpondi, quod libenter facerem quod pete-
„ bat, dummodo abſentia tua pro iſto tempore a Civitate
„ Venetiarum ſanctæ Congregationi Fratrum, & Sororum, ac
„ etiam populo non eſſet ſcandaloſa, ſeu multum nocua; & ſic
„ tenore præſentium tibi mando, quod videlicet ſi abſque ſcan-
„ dalo prædictorum, ſeu nocumento notabili potes illuc ire ad
„ prædicandum, omnino vadas. Quia ſicut prædicta Soror Cla-
„ ra per litteras ſuas mihi ſignificavit, magna ſpes eſt, quod
„ Conventus ille Piſanus reducatur ad plenam obſervantiam re-
„ gularem, de quo ſumme gauderem. Inſuper litteram, quam
„ petiviſti de licentia prædicandi, tam tibi, quam filiis tibi com-
„ miſſis, tranſmitto præſentibus alligatam. Poſtremo licet gra-
„ tum mihi eſſet præſentialiter te videre, tamen non eſt in multis
„ neceſſarium, quod tu perſonaliter venias uſque huc ad redu-
„ cendum me in Italiam: Potiſſime quia ſcio præſentiam tuam
„ in Civitate Venetiarum, & neceſſariam eſſe, & utilem. Sed
„ ut domeſtice tibi loquar utilius eſſet pro reditu meo, quod
„ tu cum ſuperiore, & aliis filiis aliquid procuraretis viatici,
„ cum quo poſſim adiuvante Domino redire ad vos. Nam ex-
„ pendi quidquid habui, & quod nondum habeo, quia in debi-
„ tis ſum. Nec puto expenſas meæ infirmitatis cum aliis neceſ-
„ ſariis, quæ expendi, me completurum cum magna quantitate
„ pecuniæ. Unde ſi quid me poteſtis juvare, facite, ſecuri,
„ quia utilem, & puto eleemoſinam Domino placitam facietis.
„ Multis enim indigebo, ſi, concedente Domino, redibo ad vos,
„ propter infirmitatem longam, quæ me detinuit, quibus non
„ indigui, veniendo ad partes iſtas. Totum tamen committo æ-
„ ternæ Providentiæ Salvatoris, in quo te, ac familiam tibi com-
„ miſſam ſemper valere melius cupio toto corde. Datum Coloniæ

„ die

„ die 18. menſis Decembris. Tuus ut ſervus Magiſter Ordinis Fra-
„ trum Prædicatorum. „

IV. Aliæ litteræ, quas hic ad eundem Fratrem Joannem Dominici, ſe dedidiſſe aſſerit Beatus Raymundus, ſunt ſequentes. „ *In Dei Filio ſibi Cariſſimis Fratribus Joanni Dominici*
„ *de Florentia Vicario Generali tam in Conventibus Venetis*,
„ *quam in nonnullis Conventibus Italiæ*, *ceteriſque Fratribus*
„ *eidem Vicario ſubditis deputatis ad prædicandum verbum Dei*,
„ *ſeu in poſterum deputandis Ordinis Fratrum Prædicatorum*
„ *Frater Raymundus humilis Magiſter*, *& ſervus ſalutem*, *&*
„ *Chriſtum Dominum efficaciter imitari*. Quia Magiſtra rerum
„ experientia, me diutius, & clariſſime docuit, non ſine ma-
„ gno gaudio cordis mei, quod ex prædicationibus, quas per
„ vos concedit omnipotens fieri, magnus, & inſolitus Fru-
„ ctus, & ſalus animarum, manifeſte apparet; Beatiſſimi
„ Patris noſtri Dominici qui Ordinem noſtrum ad hunc finem
„ produxit, juxta modulum meum cupiens imitari veſtigia;
„ tenore præſentium vobis concedo de gratia ſingulari, quate-
„ nus uſque per totam Italiam vobis liceat prædicare, & me-
„ diante verbo Dei animas lucrifacere; ita tamen, quod nulli
„ Conventui vobis non commiſſo in temporalibus eleemoſinis,
„ ſeu quæſtibus fiat quæcunque injuria, nec etiam Fratribus ad
„ prædicandum deputatis aliis in Eccleſiis, ſeu Conventibus
„ noſtris contra voluntatem ipſorum, & præſidentium Con-
„ ventualium fiat quæcumque moleſtia. Omnibus autem præ-
„ ſidentibus tam in Provinciis, quam in Conventibus dictæ
„ Regionis Italiæ, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipio per
„ præſentes, quatenus alii nullum vobis præſtent impedimen-
„ tum, aut præſtari curent per ſe, vel per alium, vel alios,
„ quin libere verbum Dei poſſitis proponere, & fructum face-
„ re ut dictum eſt. Notificans nihilominus eis; & ſingulis eo-
„ rum, quod hæc ordinatio per me facta, jam eſt per ſedem
„ Apoſtolicam confirmata, nec licet cuiquam contra dictam ſe-
„ dem in ſupraſcriptis aliquid immutare. In quorum omnium
„ teſtimonio præſentes patentes litteras fieri feci, & noſtro ſi-
„ gillo muniri. Datum Coloniæ anno Domini MCCCXCVIII.
„ die 20. Menſis Decembris.

V. His litteris acceptis, Frater Joannes Dominici aſſumpto ſibi in ſocium Fratre Thoma Paruta de Thomaſinis Veneto, menſe Februario Piſas contendit, & ter, quaterve in diem ad populum dicebat, ibique plures permanſit menſes. Eodem tamen

tamen Anno MCCCXCIX. Venetias remigravit. Quis porro peccatores, quos a vitiis in virtutis ſemitam revocavit, animas, quas ad evangelicam comparandam perfectionem incendit, juvenes, quos a ſæculi illecebris ſejunxit, & ad ingredienda ſeverioris diſciplinæ Cœnobia induxit recenſere poterit? Referam quæ hac de re ſcribit Thomas Senenſis. „ Poſtmodum vero de menſe Januarii dictus Frater Joannes Dominici aſſocians ſibi quemdam Fratrem Thomam Paruta de Thomaſinis de Venetiis, Piſas acceſſit; ubi perveniens, & prædicationis officium perſequens uſque ad poſt immediatam quadrageſimam ſequentem anni MCCCXCIX. bis, vel ter, & aliquando quater prædicando in die, & plures reducendo, & convertendo, ac in diverſas Religiones conducendo, intenſior fructus extitit reportatus. Ipſe vero Frater Joannes cum præfato ſocio, eodem anno, Venetias eſt reverſus, interiit vero in Venetiis die ſecunda Februarii in die videlicet Purificationis B. Virginis quidam dictus Limetus receptus per me ad habitum Ordinis de pœnitentia B. Dominici in Capella ejuſdem ſancti, quæ eſt in Eccleſia SS. Joannis, & Pauli. Item Conſequenter in dicta quadrageſima oportuit me prædicare in Eccleſia Sancti Barnabæ de Venetiis, ubi prædicavi de Cella mentali, de qua habetur alibi. „ Sic explicit tractatus hiſtorialis Thomæ Antonii Caffarini.

CAPUT XIV.

Beatus Raymundus Nuribergæ obiit: ejus morte omnia pro reparanda diſciplina edita ſtatuta expiraſſe muſſitatur. Joannes Dominici confirmationem obtinet Pontificiam.

POſt multos exantlatos labores, tum pro Eccleſiæ Romanæ unione, tum pro reparatione diſciplinæ ſui Ordinis, quem pluribus in locis ad primævum ſplendorem reſtituit; Nuribergæ diem clauſit extremum Beatus Raymundus anno MCCCXCIX. Illius præclara geſta in hiſtoria omnium Congregationum Ordinis noſtri, quarum ipſe primus fuit inſtitutor, dabimus. Cum tanti Generalis obitu omnia ſaluberrima ſtatuta, quæ pro reformatione tam conſervanda, quam

quam amplificanda ediderat ille, expiraſſe effutiebant ii, quibus propriæ profeſſionis obſervantia minime arridebat. Nec mirum. Si enim, vivente ipſo Generali Magiſtro, nihil intentatum reliquerunt, ut incœptum opus impedirent, ſperandum haudquaquam erat, ut eo defuncto, ſilerent. Verum ſui ſpiritus, conſtantiæ, & zeli invictos poſt ſe reliquerat hæredes Sanctiſſimus Generalis. Hos inter mirum in modum eminebat Joannes Dominici Congregationis Italicæ primus Vicarius Generalis. Is ut machinationes, & molimina labefactaret adverſariorum, Summo Pontifici Bonifacio IX. ſupplicationem porrexit, ut dignaretur ea omnia confirmare, quæ pro regularis diſciplinæ reformatione præſcripſerat B. Raymundus. Piis juſtiſque ſupplicantis votis annuit Pontifex ſummus ſuo diplomate dato anno MCCCXCIX. ſequentis Tenoris.
„ Bonifatius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto Filio „ Johanni Dominici de Florentia, Ordinis Fratrum Prædicatorum „ profeſſori, Corporis Chriſti, & B. Dominici, ac „ Sanctorum Johannis, & Pauli Domorum de Venetiis, Caſtellan. Diœceſis, & nonnullorum aliorum domorum, locorum, ſive Monaſteriorum Fratrum & Ordinis Prædicatorum „ Generali Vicario per Sedem Apoſtolicam deputato, ſalutem, „ & Apoſtolicam benedictionem.

„ Religionis Zelus, vitæ munditia, ac morum honeſtas, aliaque „ eximia dona virtutum, quibus perſonam tuam, ex fide „ dignorum teſtimoniis percepimus inſignitam, ſpem nobis „ indubiam pollicentur, quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, „ diligenter, fideliter, & prudenter exequi procurabis. „ Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua petitio „ continebat, quod olim quondam Raymundus Ordinis Fratrum „ Prædicatorum Generalis Magiſter, ex certis rationabilibus cauſis „ tunc expoſitis, te tam Corporis Chriſti, & B. Dominici, „ ac Sanctorum Johannis, & Pauli de Venetiis, Caſtellan. Diœceſis, „ quam aliorum in Romana, & ceteris aliis Provinciis, „ & locis Domorum, ſeu locorum, & Conventuum conſiſtentium, „ ſuum Generalem Vicarium, tam in ſpiritualibus, quam „ temporalibus, in Capitibus, & membris fecit, & etiam deputavit, „ cum poteſtate, ſeu auctoritate hujuſmodi domus, ſeu „ loca, & Conventus viſitandi, abſolvendi, revocandi, expellendi, „ confirmandi, ſententiandi, vel terminandi, decidendi, & „ tranſmittendi ad prædicandum Fratres prædicti Ordinis per totam „ Italiam ſecundum morem ipſius Ordinis, ac omnia, &

„ ſin-

„ ſingula alia in dictis Domibus, locis, ſeu Conventibus facien-
„ di, & ordinandi, quæ ipſe Raymundus Magiſter Generalis in
„ Ipſis facere quomodolibet poterat, prout in ipſius Raymundi
„ Generalis Magiſtri litteris ſuper inde confectis, quarum teno-
„ rem haberi volumus, præſentibus pro ſufficienter expreſſis di-
„ citur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſub-
„ jungebat, dicti Vicariatus Officium per obitum ipſius Raymun-
„ di, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, a
„ nonnullis expiraſſe dicitur, Nos, cupientes quod idem Ordo,
„ ad quem gerimus ſpecialem devotionis affectum, præſertim in
„ domibus, locis, & Conventibus ſupradictis, regatur utiliter,
„ & ſalubriter; ac gerentes de tuæ circumſpectionis induſtria fi-
„ duciam ſingularem: te Corporis Chriſti, & B. Dominici, &
„ Sanctorum Joannis & Pauli, necnon omnium, & ſingulorum
„ præfatorum domorum, locorum, & Conventuum Generalem
„ Vicarium, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus auctorita-
„ te Apoſtolica, uſque ad noſtrum beneplacitum, de novo con-
„ ſtituimus, facimus, & etiam deputamus. Quemlibet alium,
„ ſeu alios, Vicarium, ſeu Vicarios, aut Priorem, ſeu Priores,
„ ſeu officiales quocumque nomine cenſeantur, in eiſdem domi-
„ bus, Conventibus, ſeu locis, quavis auctoritate deputatos,
„ ab hujuſmodi Vicariatus, Prioratus, ſeu Officialatus Offi-
„ cio, harum ſerie penitus revocantes, & etiam amoventes,
„ necnon tibi Ordinem, domos, & Conventus præfatos, ac
„ loca, & perſonas utriuſque ſexus ejuſdem Ordinis, ac Mo-
„ naſteria in ipſis Provinciis conſiſtentia, & eidem Ordini ſub-
„ jecta, & quæ per ipſum Ordinem, & ſub cura Fratrum ip-
„ ſius Ordinis regi conſueverunt, tam in capitibus, quam in mem-
„ bris, viſitandi, corrigendi, reformandi, regendi, ac etiam guber-
„ nandi, prout neceſſarium fuerit, & tibi videbitur expedire, ac
„ omnia & ſingula alia faciendi, gerendi, & exercendi, depu-
„ tandi, mandandi, & exequendi, quæ Generalis Magiſter dicti
„ Ordinis pro tempore exiſtens juxta Conſtitutiones dicti Ordi-
„ nis, vel alias de conſuetudine, vel de jure, quomodolibet fa-
„ cere poteſt, ſeu etiam conſuevit; contradictores quoque quoſ-
„ libet, & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris re-
„ media, appellatione poſtpoſita, compeſcendi; non obſtantibus
„ conſtitutionibus, litteris Apoſtolicis, ac privilegiis, & indul-
„ gentiis &c. De quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit
„ mentio ſpecialis, nec non ſtatutis, & conſuetudinibus Ordi-
„ nis, Domorum, Conventuum, & Monaſteriorum prædicto-

„ rum,

„ rum, & aliis contrariis quibuſcumque, eadem auctoritate fa-
„ cultatem plenariam, & poteſtatem liberam concedentes, ac
„ mandamus univerſis, & ſingulis Fratribus, ac Prioriſſis, Con-
„ ventibus, & ſingularibus perſonis, domorum, Conventuum,
„ & Monaſteriorum præfatorum, ut tibi hujuſmodi beneplaci-
„ to durante in omnibus, & ſingulis, quæ ad hujuſmodi Vica-
„ riatus Officium quomodolibet pertinent, effectualiter inten-
„ dant. Nos enim ſententias, ſive pœnas, quas rite tuleris, ſeu
„ ſtatueris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus, auctore
„ Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam, inviolabiliter
„ obſervari. Tu igitur in hujuſmodi tibi commiſſo Vicariatus
„ officio, ſic te habere ſtudeas diligenter, fideliter, & pruden-
„ ter, quod exinde ſperati fructus proveniant. Tuque apud
„ Nos, & Sedem Apoſtolicam de diligentia, fidelitate, & pru-
„ dentia amplius valeas non immerito commendari. Datum Ro-
„ mæ apud S. Petrum VI. Kal. Decembris Pontificatus noſtri
„ anno undecimo.

APPENDIX

Continens Epiſtolam, quam de miraculis B. Marcolini Forolivienſis ſcripſit B. Joannes Dominici ſuo Magiſtro Generali Raymundo Capuano.

NON abs re fore exiſtimavi, Diſſertationi huic adſuere Epiſtolam, quam de miraculis in obitu Beati Marcolini Forolivienſis patratis ad ſuum Generalem Magiſtrum Raymundum Capuanum dedit Joannes Dominici. Siquidem quæcumque tanti viri monumenta, ut ſeræ poſteritatis commendentur memoriæ, digniſſima ſunt. Et quamvis plures Ordinis noſtri biographi acta deſcribunt præfati Marcolini, omnibus tamen præferenda eſt authoritas Beati Joannis Dominici, qui ejuſdem Marcolini amiciſſimus fuit, eumque in promovenda reformatione ſtrenuum expertus eſt adjutorem. Quandoquidem & Marcolini opera uſus fuit Magiſter Generalis Raymundus ad plura reformanda Cœnobia. Thomas Senenſis in ſuo Codice Joannis Dominici epiſtolam refert cum altera data a quodam viro Forolivienſi ad Leonardum Delphinum Epiſcopum Caſtellanum. Viam quoque, cui inſtitit Joannes Dominici, ut prodigia, quæ

de Beato Marcolino omnium ore circumferebantur, teſtibus fide dignis confirmata litteris conſignare poſſet, patefacit. Quapropter prius narrationem ipſius Thomæ Senenſis, deinde Epiſtolam Joannis Dominici deſcribam. Thomas itaque Senenſis his verbis ſuam auſpicatur narrationem. *Ulterius accidit ſequenti menſe Februarii a Nativitate Domini MCCCXCVII., ut rumores ſentirentur in Venetiis de miraculis, quæ fiebant ad ſepulcbrum Beati Marcolini de Forlivio Ordinis Prædicatorum, qui circa finem menſis Januarii præcedentis in vigilia Converſionis Apoſtoli Pauli deceſſerat, unde quidam inter alios Forlivienſis ſcripſit Dominico Leonardo Delphino tunc Epiſcopo Caſtellano de Venetiis litteras, quarum tenor talis eſt, videlicet.*

„ Reverendiſſime Pater, & Domine, quoniam Omnipotens „ Deus mirabilis in Sanctis ſuis, & in operibus manuum ſuarum eligens infirma, ut fortia quæque confundat nuper in hac „ Civitate mirabiliter operatus eſt, & operatur continue ad ipſius omnipotentis Dei laudem, & gloriam, quam novi ex ſpiritualibus donis quamplurimum congaudere, ſignificare compellor, quod cum diebus proxime elapſis circa menſem Januarii de hoc ſæculo migraſſet quidam homo ſimplex, rectus, & caſtus pariter & humilis de Ordine Fratrum Prædicatorum „ nomine Frater Marcolinus de Forlivio, qui per annos ſexaginta & ultra in dicta Fratrum Prædicatorum Religione laudabiliter vixit. Ipſe benedictus Deus, qui non per ſcientiam, „ quæ inflat, ſed per charitatem, quæ ædificat, hominem afficit, „ & beatificat, dignatus eſt ex meritis dicti Beati Fratris miracula oſtendere infinita: nam mutorum os aperuit, aureſque „ ſurdorum, claudos erexit, contractos abſolvit, gibboſos, & „ impetiginoſos ſimiliter liberavit, & cetera, quæ per ordinem, „ & explicate opportunitate capta eidem Paternitati veſtræ curabo ſerioſius indicare, de quo ut ſuppliciter poſtulo omnipotenti Deo gratias referatis, procurantes ut hunc locum in quo „ tanta dignatur oſtendere, conſervet, adaugeat, & confirmet „ in gratia ſua ſancta amen. Supplico inſuper, ut aliqualem „ reſponſionem reſcribi faciatis de facto illius dominici Clerici, „ de quo ad inſtantiam Prioris Sancti Sirii Paternitati veſtræ reſcripſi, cui me humiliter recommendo. Scripta Forilivii die „ 20. menſis Februarii per ſervitorem veſtrum Bellum de Forlivio.

Prædicta autem audiens Reverendus Pater Fr. Johannes Dominici Vicarius ſupradicti Magiſtri, pro inveſtigando de præfatis glo-

plenius veritatem, miſit Forlivium in præfato menſe ſupradiċtum Suppriorem cum aliquibus ſociis, qui cum rediiſſent, & de veritate ſupradiċtorum plene teſtimonium perbibuiſſent, ſcripſit ſuper præfatis diċtus Pater Fr. Johannes Dominici unam Epiſtolam Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis, qui tunc in Colonia, vel circa illas partes degebat, cujus Epiſtolæ tenor talis eſt, videlicet.

„ Diutius mens mea inter oppoſita pugnans, an ſcilicet ne„ fandus, & malus Prædicator exiſtam divinæ laudis mirandis „ his diebus oſtenſis in orto glorioſi Patris noſtri Dominici. Si„ quidem Roſa fragrans inde de menſe Januarii immediate præ„ cedenti extat evulſa, quæ divino conſpectui per Angelos præ„ ſentata etiam Univerſo dat refundens ſuavitatis odores. Credo „ conſuetudinem vertes in naturam ad partem præſumptiorem „ accedere: infinita enim fere a Scriptura ſcriptorem repellunt, „ ſed pauca conducunt, inter quæ hoc eſt principaliſſimum, ut „ Pater Reverendiſſime gaudeatis, quod ſub virga, & cultura „ veſtra talis ovis, & planta ſit reperta, quæ Dominum præ„ dicans in ſuis creaturis, mirabilem ei acquirat populum ſpe„ cialem, atque ſuo exemplo aliorum gregis ejuſdem tepentia „ corda ad charitatis priſtinum ignem, verbis, litteris, & exem„ plis viriliter ſine timore, ut optatis revocare poſſitis. Porro „ roborata fama, ſcripto ſimul, & voce de novis miraculis pa„ tenter oſtenſis meritis Fratris vere Beati Marcolini de Civitate „ Forlivii hoc anno præſenti die 24. Januarii vas terreum re„ linquens infima, ſpiritu patenti alti Cœli veſtigia minus cre„ dula certificari cupiens, illuc Suppriorem noſtri Conventus, „ & Fratrem Marſilium de Senis cum uno nobili iſtius Civi„ tatis celebris famæ, & alio populari optimæ diſpoſitionis „ tranſmiſi, qui reverſi narraverunt, quæ viderunt, & audie„ runt, tot, & tanta quod fama prior pro nihilo reputatur. „ Nam mihi portaverunt in ſcriptis, teſtibus juratis, & ipſis „ pluſquam octuaginta miracula, quæ Dominus infra paucos „ dies ad tumulum præfati Beati, & in aliis locis ad invoca„ tionem ejuſdem eſt operatus benigne. Cum quibus venit unus „ Forlivienſis, cujus, qui cum eſſet genitalium fractione per„ cuſſus, intra ſe emiſſo voto, quod prædicaret eum Beatum, „ ſi reciperet ſanitatem, mox ſe ſentit ſanatum, & tantum „ ſuis Genitoribus, & Uxori beneficium narrans, quibus nota „ erat infirmitas verecundia ductus aliis manifeſtare ſilebat, un„ de de novo conſpicit repercuſſum; tunc reſolvitur in fletus, „ ſuam infidelitatem deplorat, ſatisfactionem promittit, ſequi-

„ tur promiſſionem liberatio nova. Quapropter non contentus, „ in terra ſua, cujus eſt Civis conditionis honeſtæ, hoc propa- „ lare meis nunciis ſe junxit. Hicque narravit audire volenti- „ bus, quæ in ſe ſenſit, & ſimiliter narrat de aliis.

„ Narrant mihi ii omnes uno ore, quod eſt aliqua hora in- „ fra diem naturalem, in qua pauciores mille trecentis Perſonis „ in Eccleſia noſtra, quæ hujus Sancti Corpus continet tumu- „ latum, petunt, continuari Verbum Dei: diu noctuque quæ- „ runt copiam Confeſſorum, nec ſufficiunt operarii ad meſſem „ tam uberem, & fœlicem. Ibi peccatorum lacrimæ, devoto- „ rum ſingultus, languentium voces, beneficia, clamores poſcen- „ tium, laudantiumque jubilum audiuntur permixta. Et licet „ in Corpore ſanctificentur innumeri; plures tamen ſine compa- „ ratione eripiuntur a Dæmone quos peccatis poſſidebat im- „ merſos.

„ Quid referam de quodam blaſphemo in Deum, & Sanctos, „ cui tradita fuit parva particula de panno cappæ Sancti præ- „ fati, ut illius virtute deſiſteret a peccatis, quam recepit Cor- „ pore, ſed non mente, poſuitque in Marſupio ſuo, forſitan „ cum taxillis, at ubi ad domum, devotionem ſuorum deridens, „ fuit enim homo in principio ſignorum, accenſo igne pannum „ cappæ inter primas locavit ignitas, cooperuit ignem, & abiit „ ſe ſe jactans, quod tantus eſſet, quod Sancti potuiſſet com- „ burere cappam. Factum eſt autem poſt biduum, tertia ſcili- „ cet die ut cum præfatus ludo omnem pecuniam amiſiſſet, „ quærebat ſolertius, an aliquid æris remanſiſſet in burſa ite- „ rum ad ludendum, nec aliquid invenit, quam pannum Bea- „ ti, quem nudius tertius putabat eſſe combuſtum. Quo viſo „ in anima tactus corde, & lingua contritus cœpit rei prædica- „ re magnalia, & intus obſtinatus lupus verſus in agnum pan- „ dere verbum dicitur. Sicque cœpit fama in Civitate clarius „ dilatari. Nunc autem currunt undique ſenes, & parvuli, „ juvenes, & Virgines ad laudandum nomen Domini, ex eo „ quod magis Fratres ſilebant, & occultabant gemmam ſub „ terra latentem, lapides prædicabant in tectis. Curſu enim „ ſui incolatus conſummato felici ſine ulla ſolemnitate fuit tra- „ ditus ſepulturæ .... non potuit clam cum eſſet notiſſimus, „ licet ſimplex homo ab omnibus reputatus.

„ Imo eo defuncto puer unus ſeptem annorum per Civita- „ tem ipſum denunciabat obiiſſe. Quo factum eſt, Deo homi- „ num corda movente, ut Fratres defunctum, ut moris eſt, „ adl

„ ad Eccleſiam deferentes invenerunt ipſam hominibus utriuſque „ ſexus repletam, dicentes ſanctum occulte vultis tradere ſe- „ pulturæ? Divina notitia philoſophante turbam ut ſimplicem „ ruſticanam? Sed ſolus Cocus Conventus cœpit adhærere voci- „ bus populi, eo quod lavans Corpus humandum callos ma- „ gnos reperiſſet in genibus orantis. Irruit Plebs ſuper Cor- „ pus Beati. Beatus, qui poteſt contingere Sanctum, & ex „ indumentis accipere partem: Jubentibus tamen ex alia parte „ Fratribus ejus accipere Corpus, & cum ceteris defunctis hu- „ mili tradere terræ inter depromentes laudes & reprimentes „ excitatur pugna die & nocte, & laicis repetentibus, ſua „ Fratres feſtive ſepulturæ debita perfecerunt.

„ Sed die ſequenti, ſole renato, currit undique populus, pe- „ tit theſaurum abſconditum, vult exhumare Corpus, Fratres „ obſiſtunt, verba creſcunt. Illi dicunt injuſtum eſſe ſimplicem „ hominem revereri ut Sanctum; objiciunt iſti nimis fore ini- „ quum ejus abſcondere ſanctitatem, quam Deus revelat: in- „ terea non eſt Sanctus: imo eſt Sanctus: non modica fit con- „ certatio.

„ Adeſt inter laicos Carpentarius unus, qui refert fideliter „ dicens: Cum inciderem lapides manum meam acuto malleo „ tam atrociter caſu percuſſi, ut pars non pauca decideretur „ a toto, cum mœſtus mala conſuetudine mea inter gemitus „ Deum voce blaſphemare, & Sanctos; hic pius Pater occur- „ rit, complectitur me, dulciter reprehendit, herbam primam „ ſibi occurrentem electam de Prato apponit vulneri, jubet ut „ manum teneam obſerratam, intrat Eccleſiam, in qua moru- „ la contractus ad me reverſus dixit, fili aperi manum, ſed „ ipſe renuebam, dicens, dimitte ſtare Pater, quia herba miti- „ gavit dolorem, & neſciebat quod herba appoſita erat ad „ occultandam Dei virtutem in humilitate præfata. Ille vero „ dicebat, ergo aperi ſecure, ne timeas, quod faciens ex to- „ to inveni me ſanatum. Volo ſuorum pedum oſculari veſti- „ gia, ipſe renuens præcepit, ut de re in vita ſua non loquar.

„ Adeſt alter, qui nocte fuerat viſione perterritus: nam, ut „ ſibi videbatur, erat in Eccleſia Fratrum Prædicatorum ante „ Tribunal irati Judicis conſtitutus, videbatque Fratres ſede- „ re, ſed ſolum Beatum Fratrem Marcolinum ſtare. Jube- „ bat judex ultricibus flammis tradi ſenem quendam, qui a „ magno tempore non erat confeſſus, omneſque circumſeden- „ tes ſilere; at ille Venerandus Frater qui ſtabat pro damna-

„ to

„ to veniam poſtulans obtinebat, dicebatque illi, vade, & „ confiteri, & ſalvus eris. Et evigilans, de facto Uxori „ damnandi viſionem aperuit, illa vero non celavit Marito, qui „ audiens ad Eccleſiam venit Prædicatorum, cum lacrimis multis „ confeſſionem fecit publicam; & occultam.

„ Non deeſt, quod quidam puerulus, qui jam ei decrepito „ aſſiſtebat in Cella, a quo non poterat Sacras devotiones ab„ ſcondere. Hic perceperat quod in Cella ante quandam Ima„ ginem Virginis Matris dilectum filium tenentem in ulnis „ ſedule orabat dicens centum Pater noſter, & totidem Ave „ Maria. Pater noſter more Converſorum, quamvis eſſet Dei „ Sacerdos habens apud ſe centum. Cantabat eidem Hymnos, „ & pſalmos, & pauſando a cantu dicebat: O quam pulcher „ eſt filius tuus! filius tuus quam ſpecioſus! eh da mihi eum. „ &c. talia ſimplicia verba non fucata. Hic puer jam vide„ rat, quod omni ſero linteamina deponebat de lecto puro „ ut ordinat Ordo noſter. Diſciplina utebatur, quam in ma„ taratio abſcondebat, ne videretur. Eum ſolum viderat „ communicantem, ſed ſecum plures voces perceperat jubi„ lantes.

„ Proteſtabantur eum multi, & multi ipſum fuiſſe ma„ gnum Prophetam, cum prædixiſſet eiſdem occulta, & „ ignota, & futura, & cordium ſecreta frequenter, licet „ in vita dixiſſent, eum arte divinatoria talia prædicere, a qua „ fama ſe non purgabat Pater humilis, & ſanctus.

„ Lamentabantur jugiter utriuſque ſexus pauperes multi, „ quibus ipſe pauperrimus nihil habens proprium, largiſſime „ providebat. Et quod mirum, & laudabile eſt ſic vixerat, „ & opera Dei compleverat, ut qui fuerat expertus miracu„ la de prophetiis, neſciret: & qui Prophetam comprobave„ rat, ignoraret: ipſum ad pauperes pium, vel in orationi„ bus pernoctantem, ut videatur in tota vita ſua nihil ſedulius „ ſtuduiſſe, quam virtutem humilitatis omnis Sanctitatis magi„ ſtram. Igitur Fratribus ejus laudem tacentibus, imo repri„ mentibus, & dicentibus non licere fieri novum ſanctum & „ maxime hominem ſimplicem, nec magnæ litteraturæ, in „ verbo non acutum, vel gratioſum, dormientem in Miſſa, „ menſa, & in via ambulantem. Ignorabant enim pro tunc „ qualis eſſet ille ſomnus quietis.

„ Aliis vero attollentibus violentiam, revolvitur lapis Sepul„ turæ, extrahitur Corpus Sancti, odoris fragrantia repletur

„ Ec-

„ Eccleſia . Iterum ejus veſtimenta decerpuntur in fruſta a
„ fidelibus , ut fuerit neceſſarium pluries ipſum habitu Ordinis
„ veſtiri .

„ Tunc currunt languidi , & membris privati , & quid fe-
„ cerit , faciatque Dominus omni die meritis ejus , ſtupor eſt
„ audire , videre mirabile , impoſſibile recitare , & credere
„ pium , atque devotum . Miracula ejus , quæ nota ſunt vul-
„ go, aliqua faciam ſcribi de multis : etſi non eſſem in janua
„ Quadrageſimæ ipſe libenter notarem , ni forſitan etiam obſta-
„ ret verborum penuria , & ignorantia devoti ſtili..... quare
„ de vita ipſius , & de humili homine in ſecreto devotius
„ operante pauca reperio , præter quæ ſuperius brevi confuſo
„ narravi ſermone . Celebrabat omni die , & celebrando ſæpius
„ videbatur dormire . Die noctuque debitis horis erat in
„ Choro : ſe claudebat in Cella , & ſolus manens ſolus non
„ erat , ſed loqui videbatur cum multis , inde Fratres deride-
„ bant eundem . Si autem ſciret Eccleſiam fore vacuam per-
„ ſonis, in ipſa orabat . Comedebat cum ceteris , ſi vocaba-
„ tur : nam aliunde divino ſomno depreſſus, campanam , quæ
„ eſt nota comedendi , non ſentiebat , ſicut nec alias Cam-
„ panas , niſi quando pro elevatione Corporis Chriſti , quan-
„ tumcumque parva eſſet , ictibus reſonabatur , ut experientia
„ docebat . At ubi revertebatur ad ſenſus deſcendebat , & ſi
„ jam Fratres ſederent ad menſam , in coquina ſe ponebat
„ cum famulis , in tripede ſedens , ſicque quæ Ordinis erant
„ ſobrie comedebat . Jam octuagenarius & quaſi ſurdus inde-
„ feſſe jejunabat omnibus diebus ab Eccleſia conſtitutis, & etiam
„ ab Ordine , quæ obſervari debent intus , & extra . Indue-
„ batur vilibus pannis & ſatis, ſolitarius erat multum, & ſo-
„ lum cum piis parvulis innocentibus , quorum eſt Regnum
„ Dei ob dilectionem parvuli Jeſu Chriſti , ad quem totus
„ erat affectus aliquando converſabatur , a quibus derideri
„ gaudebat , & trahi per cappam . Maxime affluebat viſceri-
„ bus charitatis , quærebat enim ſecreto pro Fratribus , &
„ pauperibus aliis , & diſtribuebat afflictis , taliter quod nemo
„ noverat , niſi qui accipiebat , nec unus accipiens de alio
„ ſciebat , tanta enim pauperibus erogabat , quod veſtiri com-
„ mode poſſent , unde tanta haberet niſi Dominus in mani-
„ bus ejus acquiſita multiplicaret ? Parum loquebatur , & bo-
„ na . Confeſſiones audiebat libenter , & ſine querela , talis
„ erat qualem Dominus faciebat tantum humilem , ut Domi-

„ nus

Digitized by Google

„ nus ipſum exaltaret immenſe, tantæ perfectæ ſcientiæ, ut
„ Doctores præcedat in Regno Dei. O miſera ambitio no-
„ ſtra, aut quærimus famam, aut non fugimus: regere vo-
„ lumus in terra, vel terram, ſicut decet, non contemni-
„ mus. Ecce quod indocti rapiunt Cœlum, humiles ad ipſum
„ accedunt, ſimplices ipſum mercantur, acquirunt pauperes,
„ pœnitentes aſſequuntur. Aſt nos miſeri, ambitioſi, ſuper-
„ bi, & elati, noti hominibus, Deoque ignoti, quo per-
„ gamus neſcimus, vereor dicere ad inferna. Excitemur o
„ miſeri, noſcamus præſentem vitam fugacem, fallacemque,
„ & ad illam ſuſpiremus, ad quam fœliciter humilis plantula
„ in horto Dominici Sancti plantata, Anima Beati Marcolini
„ coronata ſertis aſcendit. Amen.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIUNCULA
MORALIS
DE
REGULARIBUS PERSONATIS

Digitized by Google

QUÆSTIO MORALIS

De Regularibus, qui ſuæ Religionis habitu dimiſſo, larvam aſſumunt, ut vel Theatris, & ſpectaculis adeſſe, vel per vicos, & plateas liberius excurrere valeant.

I. QUÆSTIONEM verſandam aggredior, quam Theologorum neminem ex profeſſo tractaſſe vidi, & Caſuiſtæ obiter dumtaxat de ea verba faciunt. Indictam fortaſſe reliquerunt illi, propterea quod ea principia de habitus monaſtici occultatione, vel publica geſtatione ſtatuerunt; ut de larvatis Monachis ſingularem inſtituere diſputationem ſupervacaneum illis viſum fuerit. Et revera, me ipſum puderet de eadem ſermonem texere, niſi ad id præſtandum peculiares rationes me compuliſſent. Hæc porro fuit iſtius ſuſcipiendæ cauſſæ potiſſima ratio. Cum non ita pridem quorundam virorum cœtui, qui Theologi vocitabantur, intereſſem, non ſine mentis admiratione, animique dolore plures inaudivi, qui cauſſam propriam perorantes propugnabant, Regulares, qui perſonati theatra, & ſpectacula frequentant, nec excommunicationem incurrere, nec læthaliter peccare. Id vero pro ſolido rationis momento obtrudebant: paſſim videlicet Regulares perſonam induere, ſuaque in cella larvam, & laicales veſtes, non ſecus ac tunicam, & capucium tenere, maxime Venetiis, ubi mos iſte frequens eſt, & circiter medietatem anni continuus. Quis autem auſerit tantam Religioſorum multitudinem ad inferna detrudere. An ne ad ingenium peccata læthalia multiplicabimus? Nimium ſane aſperum, rigidumque foret tot Ordinum Religioſos doctos, & emeritos Magiſtros æternæ damnationis reos agere. Præter has r tiones, ſeu verius dixerim, nugas, gerraſque, authoritatem quoque opponebant cu-

nem illam noxiam eſſe. Si ſecus, ſcandalum contemnendum eſt. Sed reponit laudatus Caſuiſta, ſe vidiſſe *Venetiis Religioſos timoratæ conſcientiæ tempore bacchanalium ire ad publicas repræſentationes habitu depoſito*. Et unde quæſo perſpecta illi erat iſtorum Religioſorum intaminata conſcientia? Unde illi affulgebat tantæ ſanctitatis ſplendor? Fuerint, per me licet, in ceteris probi, & honeſti Religioſi iſti. At cum Theatra frequentabant, non probi, ſed ſuæ profeſſionis violatores omnino erant. An ne factum quodpiam a lege ſeveriſſime vetitum, idcirco de crimine purgare debemus, quod homines non undequaque ſceleſti illud perpetrant? An ne Sanctus habendus, qui vel uno vitio caret? An omnibus virtutibus ornatus erit, qui omnibus ſceleribus non maculatur? At contra Evangelium Chriſti clamat: *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*. *Jacob.* 2. *v.* 10. Quod poſtea aures obtundunt homunciones quidam, ſe non audere læthalis culpæ damnare, id quod a tanta hominum multitudine peragitur, omnium ſophiſmatum ineptiſſimum eſt. Quandoquidem non prævaricatorum multitudo, ſed jura, & leges honeſti, vel inhoneſti regulæ ſunt. Lamentabatur vel ipſe Seneca, ſuo tempore, publicam vivendi libertatem vitiis ipſis ſpeciem obtendiſſe virtutis. *Recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus eſt*. Sed de hoc putidiſſimo commento alias; nunc ad quæſtionem diſcutiendam accedendum eſt. Id autem, ut melius perficiam, in duos paragraphos eam tribuo.

§ I.

Regulares, qui, depoſito ſuæ religionis habitu, eo animo larvam aſſumunt, ut ſpectaculis adeſſe, aut liberius per vicos, & plateas diſcurrere poſſint, peccant mortaliter, juxta communem Theologorum ſententiam.

I. OMNES ad unum fatentur Theologi, Regulares ex graviſſimo præcepto debere habitum ſuæ Religionis patenter deferre. Quoties itaque præceptum hoc obſervare negligunt, læthaliter peccant. Quam aſſertionem, ut evidentius demonſtrem, illud præmoneo, me nunc abſtrahere a quibuſdam quæſtiunculis, quæ fieri poſſent, videlicet, num brevitas

vitas temporis, vel occultatio jocoſa ſui habitus intra proprium cœnobium excuſare valeant Religioſum a cujuſque culpæ reatu. Sermo enim in præſentia eſt de Religioſis, qui, ut liberius in publicum prodire valeant, deliberato animo ſuum ſtatum occultant, & alium a religioſo omnino præferunt, & hos dico cum unanimi Theologorum conſenſu peccare mortaliter. Quoniam habitus Monachalis, non communi ſolummodo humanæ naturæ uſui inſervit, ſed ad id præcipue aſſumitur, ut ſignum ſit illius ſtatus, quem Regulares omnes in perpetuum profeſſi ſunt. Porro ex ſolemni ejuſmodi ſtatus profeſſione, jure naturali in quolibet contractu inſito, conſequitur, neminem eorum, qui huic ſtatui devincti ſunt, vel ad tempus eundem ſtatum ementiri poſſe. Eadem quippe ratione, qua quis ſe ſe obſtringit ad aliquam dignitatem, gradum, & ſtatum in perpetuum ſuſtinendum, devincitur quoque ad illam deferendam veſtem, quæ publico ritu, ad eamdem dignitatem, ſeu ſtatum ſignificandum eſt inſtituta. Quemadmodum enim nec ad punctum temporis licitum eſt, ſtatum illum ſemel ſuſceptum reſpuere; ſic nec veſtem, quæ ejuſdem teſſera eſt, & ſignum. Igitur Regulares larvam induentes, ut, occultato Religioſo ſtatu, ſpectaculis, aliiſque ludis, & evagationibus habenas laxare valeant, reipſa mendacii crimen in graviſſimo negotio perpetrant, & tanquam deceptores, & promiſſionis Deo factæ violatores cenſendi ſunt.

II. Accedit, quod non ſolum jure naturali ex voto ſtatus Monaſtici emanante, devincti ſunt Regulares ſui Ordinis habitum patenter deferre; ſed jure quoque, cum ſcripto, tum univerſali omnium Religionum conſenſione recepto ad id obſtricti reperiuntur. Quilibet enim ſacer ordo ſuum peculiarem habitum habet, quo ab altero diſtinguitur, quove ſublato, Ordo ipſe publice, & reſpectu perſonati Religioſi, evaneſcit. Quare Theologi omnes, quamvis adfirment, habitum non conſtituere Monachum, ſubdunt tamen ad ſubſtantiam, ut ipſi ajunt, Ordinis pertinere; quoniam ſignum eſt, quo unus Ordo ab alio ſecernitur. Quare etiamſi lex expreſſa non eſſet condita, quæ patentem iſtius habitus geſtationem præciperet, occultationemque vetaret; id certe colligeretur ex unanimi conſenſu omnium Sacrorum Ordinum, quorum quiſque ab altero diſtingui avet, mutuamque confuſionem omnes perhorreſcunt. Præter quam quod, quilibet Ordo, aut in regula, quam profitetur, aut in propriis conſtitutionibus declarat, Religioſos peccare mortaliter, qui patenter proprium habitum non defferunt. Non eſt, quod omnium ordinum leges

ſigil-

ſigillatim recenſeam, ſed, brevitatis gratia, unicum ſtatutum deſcribam, quod hac de re edidit Ordo Prædicatorum, habeturque in Conſtitutionibus *Diſt.* 1. *cap. XIV. in decl. Text.* 2. *ſub lit. E. Religioſus .... babitum ſuæ religionis, cum procedit in publicum, non deferens, vel abſque legitima cauſſa, occultans, agit contra votum obedientiæ, & MORTALITER PECCAT*. Idipſum præcipiunt eadem diſtinctione *cap. XX. in decl. Text.* 1. *ſub lit. A Quilibet Religioſus tenetur deferre patenter babitum ſuæ Religionis cum procedit in publicum: quicumque autem ſuæ Religionis babitum temere dimiſerit, peccat mortaliter, & eſt excommunicatus de jure. C. ut periculoſa*. Ad excommunicationem quod attinet, ſequenti paragrapho ſermo erit. Nunc de culpa dumtaxat gravi loquor, atque authoritate Concilii Tridentini, quæ dixi, confirmo. Siquidem *ſeſſ.* 25. *de refor. cap.* 19. prohibet Prælatis omnibus, ne Religioſis ſuis licentiam impertiant occulte habitum deferendi. *Nec detur licentia cuiquam Regulari occulte babitum ferendi ſuæ Religionis*. Concilium hanc habitus occultationem graviter prohibitam, ut rem certam ponit; & Prælatis vetat, ne occaſionem violandæ legis aperiant ſubditis; ut adfirmant vel ipſi benigniores Caſuiſtæ, pro quibus unum indicare ſufficiat *Caſtropalaum tract. XVI. diſput. IV. Punct.* 6. *n.* 7. *Tridentinum ſupponit banc occultationem graviter eſſe probibitam, ſiquidem ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de Regularibus probibet Prælatis &c.* Itaque lex cum naturalis ex ſolemni profeſſione monaſtica conſequens, tum lex ſcripta cujuſque Ordinis, & tandem Theologi & Caſuiſtæ communi conſenſione adſirmant, peccare mortaliter Regulares, qui cum in publicum procedunt, habitum ſuæ Religionis patenter non deferunt. Evidens ergo eſt, exploratumque, eoſdem mortalem culpam perpetrare, quoties perſonati aut Theatris, ludiſque interſunt, aut per vicos, & plateas diſcurrunt.

III. Conſequutio iſta adeo luculenta eſt, ut nulla valeat tergiverſatione eludi: Verum tamen, ut ſemper lectori magis, magiſque perſuaſum ſit, vix eſſe commentum tam abſurdum, quod obtrudi non ſoleat, cum de laxandis morum regulis occaſio recurrit, reſponſum quod inter diſputandum datum mihi fuit, referre lubet. Inquiunt ergo peccare quidem mortaliter Regulares, ſi, habitu ſuæ Religionis depoſito, veſtem laicalem induant, & aperta facie, & occultato religioſo ſtatu, ſtatumque ſæcularium hominum præferentes, diſcur-

ſcurrant : ſecus vero ſi ſimul larvam aſſumant , vultumque obtegant . Cum tam monſtroſum delirium audivi , illico in mentem venit illud Varronis *in frag. Poſtremo nemo ægrotus quicquam ſomniat tam infandum , quod non aliquis dicat philoſophus* . Quandoquidem leges apertiſſime declarant peccare læthaliter Religioſos , qui , cum in publicum procedunt , *habitum ſuæ Religionis patenter non deferunt , aut illum occultant* . An patenter ſui inſtituti ſacri habitum deferunt Religioſi larvati ? An illum non occultant ? Mortaliter ergo peccant eo ipſo , quod præceptum geſtandi manifeſte habitum implere negligunt . Cum lex jubet patenter habitum Monachalem deferre , uſum cujuſque alterius veſtis ſtatum religioſum occultantis vetat . Cum prohibet habitum Religioſum occultare , occultationem , non occultationis modum ſeu rationem inhibet . Quocumque igitur modo religioſus ſtatus occultetur ; ſive veſte virili , ſive fœminea , ſive larva , dummodo reipſa vere abſcondatur , perinde lex infringitur . Nemo ergo niſi fatuus concedere poteſt , peccare quidem Religioſos , qui habitum religionis ſuæ in publicum deferre omittunt , & veſte ſæculari nudata facie incedunt . Secus vero ſi vultum ipſum cum univerſo corpore larva profaniſque indumentis cooperiat . Quid enim inſanius excogitari poteſt ? Cum vero futiliſſimi reſponſi inventores urgebam , provocabam , atque in omnem partem verſabam , ut vel alicujus Theologi authoritatem , aut rationem aliquam exhiberent iſtius interpretamenti ; non aliud muſſitabant , niſi quod Venetiis Regulares plurimi diverſorum Ordinum perſonati theatris interſunt , & per vicos & plateas diſcurrunt ; & propterea ſe non audere tantam Religioſorum multitudinem ad inferna deturbare . Tam exitioſi commenti haud poterant niſi nugas , & quiſquilias pro ratione obtrudere . An ad inferna homines non deturbant cum viam peccandi latiſſimam aperiunt ? An non ſeducunt , an non decipiunt , cum eos peccare denegant , quos peccare lex , Doctores , & evidentiſſima ratio teſtantur ? An non animos ad delinquendum addunt , cum abuſum malorum plenum ut innocuum defendunt , & ut ipſis ſontibus impunitatem ſpondeant , innocentibus laqueos parant ? Quin imo illi unice ad inferna homines detrudunt , quod ad eorum appetitiones leges accommodant , & inflectunt ; nequaquam vero nos qui ne legem violent , pœnas illis clara voce in memoriam revocamus æternas . Verum alibi demonſtrabitur , fuſo calamo ,

quam

quam erronea ſit argutatio illa, quæ ex multitudine delinquentium honeſtatem infert actionis.

IV. Ut rem totam paucis perſtringam, ſi verba legis perpeudantur, atque profeſſionis monaſticæ vis: æque Regularibus vetitum eſt quodcumque indumentum, quod ſtatum Religioſum omnino abſcondit. Si vero ad legis, & ſacræ profeſſionis finem animum intendamus, ſeverius larva, quam ſola laicalis veſtis, eſt illis interdicta. Quoniam larvarum abuſus ſuapte natura laxandis moribus, & diruendæ monaſticæ diſciplinæ viam aperit accommodatiſſimam; atque ad omnia flagitia perpetranda habenas remittit, quin & calcaria addit. Quid quod ipſi de mundo homines, ut liberius ſuis indulgeant cupiditatibus larvati in publicum prodeunt? Nam homo nudata facie refugit media in luce ea patrare, quæ ſub larvarum tenebris agere non erubeſcit. Heinc eſt, quod publica Religioſæ veſtis geſtatio ſcutum eſt ad externa hoſtium tela retundenda validiſſimum, & ad mundi illecebras, ludos, & ſpectacula fugienda incitamentum. Quippe ante oculos objicit quam monſtroſum ſit, Religioſos homines a mundo ſemel ſejunctos, Deoque votis devinctos, ſpectaculis adeſſe, aliiſque inſanientis multitudinis ludis immiſceri. Repræſentat Religioſi ſtatus excellentiam, ſcandalum populi evitandum ſuggerit, & appetitus ne extrinſecus erumpant, coercet: quemadmodum quemque in dignitate conſtitutum ſive judicem, ſive Principem, ſive Regem ſuæ dignitatis inſignia cautum, gravem, ſeriumque reddunt, & ab illis avocant diverticulis, quibus privata veſte indutos adeſſe minime puderet. Et reipſa Religioſi ſuam ſacram veſtem deponunt, aut occultant, perſonamque aſſumunt, ut rerum omnium reſpectu abſciſſo, ſuas valeant explere appetitiones. Denique univerſo ordini tenebras offundunt, alios confratres ad eundem abuſum provocant, maximumque afferunt Chriſtiano populo offendiculum. Nec enim larvati incedere queunt, quin aliquibus ſæcularibus, ſaltem illis, a quibus larvas, & veſtes accipiunt, id, fiat compertum. At inquiunt, Venetiis nullum heinc oritur ſcandalum; quoniam ſæculares apprime ſciunt Religioſos paſſim larvatos incedere, & comœdiis, theatriſque adeſſe. Si hoc verum haberet, omnium ſcandalorum maximum foret. Quippe eo relaxationis, contemptionis, & infamiæ prolapſi eſſent Religioſi ejuſmodi, ut nullum exhiberent admirationis argumentum vel ea perpetrantes, quæ abſolute

lute religioſum ſtatum dedecent. Dic ſodes ſi ad Regulæ monaſticæ præſcriptum Reformati religioſi ad Theatra, comœdiaſque pergerent, nonne maximum ingererent populo ſcandalum? Quod itaque Fratres relaxati ſcandalo ſæcularibus non ſint, etiam cum tanto abuſui indulgent; non aliunde, quam ex eorum exiſtimationis deplorabili jactura ortum ducit. Verum quidquid ſit de ſcandalo, quod vocant paſſivum, nemo inficiabitur, Regulares perſonatos maximum ſcandalum, quod appellant activum, non parere. Nec ad vulgi opinionem, ſed ad Regulam, quam profeſſi ſunt, & ad vota quæ voverunt conformare mores ſuos Religioſi debent. Peccant igitur mortaliter Religioſi larvati ludos, & ſpectacula frequentantes, vel per vicos, & plateas diſcurrentes. Peccant graviſſime Superiores ſi hanc corruptelam pro viribus non auferunt. Peccant Confeſſarii ſi religioſis ejuſmodi abſolutionis beneficium impertiunt. Quæ ſi vera ſunt, heu quot immania crimina, quot ſacrilegia! Porro adeo vera, adeo luculenta, adeo comperta ſunt hæc omnia, ut nullius contrariæ probabilitatis ſpecies ſuffragari valeat. Qua de re conſule vel ipſos benigniores Caſuiſtas, qui rem hanc vel obiter excuſſerint; & ex Theologis *Suarez Tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 4. ubi hæc habet. *Dico ergo primo teneri Religioſum ſub mortali peccato retinere, ideſt non mutare proprium Religionis habitum. Hanc aſſertionem ut certam ſupponunt omnes Doctores.*

V. Si omnes Doctores aſſerunt, peccare læthaliter Religioſos, qui patenter non deferunt proprium habitum, aut qui illum mutant: ſi leges apertiſſime hanc publicam habitus geſtationem præcipiunt; quid eſt quod oppoſitum doceas? Non negaverim, quin clare fateor, ſæpius occurrere rationes, & circumſtantias plures, ob quas licitum eſt humanas imo vel ipſas naturales leges in benigniorem partem interpretari, & ab earundem obſervantia ad tempus quandoque homines eximere. Neceſſitas vitæ ſuſtentandæ a ciborum prohibitione, & ab jejuniorum obſervantia, & ab ipſa furti lege tali penuria preſſos homines ſolvit. Ut grave mortis periculum evitent, vel ut aliquod præclarum facinus aggrediantur, poſſunt & Chriſtiani, & Religioſi proprium habitum mutare, ſtatumque ſuum occultare. At quæ (per Numinum fidem!) ſolida ratio, quod juſtum momentum, quæ vera neceſſitas urgere poteſt Religioſos ad aſſumendas larvas, ad frequentanda Theatra, ad excurrendas plateas? Ex quibus

bus ſic concludo. Leges conceptiſſimis verbis jubent patentem habitus geſtationem. Nulla vera & neceſſaria cauſſa aſſignari poteſt, qua obſtringantur Religioſi larvas induere, & Theatra adire. Alioquin abuſus iſte larvarum, & acceſſus ad Theatra omnibus circumſtantiis inſpectis, res eſt ſuapte natura periculorum plena, omniumque laxitatum, & diſſolutionum occaſio vel ipſis ſæcularibus hominibus; quanto magis autem Religioſis tot votis, totque legibus Deo devinctis, qui quotidie incruentum ſacrificium Deo immolant. Ergo nemo, niſi fatuus, defendere auſerit, poſſe Religioſos, nulla urgente neceſſitate, nulla impellente rationabili cauſſa, licite tranſgredi legem de patenti habitus geſtatione, abuſumque fovere, qui eſt corruptelarum, ſcelerumque ſcaturigo.

§ II.

Regulares larvam aſſumentes eo animo, ut vel Theatris adeſſe, vel ut liberius per vicos & plateas excurrere poſſint, non modo peccant mortaliter, ſed excommunicationem reipſa incurrunt.

I. UT Eccleſia omnem Religioſis evagandi occaſionem eriperet, excommunicationis pœnam iis omnibus infligit, qui temere habitum ſuæ religionis dimittunt. Lex iſta habetur in 3. *lib. Sext. Decretal. Tit.* XXIII. *cap.* UT PERICULOSA *evagandi materia ſubtrahatur diſtrictius inhibemus, ne de cetero aliquis quamcumque Religionem tacite, vel expreſſe profeſſus in ſcholis, vel alibi, habitum ſuæ Religionis dimittat . . . ſi quis horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat ſententiam.* Antequam ultra pergam, explicem oportet quid ſignificet *temere habitum dimittere*, quidve hac de re certum & extra controverſiam penes omnes cum Theologos, tum Canoniſtas, & Caſuiſtas. Id autem ut breviter, & clare perficiam primum omnium præmoneo, non quamcunque habitus dimiſſionem excommunicationi eſſe obnoxiam. Nam qui habitum deponit, ſive occultat ob juſtam cauſſam, videlicet ut periculum aliquod, aut ut aliquod neceſſarium bonum operetur, nequaquam *temere* illum dimittit. Quemadmodum nec temere habitum deponit, qui illum exuit, ut dormiat,

ut expeditius quidquam operetur. Præmoneo ſecundum ad incurrendum hanc excommunicationis pœnam haudquaquam requiri animum deponendi habitum in perpetuum; ſed ſufficit depoſitio ad tempus, cum animo ꝑ peracta vagatione, habitum ſtatim aſſumendi. Præmoneo tertium, me nunc in quæſtionem minime vocare, quænam brevitas temporis, quænam ignorantia ſatis ſit, ad hanc evadendam excommunicationem. Quibus poſitis, ad id, quod caput eſt, accedo.

II. Dico primo illos Regulares habitum ſui Ordinis *temere* dimittere, qui abſque juſta cauſſa illum deponunt, eo animo, ut poſſint liberius evagari: ſeu illa habitus dimiſſo *temeraria* dicitur, quæ, juſta cauſſa ſublata, & circumſtantiis inſpectis, apta eſt ad liberam vagationem. Hanc aſſertionem omnes ad unum edocent cum Theologi, tum Canoniſtæ. Unum vel alterum referam. Sylveſter *verb. excom.* 9. *num.* 51. „ excommunicantur om„ nes Religioſi . . . *temere* habitum ſuæ Religionis dimittentes. „ Et dicit *Temere ſine cauſſa rationabili ſecundum omnes Docto„ res*. „ Suarez *Tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 5. *nu.* 8. „ „ hæc eſt communis ſententia Doctorum etiam explicantium il„ lam particulam *temere* in dict. c. 2. Dicunt enim *temere di„ mitti quoties ſine cauſſa rationabili dimittitur*. „ Hæc itaque prima propoſitio certiſſima eſt. Secunda autem hæc eſt. Omnes Religioſi Regulares habitum temere dimittentes peccant mortaliter, & ſunt excommunicati. Hanc quoque propoſitionem non modo omnes Theologi & Canoniſtæ, ſed vel ipſi benigniores Caſuiſtæ unanimi aſſenſione propugnant, ut inquit *Caſtropalaus tract.* XVI. *diſp.* IV. *punct.* 6. „ Eſſe omnibus Religioſis profeſſis „ ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda interdictam „ temerariam habitus dimiſſionem *compertum eſt apud omnes* „. Ex his duabus manifeſtis certiſque propoſitionibus, neceſſario conſequitur hæc tertia. Ergo omnes Religioſi, qui larvam ſumunt, ut Theatris adſint, & ſpectaculis, ut liberius evagari per Civitates queant; ſunt reipſa excommunicati. Quid ad hæc reponi poſſit, fateor me non tenere. Quapropter hoc pacto inſtauro argumentationem meam. Illud verbum *temere* tunc ſuum verum habet ſenſum in hac, de qua agimus, controverſia, quando ſine ratione, & cauſſa Religioſus habitum ſui Ordinis deponit. Quæ propoſitio, ut vidimus, certiſſima eſt penes omnes. Explicandum nunc eſt, quid ſignificet illud aliud verbum *deponere* habitum. Porro non aliud ſignificat in laudato *cap. Ut periculoſa*, verbum iſtud *deponere* habitum, niſi quod Religioſus ita occultet ſtatum ſuum,

Digitized by Google

ſuum, habitu proprio dimiſſo, & alio aſſumpto, ut nequeat a circumſtantibus agnoſci cujus Religionis ſit. Sic omnes Doctores docent. Unum vel alterum dumtaxat referam. Bannez 2. 2. *quæſt.* 12. *art.* 1. *Secunda Concluſio*. *Religioſus dimittens habitum ſuæ Religionis, & aſſumens alium quemcumque, ut, occultata perſona, libere poſſit divagari per vicos & plateas, abſque eo quod cognoſcatur, cujus religionis ſit, etiam ſi id faciat tantum ad horam, incurrit excommunicationem. Concluſio hæc certa eſt apud omnes*. Barboſa in IV. *lib. ſext. Decretal. cap. Ut periculoſa*. *Tertio colligitur excommunicationem hujus textus incurrere Religioſum, qui proprium habitum ita occultat, ut a circumſtantibus agnoſci nequeat, cujus Ordinis ſit*. Caſtropalaus loco laudato *num.* 3. *Petit ergo habitus dimiſſio depoſitionem illius fieri animo occultandi ſtatum, & ſe alium ab eo, qui eſt ſignificandi*. Paſſarinus *Tom.* 3. *de ſtat. quæſt.* 189. *artic.* 8. *inſpect.* 3. *num.* 337. *Lex attendit, & prohibet, ne religioſus incedat in habitu, qui ſit materia vagandi, & propter hoc prohibet, ne incedat in alio habitu, quam in proprio, quomodocumque fuerit, quod Religioſus alienum habitum induerit*.

III. Ex quibus omnibus hanc elicio Theologicam demonſtrationem. Omnes Religioſi, qui habitum ſuæ Religionis abſque juſta cauſſa dimittunt, & alium aſſumunt aptum ad liberam vagationem, qualiſcumque ſit habitus iſte, peccant mortaliter, & ſunt excommunicati. Hanc propoſitionem omnes docent Theologi, Canoniſtæ, & Caſuiſtæ. Atqui omnes larvati religioſi dimittunt habitum ſuæ religionis, aliumque aſſumunt, qui, præ omnibus, aptior eſt ad liberam, & periculoſam evagationem. Ergo omnes Religioſi, qui Theatris interſunt, vel per civitates vagantur, peccant mortaliter, & ſunt excommunicati. Ad criterium revocentur ſingulæ propoſitiones. Prima nec in diſputationem revocari poteſt ſecunda ipſo facto manifeſta eſt. Nonne reipſa larvati Religioſi habitum ſui Ordinis deponunt, ſuumque ſtatum occultant & alium a Religioſo omnino diverſum præferunt? Nonne finis laudati Canonis eſt, occaſionem vagandi Religioſis ſurripere? id ſane omnes adfirmant. Nonne expeditiorem ad vagandum viam aperit larvarum uſus, quam ſola laicalis veſtis. Hoc adeo verum eſt, quo ipſi ſæculares perſonam aſſumunt, ut liberius comœdiis, choreis, ceteriſque veſani mundi oblectamentis laxatis habenis vacare queant? Atqui omnes ad unum fatentur Theologi, Regulares peccare mortaliter, & excommuni-

municationem incurrere, qui veſte laicali induti nudata facie vagarentur. Ergo potiori jure id dicendum eſt, cum larvati incedunt. Nullus itaque mentis compos cavillari poteſt, excommunicatos eſſe Regulares in publicum procedentes, occultato Religioſo ſtatu, & nudatum conſervantes vultum; ſecus vero ſi faciem larva cooperiant.

V. In controverſiam vocant Theologi num excommunicationem hanc incurrant Religioſi illi, qui retinentes habitum ſui Ordinis, ita ſub larva, aut ſub ſola laicali veſte illum occultant, ut exterius nullo modo appareat, nec illi dignoſci poſſint an ſint Religioſi. In primis omnes communiter fatentur peccare mortaliter contra votum obedientiæ, ſeu præceptum publicæ geſtationis habitus. Ad excommunicationem quod attinet, communior, & probabilior Doctorum ſententia defendit, tales Religioſos illam excommunicationem incurrere. Hæc ſententia non modo mihi probabilior, ſed unice vera videtur. Siquidem adverſa opinio, quam probabilem aliqui reputant, nullo ſolido nititur momento. Qua de re conſule Paſſerinum, loco ſupra laudato, ubi quæſtionem hanc optime expendit, & reſolvit. Ibi quoque reperies quæ ignorantia, quæ temporis brevitas ab hac eximat excommunicatione. Piget enim tempus in his terere, quæ ſatis ab aliis diſcuſſa ſunt, & alioquin vix digna ſunt diſputatione.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005673859

Digitized by Google